24

OBSER
IN
GREG

N.
49.031

BIBLIOTHEQUE DU CLERGE DE TOULOUSE
Ex Dono Benedicti
Dheliot abbatis
Professoris Regii

Rés. 49031

Res 49031

ANTONII DADINI ALTESERRÆ

ANTECESSORIS TOLOSANI,

NOTÆ ET OBSERVATIONES

IN XII. LIBROS EPISTOLARVM

B. GREGORII PAPÆ,

Huius nominis I. cognomine Magni.

OPVS VARIVM ET VTILE,
Tùm vtriusque iuris cùm Historiæ & Antiquitatis sacræ & profanæ necnon Grammaticæ studiosis.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE TOULOUSE
DÉPOT DE L'ÉTAT

TOLOSÆ,
Apud RAYMVNDVM BOSC. M. DC. LXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

B. GREGORII

ET OBSERVATIONES

IN ANTIPHONARIUM

ET MISSALE

ANTIQUUM

SANCTISSIMO PATRI

CLEMENTI IX.

PONTIFICI MAXIMO,

ET VICARIO DOMINI NOSTRI IESV-CHRISTI.

SANCTISSIME PATER,

Notas & Obseruationes in Epistolas D. Gregorij Sanctitati Vestræ *ex voto offero. cuinàm enim rectiùs conueniat opus sanctissimum in Pontificem, quam Cathedræ & meritorum successori. Quærens Gregorium: quàm fœliciter similem in Clemente nactus sum. Gregorius inuitus raptus est ad Pontificatum: Tu lachrymans & reluctans, eundem suscepisti, in te conuenére vota omnium te vno dissentiente. Gregorius Italiam ferè vniuersam à Longobardis oppressam subleua-*

uit: Tu vero ſuppetijs quas præſtas Venetis aduerſus Barbarum, nec nominandum tyrannum, hoſtem ſubmoues ab Italiâ. Maxima laus Venetorum, qui dum Reliquias Cretæ Inſulæ paruâ manu tot annis propugnant, reliquum orbem Chriſtianum, non ſine ſingulari numinis prouidentiâ tuentur. Verum te laudis participio non carere omnibus in confeſſo eſt, dum obſeſſos in agone iam veteranos, milite & ſtipendijs ſubinde reficis, & quod memorabilius eſt, tuos laboris & periculi ſocios facis. In Gregorio maximè commendatur ſingulare ſtudium in pauperes: Tu largus & effuſus in egenos, ita parcus es in propinquos & amicos, vt Pontificem nullas neceſsitudines habere præter Chriſtum & pauperes ſatis intelligant. Gregorius infirmitatem corporis animi viribus ſuſtentauit, inter podagræ tormenta tantas res geſsit pro Eccleſiâ & Republicâ, vt Gregorium, non Pontificem, ægrotaſſe credendũ ſit. Tu mediocris valetudinis compos, Pontificatus id eſt rerum vniuerſarũ molem pleno robore ſuſtines. Gregorius ſub Pelagio Apocrisiarij munere

functus in aulâ Constantinopolitanâ, satis ostendit qualis futurus esset Pontifex: Te vero Alexander VII. Consiliorum participem factum penè successorem designauit, dum inter beneficia à Deo accepta prædicabat Te sibi datum Secundum Cor, *In quo de maioribus rebus quiesceret. Atque vt alia persequar quæ tibi cum Gregorio communia, ille Franciam & Reges Francorum dilexit, eorum fidem & religionem laudauit: Tu Regem Christianissimum vt Ecclesiæ filium Principem amas, ille vicissim quâ par est reuerentiâ te colit, huius sensu recrudescentis inter Reges belli semina nuper extincta sunt, victorijs modus impositus, nè his vterentur Barbari. Mitto cætera quæ vobis cum Gregorio non disparia sunt virtutum elogia. Satis scio quidnàm vester pudor ferre valeat, quàm grauiter laudum suarum susurros audiat Beatitudo vestra. Ego Gregorium diligentiùs recolui, vt qualis quantusve esset vir in Ecclesiâ & Republicâ, magis magisque vniuersus orbis intelligeret. Hic est vnus scopus laboris: si placet* Sanctissime Pontifex *grato animo illum accipe.*

Exaudiat vota vestra Deus Optimus Maximus, spolijs Orientis fulgeat Basilica SS. Apostolorum, & Roma gentium victrix, in diebus vestris iterum de Barbaris triumphet. In te Ecclesia agnoscat Gregorium, qui Longobardos Italiæ graues coercuit, agnoscat Leonem qui Attilam ab Italiæ finibus gladio spiritus depulit, agnoscat Siluestrum qui Imperatorem è Pagano Christianum fecit. Redeat Ecclesia Græca in sinum matris, depositâ feritate Barbarus ceruicem submittat, & qui hactenus armis vinci non potuit, verbo Euangelij & in Clamore Alleluïa *vincatur. Ibi restituatur nomen Christi, vnde per orbem sparsum est, & vnde tot seculis exulat. Hæc sunt publica & priuata vota fidelium, hæ sunt perpetuæ preces, quas Deo supplex offert.*

VESTRAE SANCTITATI,

Tolosæ 7. Martij 1669.

Deuotissimus

ANT. DADINVS ALTESERRA
Antecessor Tolosanus.

TESTIMONIA VETERVM de B. Gregorio & eius Epistolis.

IOANNES DIACONVS vit. Gregor. lib. 4. cap. 71.

ET licet Longobardorum perfidiâ sæuiente, post Ezechielis tractatus, ab expositione librorum destiterit, ab exponendis tamen epistolis, quandiu viuere potuit numquam omnino cessauit, quarum videlicet tot libros in scrinio dereliquit, quot annos adiunxit. Vnde tertium decimum Epistolarum librum septimæ indictionis imperfectum reliquit; quoniam ad eiusdem indictionis terminum non pertigit.

Lupus Ferrarienſis epiſt. 29. ad Guenilonem Senonenſ. Epiſcop.

Verum nè nos magnificere videamur Beatus Gregorius cuius tanta in Ecclesiâ resplendet auctoritas Patrem nostrum Benedictum his verbis commendat. Scripsit Monachorum regulam discretione præcipuam sermone luculentam.

Hinchmarus Rhemenſ. Archiepiſc. in epiſt. ad Ioann. 8. Pontific. cap. 5.

Et Sanctus Gregorius in epistola ad Mauritium Imperatorem & infrà. *Et idem sanctissimus atque facundissimus & discretissimus, veraciterque in oculis Dei humillimus in epistola ad Ioannem Episcopum Syracusanum &c.*

Honorius Augustodunens. de scriptor. Eccleſiast. c. 27.

Gregorius Romanæ vrbis Epiſcopus ſcripſit & infinitas Epiſtolas quarum collectio Regiſtrum dicitur.

Sigebert. de Scriptor. Eccleſiaſt. cap. 41. de eodem.

Epiſtolarum tot libros poſteris reliquit, quot annos in Papatu vixit, id eſt tredecim L. duodecim *& ſemis.*

Quænam ſit auctoritas Epiſtolarum Gregorij I. his argumentis facilè probatur quod Burchardus Iuo & Gratianus Collectores decretorum his paſſim vſi ſunt, quibus velut gemmeis floribus illuſtrantur eorum collectiones. Et ipſi Romani Pontifices qui eum ſecuti ſunt, ſæpiùs laudant Gregorium noſtrum, vt Innocent. III. in cap. cum ad Monaſterium de ſtat. Monach. & alij. Et Patres Concilij Tolet. 4. can. 5. vnicam merſionem in baptiſmo probarunt, moti auctoritate Epiſtolæ Gregorij quæ eſt 41. lib. 1. can. de trinâ. can. propter de conſecrat. diſt. 4.

ANT. DADINI

ANT. DADINI ALTESERRÆ ANTECESSORIS TOLOSANI

NOTÆ ET OBSERVATIONES AD LIBROS duodecim Epistolarum D. GREGORII PAPÆ. *ejus Nominis I. cognomine Magni.*

AD LIBRVM PRIMVM.

MENSE *Septembri indictione nona.* Eâ ætate non desierat ratio numerandi annos per indictiones vt patet ex hoc loco & alijs Epistolis GREGORII. A Constantino initium cœpit vsus numerandi annos à Christo nato, adjectis indictionibus, quæ non vltrà quintum & decimum annum porrigebantur, vt Onufrius Panuinius prodidit ex Fastis consularibus. Falsò huius instituti Auctorem Theodosium seniorem credidit Cedrenus. Indictio signatur hic sub mense Septembri. Quia indictio quæque incipiebat à vigesimo quarto mensis Septembris Ambros. Epist. 25. *Hic autem mensis octavus est,* *Inscrip. libr.*

secundum consuetudinem nostram, indictio enim Septembri mense incipit, idem obseruatur ex l. vlt. c. de annon. & tribut. Eadem ratione annos numerandi, per indictiones vsi sunt Iustinianus l. vnic. c. de Iustin. Cod. confirm. l. 2. §. Leges autem c. de veter. iur. enucleand. Nou. 47. & Imperatores Germanici vt liquet ex cap. inter dilectos extr. de fid. instrument. imo & posteriores Pontifices Can. in nomine Domini 23. dist.

Epist. 1. Can. valdè necessarium 94. dist.

Quamobrem Petro Subdiacono sedis nostræ intra Prouinciam Siciliam vices nostras Deo auxiliante commisimus. Petrus Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ primum à Gregorio Papâ constitutus defensor patrimonij Ecclesiæ Romanæ, quo in munere eius fidem, diligentiam, & rerum agendarū peritiam is expertus, vices suas ei credidit intra Siciliam, id est Vicarium Sedis Apostolicæ in eadē Prouinciâ eum designauit. Antiqui moris fuit vt Summus Pontifex Vicarios suos & Sedis Apostolicæ, sibi assumeret, nonnullos Episcopos in Prouincijs Orbis Christiani. Hoc ritu Leo M. Anastasium Episcopum Thessalonicensem, Vicarium suum per Orientem constituit, & idem Potentium in regionibus Africæ Epist. 84. & 87. Acatio Patriarchæ Constantinopolitano sollicitudinem Ægypti commendauit Gelasius I. Epist. 13. & anteà Celestinus Cyrillo Alexandrino Patriarchæ, Vicariam super Patriarchatum Constantinopolitanum. Postea vero Hormisdas Sallustium Episcopum Hispalensem Vicarium suum per Beticam & Lusitaniam ordinauit Epist. ad eundem. Et idem Remigium Rhemensem Episcopum per Regnum Clodouei Regis saluo priuilegio Episcopi Arelatensis Legatum seu Vicarium Sedis Apostolicæ instituit Epist. quam edidit Fortunat. in vit. ipsius Remigij apud Surium tom. 1. Ian. 13. & idem Hormisdas Ioanni Episcopo, vices suas commisit in Prouincijs Hispaniæ Can. Seruatis 25. qu. 2.

sic & Vicarium suum per Illyricum Vigilius Papa iussit esse Episcopum Primæ Iustinianæ, cui & D. Gregorius ex inito hinc more vices quoque suas delegauit infr. libr. 4. Ep. 15. ind. 13. libr. 10. Epist. 34. 35. Virgilio Arelatensi Episcopo vices suas in Gallia demandauit Gregorius infr. lib. 4. Epist. 51. 52. 53. Ioannem Philadelphiæ Episcopum, Legatum & Vicarium suum in Oriente aduersus Monothelitas constituit Martinus I. Epist. 3. Desiderio Præsbytero Cardinali & Abbati Cassinensi per totam Campaniam Apuliam & Calabriam vices suas pleno iure commisit Nicolaus II. auctore Leone Ostiensi Chronic. Cass. lib. 3. cap. 13. Interdum etiam minores Episcopis à Summo Pontifice Vicarij Sedis Apostolicæ lecti ob præstantiam meritorum. Vt Petro subdiacono vices suas in Sicilia credidisse Gregorium patet ex hac Ep. 3. & 9. infr. h. libr. Maior erat dignitas Subdiaconorum Ecclesiæ Romanæ, ob principatum Ecclesiæ Romanæ, hinc Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ Procurator seu administrator Ecclesiæ Capuanæ cum libera administratione in spiritualibus & temporalibus dum vacaret constitutus ab Innocentio III. cap. cum nobis extr. de elect. sed hoc tributum est personæ non ordini, & post Petrum Subdiaconum Gregorius ipse Maximiano Syracusano Episcopo vices suas in Sicilia demandauit, non loco id est Cathedræ, sed personæ vt ait ille libr. 2. Epist. 4. ad eundem, *Cui Deo auxiliante noscimur totum nostræ Ecclesiæ Patrimonium commisisse.* Petrus Subdiaconus primum à Gregorio constitutus est defensor patrimonij Ecclesiæ Romanæ, quod erat in Sicilia. Defensores seu curatores Patrimonij Ecclesiæ Romanæ, quod erat in Sicilia & alijs Provincijsadsumebantur ex ordine Clericorum. Vt liquet ex hac Epistola & alijs Gregorij libr. 7. Epist. 17. 18. 19. 20. 21. libr. 9. Epist. 32. quæ refertur in Can. peruenit. 11. quæst. 1.

& ex Epistolis Pelagij Can. Probinus Can. de præsentium 16. quæst. 1. Officium defensorum erat curare & tueri patrimonium Ecclesiæ Romanæ, qua de causa vt spectatior esset eorum potestas ad tuendas res Ecclesiæ, iurisdictio eis tributa d. Can. peruenit. d. Can. de præsentium.

Vt semel per annum ad Syracusanam siue Cathenensium ciuitatem fraternitas vestra conueniat, &c. Ea ætate Episcopi Siciliæ immediatè parebant Summo Pontifici, nec habebant Metropolitas, argumento est quod Gregorius per hanc Epistolam Petro Subdiacono vices suas mandat intra Siciliam, eidemque ius tribuit congregandi semel in anno Concilium omnium Episcoporum Provinciæ, Cathanæ vel Syracusis, in quo omnia ita disponantur, vt merito possit Episcopale Concilium appellari, si enim Sicilia habuisset Metropolitanum, vix Pontifex Petro Subdiacono dedisset potestatem cogendi Concilij Episcoporum, quæ propria est Metropolitani, quam enim sollicitus fuerit de seruanda cuique iurisdictione propriâ, locupletem ipsum testem habemus libr. 9. epist. 32. *Nam si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur, quid aliud agitur, nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur.* d. Can. peruenit.

Epist. 2. *De frumentis autem quia solummodo tanta transmissa sunt, quæ pro transactæ indictionis debito ad replendum sitonicum sufficerent.* Sitonicum est vectigal frumenti quod præstatur in specie ἀπὸ τῆς σίτης quod sonat frumentum, vt ostenditur hic, & libr. 10. epist. 38. *Nam quidquid post hæc in prædicti Sitonici specie, damni contigerit, amplius iam ad Ecclesiæ dispendium sciatis nullomodo pertinere.* Inde Sitonia est munus coëmendi frumenti in vsum Reipublicæ seu ciuitatis l. 2. de vacat. & excusat. muner. Et Sitones sunt curatores annonæ seu frumēti coëmpti, in vsum Reipublicæ L. munerum. §. cura. de muner. &

honor. l.vlt.§. item rescripserunt de adm.rer.ad ciuit.pertin. Sitarcia pro annonâ quæ parata est ad iter vel nauigationem Hieronym. in Matth. proëm. *Satisque miror Eusebi dilectissime, cur Romam subito nauigaturus, hanc tibi à me quasi Sitarciam dari nolueris*, & idem in vita Malchi. *Et noua Sitarciâ id est annona refocillari.* Eadem analogiâ ὁπτοδότης est erogator militaris annonæ Synes. epist.86. *αἱ δ' ἔδωκα τὴν ἐπιστολὴν, ταμίας ἐστὶ τῆ ὁπτοδότης τῶν δαλματῶν τάγματος, cui dedi litteras, quæstor est, & annonæ præfectus cohortis Dalmatarum.*

Quo enim ardore quo studio Episcopatus pondera fugere voluerit is scio, & tamen hæc eadem episcopatus pondera nè mihi deberent imponi non restitistis. Amicè queritur de Ioanne Patriarchâ Constantinopolitano, quod ipsius electionis confirmationem curauerit apud Mauritium Imperatorem. Ægrè Gregorius Pontificatum suscepit, quod ex turpi more iam inolito, coactus sit confirmationem electionis de se factæ, pretio redimere ab Imperatore. Reges Gothorum Arriani pro confirmatione Episcoporum pecuniam corradebant. Cassiod. lib.8.epist.35.Pulsis GothisIustinianus ius confirmandi electiones Episcoporum à Gothis semel vsurpatum, & consuetudinem exigendæ eo nomine pecuniæ facilè retinuit, post Iustinianum Imperatores Græci, etiam à Romanis Pontificibus, certam auri quantitatem pro confirmatione multis annis exactitarunt. Hoc onus dolens subijt Gregor. testis ipse in 4.psalm. pœnit. & Ioannes Diaconus lib. 1. cap. 39. Aimon. lib. 3. cap. 74. & post eum secuti Pontifices donec postulante Agathone Constantinus Pogonatus hoc onus remisit Romanæ Eccleſiæ can. Agatho 63. dist. Anastas. in Vigilio & Agathone. Epist. 4. Io. Diac. lib. 1. cap. 46.

Synodicam vero epistolam, de subsequenti festinatione transmitto. Gregorius creatus Pontifex, de more decessorum Synodicam epistolam misit ad Patriarchas ex hac

epist. & 24. infr. hoc l. Moris erat vt simul ac quis creatus esset Pontifex, collectis vicinis Episcopis, Synodum conuocaret, vt fidei Catholicæ sese tenacissimum custodem declararet. Vnde Synodalis epistola transmitti solebat ad vniuersos orbis Christiani Episcopos maximè ad Patriarchas. Io. Diacon. lib. 1. cap. 3. post Concilium Synodalis epistola solebat mitti ad Episcopos vt gesta Concilij roborarentur consensu omnium, Theophil. Episcopus Alexandrinus epist. ad Epiphanium Salaminæ Cypri Episcopum quæ est inter opera Hieronym. *Dignationis tuæ est, & positos in prælio consolari, & Synodicas litteras, tam ad nos quam ad Constantinopolitanæ Vrbis Episcopum, & si quos alios putamus mittere, vt consensu omnium & ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur.* Synodica vocat Hieronym. Epist. ad eundem Theophil. 5. *Simulque obsecro, vt si qua Synodica habes, ad me dirigas, quò possim tanti Pontificis autoritate firmatus, liberiùs, & confidentiùs pro Christo ora referare.* Etiam Patriarchæ statim post ordinationem solebant mittere Synodalem epistolam ad Romanum Pontificem, communonis fidei testandæ causa Anastas. in Eugenio. *Huius temporbus Petrus Patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam epistolam, ad Sedem Apostolicam iuxta consuetudinem priorem.*

Baccandam fratrem & Coëpiscopum nostrum. Synodicam Epistolam transmisit ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum per Baccandam Coëpiscopum, hic fuit Episcopus Formiensis infr. epist. 8. h. lib. & infr. libr. 12. epist. 18. quem ait se ad hoc relaxasse, id est è curia dimisisse.

In ipso meæ ordinationis initio, multis & grauibus pressus occupationibus relaxaui, id est dimisi. Vnde & Clerici prohibentur comam relaxare, id est promittere. Gregorius 2. in can. si quis ex Clericis 23. dist. cap. 4. ex. de vit. & honest. Cleric. *Si quis ex Clericis comam relaxauerit, sit ana-*

thema, Inde vernaculum *relascher.*

Theotistæ sorori Imperatoris. Ea est soror Mauritij Imperatoris de qua infr. lib. 9. epist. 39.

Miror autem quod in me collatas dudum continentias vestras, ex hac moderna pastoralis officij continentiâ d straxistis. Gregorius notus erat Theotistæ sorori Mauritij Imperatoris, à quo tempore functus est officio Apocrisiarij, seu responsalis Sedis Apostolicæ in Comitatu Constantinopolitano, creatus Pontifex hanc Epistolam scripsit ad Theotistam, in qua queritur de iniecto opere Pontificatus, & inter ea quod non intercesserit apud Imperatorem; nè eius electio admitteretur, & hoc est quod ait se mirari quod veterem in se continentiam distraxerit, id est affectum. Continentia est coniunctio animorum, vel rerum vt continentia supercilij Hieronym. ex personâ Paulæ & Eustochij ad Marcellam. *Inter hæc quæ vel prima in Christianis virtus est, nihil arrogant sibi de continentiâ supercilij.* Non eadem est acceptio in loco proximo ex moderna pastoralis officij continentiâ, aliter enim continentia hic accipitur pro statu & conspectu personæ, vulgò *contenance*, vt infr. lib. 4. epist. 30. *sed quia uos valde in continentiâ nostra benignos inuenimus.* Alia significatione pro modo alimentorũ continentiam accepit Grego. l. 2. indict. 1. epist. 28. *Qui quoniam sicut nostis, vtroque parente orbatus est, eminentiæ vestræ tuitionem, & continentiam præstolatur* idem l. 4. epist. 50. *Cunctis diebus vitæ suæ eorumdem locorum continentiam, sicut consueuerant ante percipiant*, & idem lib. 1. epist. 18. *vt ipsi pro victu & vestimento, stratoque ad continentiam, pueroque eius annonam, quantum prospexeris satis esse constituas.* Eodemque sensu continere egenum pro sustentare dixit idem prædict. epist. 28. paulò inferius. *Ei locum vel actionem prouideat, ex qua quotidianis stipendiis valeat contineri.* Variè vsus est Pontifex huius vocis appellatione, ac penè abusus est, & in ea lusisse videtur. Alijs continentia sumi-

tur pro serie, vel tenore instrumenti, l. iuxta C. de liberal. caus. hoc sensu Cæsarius de Miracul lib. 2. cap. 10. *Mox enim vt Abbas Cartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam delectam inuenit.* Continentia venditionis in l. 29. C. Th. de petit. & causę continentia pro tenore litis l. nulli C. de iudic. vel continens Quintilian. orat. inst. lib. 3. cap. 11. *Quid litem faciat, quod ab illis causa, vel continens dicitur.* Vulgò continentia pro contenemento, seu modo agri.

Sub colore Episcopatus ad seculum sum reductus. Queritur Pontifex se occasione Pontificatus seculo redditū, quod munus Pontificis curis secularibus valde esset implicitum, maximè propter infelicem statum Italiæ cui tunc incubabant Longobardi. Eandem querelam frequenter repetit Pontifex alijs locis vt infr. epist. 24. h. libr. *Suscepto itaque Pastoralis curæ onere, cum cuncta hæc, atque alia huiusmodi multa considero, videor quod esse non possum, maximè quia hoc in loco quisquis pastor dicitur, curis exterioribus grauiter occupatur, ita vt sæpe incertum fiat, vtrum pastoris Officium, an terreni proceris agat,* & idem in Ezechiel. homil. 11. *Quando valeo & de his quæ sunt necessaria fratribus cogitare, & contra hostiles gladios, de vrbis vigilijs sollicitudinem gerere, nè incursione subita ciues pereant prouidere, & inter hæc omnia pro animarum custodiâ plenè atque efficaciter, verbum exhortationis impendere.* Et idem Homil. 17. in Euangel. *Est & aliud fratres charissimi, quod me de vita pastorum vehementer affligit, sed nè cui hoc injuriosum videatur, fortasse quod assero, me quoque pariter accuso, quamuis barbarici temporis necessitate compulsus, valdè in his iaceo inuitus, ad exteriora enim negotia delapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus,* & paulò post. *Curis enim secularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur.* Eadem querela Augustini epist. ad Hieronym.

nym. *Quamquam itaque nos negotiorum alienorum, eorumque secularium curis circumstemur ingentibus, tamen Epistolæ tuæ breuitati facilè non ignoscerem.*

Ecce Serenissimus Dominus Imperator fieri Simiam Leonem iussit. Gregorius Pontifex creatus non sine assensu Mauritij Imperatoris. Electio & ordinatio Romani Pontificis eâ ætate non fiebat absque consensu Imperatoris Can. cum Hadrianus. Can. ego 63. dist. de quo Paulus Diacon. de gest. Langobar. libr. 3. cap. 20. *Denique post Benedictum Papam, Pelagius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, absque iussione Principis ordinatus est, eo quod Langobardi, Romam per circuitum obsidérent, nec posset quisquam à Roma progredi.* Ideo Gregorius ait de se Imperatorem iussisse fieri Simiam Leonem, humilitatis studio ait se de Simia Leonem factum, vt respueret laudem, & commendationem Narsetis Patricij amici, qui post electionem eius, litteras ad eum scripserat, quæ non extant, quibus honoris causa Leonem vocabat, nimirùm fortissimum sciens ad expugnandos hostes Ecclesiæ & Imperij, cui respondit Gregorius epist. prox. infr. *Certè frater charissime Simiam Leonem vocas.*

Et quidem prouisione illius vocari Leo potest, fieri autem Leo non potest, in eandem sententiam Ioan. Chrysost. in act. Apost. cap. 52. ὥσπερ γὰρ ἰατρον οὐκ ἂν ποιήσει Βασιλεὺς οὐδὲ ῥήτορα, *sicut neque medicum facit Rex, neque Rhetora.* Ait prouisione, id est edicto principis. Prouisio est pragmatica edictum principis quo rebus certis prouidetur infr. epist. 67. h. lib. *ita necesse est nostra prouisione, quemadmodum negotia eorum disponi debeant ordinare.*

Narsi Patricio. Gregorius post electionem epistolam accepit à Narsete Patricio amico suo, cui respondet hac epist. Narses ex Chartulario fuit Præfectus Italiæ Paul. Diacon. de Gest Langobard lib. 2. cap. 1. eundem Comitem vocat lib. 5. epist. 14. *Epist. 7.*

Quod verò causæ & nominis similitudinem faciendo, per scripta vestra, clausulas, declamationesque formatis. Post electionem Gregorij Narses Patricius ad eum epistolam scripsit, quâ gratulatus est de electione ipsius, & eum elegantiori stylo commendauit de eximijs dotibus, quibus pollebat, ludens in nomine Gregorij quod sonat vigilantem, & Leonem vocitans, in præconium fortitudinis animi. Gregorius rescripsit ad eundem hanc Epistolam, quâ respuit huiusmodi laudes, quæ quod figurato sermone continerentur, huiusmodi figuras vocat clausulas, & declamationes, quod sint propriæ declamatorum, & Rhetorum. Propriè clausula est conclusio sermonis, vel vbi desinit sententia Quintilian. instit. lib. 8. cap. 5. *Vocatur aliquid & clausula; quæ si est quod conclusionem dicimus, & rectè & quibusdam in partibus necessaria est,* & infrà *neque enim possunt tam multæ bonæ sententiæ esse, quam necesse est, multæ sint clausulæ.* Et Hieron. in Iob. cap. vlt. *Ad te Beatissime Pater Vectori clausulam sermonis mei dirigo.* Cyprian. de singular. Cleric. *vt semel omnia colligamus ad clausulam.* In libris iuris doli clausula, est solemnis formula, quæ stipulationibus apponi sole-
Epist. 7. bat, hoc modo *dolum malam abesse, abfuturumue* l. si id quod. l. stipulationes, l. doli, l. si ita quis §. vlt. de v.o.

A sereniſsimis Dominis quantis valui precibus postulaui. Hi sunt Mauritius Imp. & Theodosius eius filius iam coronatus. Vt patet infr. ex lib. 4. epist. 44. & lib. 11. epist. 1. Anastasio Sinaita Antiocheno Episcopo sede suâ pulso à Mauritio & eius consorte, petit eius restitutionem hac Epist. & inf. hoc lib. epist. 27. Theodosius Mauritij Augu-
Epist. 8. sti filius à Ioanne Patriarcha, quatuor annos natus cum medio, Imperij coronam suscepit. Theophan.

Et ideo quoniam Ecclesiam Menturiensem funditus tam Cleri quam plebis destitutam solatio cognouimus. Lege Minturnensem. Gregorius Minturnensem Ecclesiam quæ

est in Latio, diutinis Gothorum, & Longobardorum bellis pastore & plebe destitutam, Formianæ Ecclesiæ in qua corpus Beati Erasmi martyris, adunauit ex hac epist. quam retulit Ioannes Diaconus lib. 3. cap. 14. Ijsdem de causis Cumanam & Misenatem Ecclesias plebe exhaustas, vniuit idem Pontifex, & alias pariter Ecclesias Trium-tabernensium Ecclesiæ coniunxit infr. lib. 2. epist. 31. & 35. quæ referuntur apud Ioannem Diaconum lib. 3. cap. 14. 15. & apud Gratianum. can. & temporis. can. postquam 16. q. 1. Vnioni huiusmodi Ecclesiarum locum dedit clades Italiæ, Longobardorum armis pene in solitudinem redactæ, quam deplorat Gregor. homil. 17. in Euang. *Ecce depopulatæ vrbes, euersa castra, Ecclesiæ ac Monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt.* Idē in Ezech. hom. 9. *Nobis hoc apertè dicitur qui afflicti oppressi, concluſi, omnia quæ in hoc mundo habuimus bona, perdidimus. Vrbes erutas, euersa castra, depopulatos agros, suffossas Ecclesias videmus &c.*

Et Abbas Monasterij sancti Theodori in Sicilia Prouinciâ in territorio Panormitano. Monasterium fuit S. Theodori in agro Panormitano, vt hic. & inf. lib. 4. epist. 4. Aliud fuit Monast. S. Theodori apud Messanam inf. h. lib. epist. 38. Epist. 9.

Et ideo volumus accedente te ad Panormitanam ciuitatem quæstionem ipsam tali ratione discutere. Mandat Petro Subdiacono defensori patrimonij Ecclesiæ Romanæ, quod erat in Sicilia, vt discutiat quæstionem quæ erat inter Abbatem Monasterij S. Theodori apud Panormum, & quosdam colonos seu possessores prædiorum iuris Ecclesiæ Romanæ, de finibus cuiusdam prædij non per se iudicaturus, sed electis arbitris. Officium Defensorum patrimonij Ecclesiæ Romanæ erat curare & tueri res Ecclesię, census & reditus Ecclesiæ colligere, eosque inferre horreo vel arcæ Ecclesiæ, nec non de litibus quæ versarentur inter colonos & possessores prædiorum Ecclesiæ, vel inter ipsos & priuatos cognoscere. Et ideo Pelagius in can.

de præsentium. 16. qu. 1. rectè ait Officium defensoris non conuenire Monacho, *omnimoda enim* inquit *est illius habitus, & istius officij diuersitas, illic enim quies, oratio labor manuum, & hic causarum cognitio, conuentiones, actus publici, litigia, & quæcumque vel Ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas poscit.* Eorumdem officij erat cognoscere de causis, quæ erant inter Episcopum, & Clericos, vel Laïcos, sed parciùs de his solebant cognoscere, magisque sese interponebant, vt arbitri eligerentur litis sopiendæ causa. Gregor. Romano defensori Siciliæ l. 9. epist. 32. quæ refertur in can. peruenit 11. qu. 1. *Si quis vero Clericus, vel Laïcus contra Episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes, vt inter eos aut ipse cognoscas, aut certè te admonente sibi iudices eligant.* Mandatur Petro Subdiacono vt de ea re cognosceret, cum accederet ad Panormitanam ciuitatem, quia habebat occasionem per tempora eò accedendi, muneris obeundi causa. Nimirùm duę fuérunt stationes, patrimonij Ecclesiæ Romanæ, in quibus à possessoribus præstabantur census debiti Ecclesiæ Romanæ Panormi & Syracusis Gregorius infr. lib. 10. ep. 49. *Sed siue in Syracusana, siue in Panormitana parte dare voluerint, hoc solum vestra sanctitas sit intenta, vt vtiles per omnia reditus accipiat.* Ecclesia Romana habuit luculentum patrimonium in Calabria, & Siciliâ, Nicolaus I. ep. 1. *Calabritanum patrimonium & Siculum quoque nostræ Ecclesiæ concessa fuerunt, & ea possidenda obtinuit, & disponendo per suos familiares regere studuit, vestris concessionibus reddantur.* Defensoribus agentibus in Prouincijs extra ordinem, mandabantur variæ cognitiones, de causis Episcoporum, etiam de eorum depositione & restitutione, & de reformatione Monasterior. vt patet infrà ex ep. 50. 51. 52. 53. 54. lib. 11. vnde sumptus est can. in primis. 2. qu. 1.

Dominio rei apud possessorem, sicuti hactenus possessa est videlicet permanente. Pontifex secutus est ordinem

iuris, quia possessor pendente lite tuendus est in possessione suâ. L. Imperatores §. vlt. de appellat. l. moueor. C. si seruus exportand. venierit. can. quia res. 11. q. 1.

Vt si Monasterium sancti Theodori, fines de quibus certatio mota est, inconcussis quadraginta annis possediſſe repereris, nullam deinceps, etiam si quid sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit, patiaris sustinere calumniam. Constitutione Iustiniani præscriptio 40. annorum valet aduersus Ecclesiam, sola Ecclesiâ Romanâ gaudente præscriptione centum annorum Nou. 131. cap. *6.* vnde desumpta est auth. quas actiones C. de SS. Eccles. Gregorius minùs indulgens commodis suis, hoc loco admittit præscriptionem 40. annorum, etiam si ageretur de rebus quæ erant iuris Romanæ Ecclesiæ, sed hoc fortè quia res non erat immediatè Romanæ Ecclesiæ, sed mediatè per colonum & possessorem. Et sic accipiendus est can. volumus 16. qu. 1. qui à Gratiano desumptus est ex hac epist. vel Gregorius noluit vti constitutione Iustiniani sub initia Pontificatus, nè initia Pontificatus austeritatis labe macularet.

Honorato Diacono Salonitano. Honoratus Archidiac. Ecclesię Salonitanę, quę est in Dalmatia, à Natali Episcopo Salonitano, inuitus & reclamans, promotus ad Presbyteratum, de quo conquestus apud Pontificem, iussu ipsius restitutus est suo ordini, nè inuitus promoueretur, ad altiorem ordinem, qui tamquam indignus à minori, id est à diaconatus officio remouebatur, neuè fortioris honoris specie, arte callidâ degradaretur, de quo præter hunc locum infr. ep. 19. h. lib. & lib. 2. epist. 14. 15. 16. 32. quæ referuntur in can. gesta, can. Honoratus 74. dist. Archidiaconi munus non erat perpetuum, Ioannes diù functus munere Archidiaconi, factus est Episcopus Cabillonensis de quo Sidon. lib. 4. epist. 25. *Archidiaconus in quo seu gradu, seu ministerio, multum retentus propter industriam, diù dignitate non potuit augeri, nè potestate posset abscidi.* Et Cor-

nelius Pontifex cum videret Nouatũ nouis rebus studentẽ, & Pontificatus apicẽ affectantẽ, quò ei viam ad Pontificatũ pręcluderet in presbyterũ ordinauit. Auctore Eulogio Alexandrino lib. *6.* apud Photium. Nemo quidem inuitus potest ordinari can. vbi ista 74. dist. can. denunciamus 25.q.2. & hoc est quod ait Gregorius prædicta epist. 19. h. lib. *Iustum esse vt nemo crescere compellatur.* Si quis tamen vltrò minores ordines susceperit : etiam inuitus potest, ad maiores ordines promoueri, pro necessitate Ecclesiæ can. si qui. can. placuit. can. consuluit. 74. dist.

Tu in hoc reatu constringeris, qui per Archidiaconatus ordinem custodiæ eiusdem Ecclesiæ arctius implicaris. Cura sacri ærarij erat penès Archidiaconum, de Laurentio Xisti Pontificis Archidiacono testatur Prudent. hymno. 11. Peristephan.

Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clauibus
Votaque dispensans opes.

Sulpit. Seuer. Dialog. 2. de virtutib. B. Martini. *Tunc ille accersito Archidiacono, iussit algentem sine dilatione vestiri.* Ideo Gregorius hic Honorato Archidiacono significat, ipsum reum teneri, si cum fide, & diligentia opes Ecclesiasticæ non seruentur.

Epist. 11. *Diaconum vero Anatholium quem ad vos dirigi popposciſtis, hoc nos facere non posse, causæ magis modus, quam rigoris austeritas facit.* Clementinæ Patriciæ petenti Anatholium Diaconum mitti Constantinopolim Apocrisiarium seu Responsalem, non annuit, quia vice Dominus Ecclesiæ Romanæ iam constitutus erat. Hic tamen postea Apocrisiarius missus est Constantinopolim post Sabinianum, ibique vita functus est de quo infra libr. 8. epist. 42. ind. 3. & libr. 10. epist. 22. ind. 5.

Vice-Dominum enim eum constituimus, cuius arbitrio Episcopium commissimus disponendum. Hinc sumptus est Can. Diaconum 89. dist. Vice Dominus est Vicarius Episcopi,

in temporalibus, Gregor. infr. libr. 9. epist. 66. *Volumus vt frater noster Paschasius*, (is erat Episcopus Neapolitanus) *& Vice Dominum sibi ordinet, & maiorem domus, quatenus possit vel hospitibus superuenientibus, vel causis quæ eueniunt idoneus & paratus existere.* Can. volumus 89. dist. sic Vice-Dominum appellatione procuratoris Ecclesiæ comprehendit Vrbanus II. in Can. Saluator. 1. quæst. 3. *Nomine vero procuratoris intelligit præfata Synodus quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem, vt verbi gratiâ Præpositum, Oeconomum Vice-Dominum,* fusè de his differt. iur. Canonic. libr. 2. cap. 4.

Et sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari missas permittatis. Epist. 12. Nè sepulturæ mortuorum, & missæ celebrari vetentur in Monasterijs, constituit Gregorius hac epist. vnde desumptus est Can. Agapitus 16. quæst. 1. in Monasterijs prohibentur missæ publicæ, in quibus est conuentus plebis ex ipso Gregorio infr. libr. 4. epist. 43. vnde petendus est Can. Luminoso. 18. quæst. 2. & ex constitut. Callisti 2. Can. interdicimus 16. quæst. 1. Sed permittuntur missæ priuatæ, vel aliæ etiam solemnes quæ celebrãtur pro mortuis, in quibus tamen non fit conuentus plebis. Iam à temporibus Gregorij licuisse laicis sepulturam eligere in Monasterijs probat hic locus. Postea idem specialiter concessum est mendicantibus, putà fratribus Prædicatoribus & Minoribus. Clem. dudum de sepultur.

Quoniam ergo Luminosa honesta fœmina, relicta clarissimi Zemarchi Tribuni, nostræ se post Deum tuitioni commisit, Epist. 13. Episcopo commendat viduam, quæ erat sub tuitione Sedis Apostolicæ. Viduæ sunt sub tuitione Episcoporum Synod. Sardicens. Can. 7. τοῖς πένησι καὶ τοῖς λαϊκοις ἢ ταῖς Χήραις συναίρεσθαι καὶ ἐπικουρεῖν. *Pauperibus & laicis & viduis Episcopus auxilium ferat.* Synod. Matisconens 2. Can. 12. *Decernimus vt iudices non prius viduas, & pupillos conueniant, nisi Episcopo nunciarint, cuius sub velamine degunt.* Ideo de

causis viduarum cognitio pertinet, ad iudicem Ecclesiasticum, cuius interest viduas defensare cap. ex parte cap. ex tenore. de foro competent. cap. super quibusdam de v. s.

Huic vero solatiari, in quo sibi necesse fuerit admonemus nullusque sit ei de quolibet molestus articulo, solatiari accipe pro solatium præbere, sic infr. epist. 19. hoc libr. *solatiante Domino nobis*, & libr. 2. ind. 11. epist. 1. *Experientia ergo tua in tota virtute in hac causa solatiari festinet.*

Sed quia Comitiuam illam, quam vir eius agendam susceperat, nunc, Theodoro Palatino concedente, ipsi est mulieri vt peragere debeat attributum, vel quem ipsi placuerit, donec præsentis indictionis celebretur impletio. Tribuni idest Præpositi Scholarum Sacri Palatij Comitiuæ dignitate fruebantur l. vnic c. de Comit. & Tribun. Scholar. ea dignitas viduæ seruatur ad tempus, done indictio quæ erat 15. annorum impleretur. Hoc loco Gregorius voluit Comitiuam quâ potiebatur, dum superstes erat Zemarchus Tribunus quæ á Theodoro Palatino concessa est eius viduæ, ei tribui, donec ea quæ tunc currebat indictio impleretur. Viduæ nihil de suo tribuit, sed tuetur gratiam quæ viduæ concessa erat à Theodoro Palatino, id est Comite Sacri Palatij, quia viduæ sunt sub tuitione Ecclesiæ.

Epist. 14 *Quem recepta satisfactione in fidem Catholicam communicasse cognoscas.* Mandat Demetrio Episcopo Neapolitano Stephanum & alios lapsos in hæresim, in communionem Ecclesiæ recipi. Post satisfactionem lapsi in hæresim, idest post emensam pœnitentiam, & abiurationem hæresis, scripto id est per libellum factam recipiuntur in communionem Ecclesiæ Can. conuenientibus. Can. quoties. Can. maximum. 1. quæst. 7. Can. ego Berengarius de consecr. dist. 2. Lapsos in hæresim ad sanam mentem redeuntes recipi, exceptis auctoribus hæresum, statuit Synodus Alexandrina de qua Hieronym. ad Luciferianos. *Post reditum confessorum in Alexandrina postea Synodo*

do constitutum est, vt exceptis authoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur. Clericos lapsos ad laicam communionem dumtaxat restituendos censuit Cyprian. epist. 52. 67. 72. 78.

Memoratæ (Populonensi) *Ecclesiæ visitator accedas.* Balbinum Episcopum Rosellanum Populonensi Ecclesiæ vacanti visitatorē dedit. Vacantibus Ecclesijs Romani Pontifices solebant Visitatores viciniores Episcopos submittere, maximè in Regionibus Italiæ & Siciliæ, vt patet ex Epistolis Pelagij, & Gregorij ipsius, quas Gratianus contexuit can. Episcopus. can. obitum can. Catinensis can. quoniam 61. dist. can. talia 8. quæst. 1. can. quoniam 12. quæst. 1. can. charitatem. can. non liceat. ead. caus. quæst. 2. & epist. ipsius Gregorij 5. & 7. 9. h. libr. & infr. libr. 5. epist. 21. Visitatoris Officium erat, res Ecclesiæ tueri, & administrare, promouere electionem idonei pastoris d. can. obitum d. can. Catinensis d. can. quoniam, ita vt sumptu Ecclesiæ sustentaretur. d. can. charitatem. Eiusdem erat dare operam vt intra annum Episcopus eligeretur, quod si rem neglexisset, anno elapso remouébatur, nec poterat eligi in Episcopum, quia erat nudus arbiter & promotor electionis faciendæ, vnde μεσίτης, seu intercessor dicitur Conc. Carthag. 5. can. 8. can. constitutum 7. quæst. 1. & conc. Carthag. apud Balsamonem can. 77. Eiusdem erat monasteria curare d. can. obitum. Clericos delinquentes coërcere cap. dilectus de rescript. presbyteros & clericos ordinare, quibus locis visum esset. infr. Gregorij libr. 2. epist. 29. quæ refertur in d. can. quoniam, vnde mandat eidem Visitatori, vt in Ecclesia vacante, vnum presbyterum, & duos Diaconos Cardinales ordinet, & in parœcijs eiusdem Ecclesiæ tres presbyteros. Olim non modo in Ecclesiâ Romanâ, verum etiam in minoribus Ecclesijs, fuére presbyteri & diaconi Cardinales. Presbyteri, vel diaconi Cardinales dicebantur, qui *Epist. 15*

vacantibus Ecclesijs incardinabantur, id est in cardine Ecclesiæ quasi in titulum constituebantur. Gregor. infr. epist. 7. 9. h. libr. *Ea de re quoniam Ecclesia Salonensis, Sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus Martinum fratrem, & Coëpiscopum nostrum, ibidem Cardinalem constituere sacerdotem.* Idem libr. 2. epist. 13. quæ refertur in can. relatio. 21. quæst. 1. *Et quia defuncto Petro Pontifice suo, te sibi Cardinalem postulant constitui Sacerdotem.* Idem libr. 5. epist. 11. *Fraternitatem tuam à nobis petijsse recolimus, vt Gratianum Ecclesiæ Benafranæ Diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ Cardinandum*, quem infra vocat diaconum Cardinalem can. fraternitatem 71. dist. Presbyteri & diaconi Cardinales quoque dicebantur, qui propriâ Ecclesiâ destituti, ob hostilem occupationem, solatij causa in alijs Ecclesijs incardinabantur, & ita intelligendi sunt in d. can. fraternitatem.

Epist. 16 *Seuero Episcopo Aquileiensi.* Seuerus Episcopus Aquileiensis Schismaticus, ob damnata tria capitula Chalcedonensis Concilij, à Gregorio sollicitatur ad vnitatem Ecclesiæ, & vocatur ad Synodum Schismatis componendi causa, de quo & infra libr. 2. epist. 32. & libr. 9. epist. 69. eius lapsum in vitium Schismatis refert Paulus Diaconus de gest Longobard. libr 3. cap. 27. eundem inter hæreticos connumerat Gregor. moralium libr. 20. cap. 7.

Iuxta Christianissimi & serenissimi rerum Domini iussionem. Imperatores Christianissimi & Sereniſſimi dicti Gregor. epist. 23. infr. h. lib. *Vnde omnipotentem Deum deprecor, vt sua nos protectione custodiat, nobisque & apud se gratiam, & apud sereniſſimos Dominos largiatur*, idem lib. 4. epist. 32. ad Mauricium Augustum, *quæ enim sereniſſime Domine, virtus humana, quodque carnei robur brachij, contra vestrâ Christianissimi culmen Imperij, irreligiosas præsumeret manus erigere.* Et infr. lib. 9. epist. *& pro vita pijssimi, & Christia-*

nissimi Imperatoris Domini nostri semper orandum. Theodelindam Longobardorum Reginam Christianitatis laude commendat idem lib.7.ind.2.epist.2. *Neque enim aliter de Christianitate vestra fuerat confidendum.* Idem eod.libr.ind. 2.epist.120. Theodorico & Theodeberto Regibus Francorum, *sed hoc ad subueniendum, Christianitatis vestræ magis magisque debet animos permouere.*

Quoniam nefandissimus Antharith. Rex Longobardorum, vt erat Arrianus, orthodoxorum qui erant inter suos, filios in die Paschæ, qui erat solemnis baptizandis infantibus, baptizari prohibuit, quod ei impunè non fuit, eodem enim anno infœliciter extinctus est, de quo præter Gregorium Paulus Diaconus de Gest. Longobard. lib.3. cap.vlt. Aptacharium appellat Greg. Tur.lib. 10.cap.5. *Epist. 17. Antharith. Rex Longobardorum de quo meminit Gregor. infr. lib.2. epist. 32. & Sigebert. ad an. 593.*

Insinuatum nobis est Marcellum Barubicanæ Ecclesiæ, ibidem in Panormitana ciuitate in Monasterio sancti Adriani, in Panormitana ciuitate in pœnitentiam deputatum, Ioannes Diacon.lib.2,cap.58. qui hunc locum exscripsit legit Baruntitanæ, alij Barbicanæ. Petro Diacono defensori patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia præcipit, vt Marcello Episcopo pœnitentiæ causâ in Monasterium detruso victum & vestem subministret. Episcopi, & Clerici lapsi pœnitentiæ causa, solebant in Monasterium deputari. Gregor.infr. hoc lib.epist.42.quæ refertur in can.de lapsis 16.qu.6. *De lapsis Sacerdotibus, vel Leuitis, vel quolibet ex Clero, obseruare te volumus, vt in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima regularia Monasteria require, quæ secundum Deum viuere sciuntur, & in eisdem Monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade.* Et Synod. Agathens.can.50. in can. si Episcopus 50.dist. *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officij honore depositus, in Monasterium detrudatur.* *Epist. 18.*

Et si quæ ciuitates in Prouincia Siciliæ, pro peccatis per

Sacerdotum lapsus, à pastorali regimine vacare noscuntur, de Clero Ecclesiarum ipsarum, vel ex Monasterijs si qui digni ad Sacerdotalem locum possunt inueniri, perspicias. Mandat Petro Subdiacono vt vacantibus Ecclesijs Siciliæ; vel de Clero ipsarum Ecclesiarum Episcopi eligantur, si idonei existant, vel de Monasterijs. Regulariter Episcopus non est eligendus de alienâ Ecclesiâ, nisi in subsidium, si in ipsa Ecclesia idoneus non inueniatur can. nullus.can. obitum.61. dist. cap. cum nobis.extr. de elect. in antiquâ, hoc casu Episcopus potest eligi de alia Ecclesia, vel Monasterio. Monachus potest eligi in Episcopum regularis, vel secularis Ecclesiæ can. statutum.18. qu. 1. Clem. 1. de elect. Multis seculis Monasteria fuére Seminaria Episcoporum, ex eremo Ægyptiâ infiniti propemodùm prodiere Monachi, Athanasius epist. ad Dracontium Monachum, vbi eum inuitat, vt Episcopatum Hermopolis, quæ est Vrbs Ægypti susciperet, quò exemplis eum afficiat, refert multos è Monasterio ad Episcopatum esse vocatos vt Serapionem, Agathonem, Ammonium & alios. E Monasterio sancti Martini Turonensis Episcopi, vicinas plebes certatim vacantibus Ecclesijs Episcopos petiisse refert Seuer. Sulpit. lib. 1. de vit. S. Martini. E Monasterio Sancti Augustini pariter exiere Episcoporum examina. Possidius eius vit. cap. 11. *Ex Monasterio quod per illum venerabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere, atque accipere Episcopos, & Clericos, pax Ecclesiæ, atque vnitas, & cœpit primo, & postea consecuta est.*

Epi. 19. *Gesta quæ nobis in Concilij vestri confecta Secretario direxistis. In quibus Archidiaconus Honoratus addicitur*, Honoratus Archidiaconus à Natali Episcopo Salonitano, in Synodo habitâ in Secretario Ecclesiæ Archidiaconatu depositus, & in Presbyterum promotus. Depositionis gesta ad se transmissa refert hic Gregorius. Secretarium est locus Ecclesiæ vbi sacra gaza, vasa sacra & Reliquiæ San-

ctorum custodiæ causa reponi solebant. Ibi Synodi Episcopales, & Prouinciales haberi solebant. Gregorius Turonens. lib. 5. cap. 17. de Synodo Parisiensi coactâ in causa Prætextati. *Nos collecti in vnum sedebamus, in Secretarium basilicæ Beati Petri.* Episcopo accedenti ad Ecclesiam Visitationis causâ in Secretario erat mansio, seu metatum Episcopi, de Martino testatur Seuer. Sulpit. epist. ad Seuerum Presbyterũ. *Cum ad Diœcesim quandam, pro solemni consuetudine, sicut Episcopis visitare Ecclesias suas moris est, mediâ ferè hyeme Martinus venisset, mansionem ei in Secretario Ecclesiæ Clerici parauérunt.* Et in Secretario Diaconis ante Presbyteros sedere non licet, quia hic erat locus in quo Presbyteri coïbant cum Episcopo Concilij causa, Conc. Arelatens. 2. can. 15. *In Secretario Diacono ante Presbyteros sedere non liceat.* De hoc plura infr. lib. 10. cap. 55.

Sed quia diuinis iudicijs, non poteram resultare. Gregorius inuitus electus Pontifex, mutatâ veste fugam arripuit, & saltus syluarum petijt, sed vt fax supra candelabrum posita latere non poterat, indicio columnę fulgidę super eum quasi de cœlo pendulę detectus, captus & à fuga reuocatus, in basilica Petri consecratus, de quo Io. Diac. lib. 1. cap. 44. tandem assensit, nè iudicio Dei resultaret, id est resisteret. Resultare est resistere repugnare Gregor. Moral. libr. 7. cap. 14. *& resultare consuetudini quasi totis se viribus parat.* Idem libr. 9. moral. cap. 11. *eo semetipsum redarguit, nè contra manum resultet operantis.* Inde resultatio pro pugnâ & contradictione. Idem moral. lib. 8. c. 25. *& dum de diuina æquitate disputant ad resultationis verba prosiliunt*, & resultare dicitur vox quam reddit Echo Ambros. in psalm. in proëm. *vox missa oratione plausu, in montibus resultat.* Papias *resultat, contradicit.*

Epi. 10.

Inno. I. ep. 11. *Si nihil dispositioni nostræ resultat*

Domino Maurentio. Is fuit magister militum vt ostenditur supr. h. lib. ep. 5. eiusdem meminit infr. lib. 10. ind. 5. ep. 5. & lib. 7. ind. 2. epist. 137.

Epi.23. *De possessione quam gloria vestra petyt.* Gloria est certus titulus honoris & dignitatis, quasi diceret dignitas vestra, reuerentia vestra. Hoc genus dignitatis fuit proprium magistris militum, inde glorioſos magistros militum vocat Gregor. vt infr. h. lib. epist. 47. Theodorum glorioſum magistrum militum, & mox Edantium glorioſum magistrum militum. Etiam clarioribus fœminis gloriam tribuit honoris causa vt Sabinellæ lib. 10. epist. 7. *præterea gloriam vestram paterno salutantes affectu.* Posterioribus glorioſus pro inani fastu inflato, Archidiaconum de ærarij Ecclesiastici copiâ tumentem glorioſum vocat Goffrid. Vindoc. lib. 2. epist. 17. *Glorioſus vester Archileuita.*

Præterea Paulino Presbytero Monasterij sancti Erasmi quod in latere montis Soractis situm est, Ioannes Diacon. lib. 2. cap. 56. hoc loco vtitur, sed pro Soractis malè legit Seraptin. Tuenda est vulgata lectio. Fuit Monasterium sancti Sylueſtri in Soractis monte ſitum de quo meminit Greg. dial. 1. c. 7. Regin. 2. chron. ad ann. 746. Anast. in Adrian. 2.

In Oratorio sancti Archangeli, quod in Lucano Castro iuxta sancti Petri basilicam esse dinoscitur, Ioan. Diac. eodem loco legit Callano. A Leone etiam constructum oratorium in honore B. Archangeli in Patriarchio Lateranenſi de quo Anastas. in ipsius, & Paschal. 1. vit.

Ita ergo fac vt impensæ mercedis, tu quoque participium sortiaris. Anthemio Subdiacono defensori patrimonij Eccleſiæ Romanæ mandat vt pecuniam annuam miniſtret nonnullis Monachis & Ancillis Dei egentibus, impensæ mercedis participium nacturus, id est particeps futurus. Participium est communicatio seu participatio boni operis. Eadem analogiâ Petrus Bleſens. epist. 28. *Sicut vnius membri læsione, membra corporis omnia, quodam compassionis participio molestantur.*

Epi.24. *A paribus.* Suscepto Pontificatu Gregorius Synodalem Epistolam scripsit ad Ioannem Episcopum Constantino-

politanum, & alios Patriarchas. Quæ dicta est à paribus quia non vna mittebatur, sed singulæ ad singulos exemplis paribus, vt refert Baron. ad ann. Christi 592. Sic à paribus dicitur epist. scripta ad Clerum & nobiles Corsicæ infr. hoc libr. epist. 79. Apparem donationis pro exemplo à paritate exempli cum Authographo Anastas. in Adrian. *Apparem ipsius donationis, per eundem Atherium adscribi faciens, ipse Christianissimus Rex Francorum intus super corpus B. Petri, propriis suis manibus posuit.*

Nam quid Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur, Episcopus perpetuus intercessor pro plebe apud Deum, mediator seu arbiter inter Deum & populum August. lib. 2. contra Parmenjan. cap. 8. *Notatur Parmenianus quod mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum.*

Quia sicut cuncti liquido cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus prouocatur, in eandem sententiam M. Tull. libr. 2. ad famil. epist. 27. *Hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogati.*

Præconis quippè officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium ascendit. Officium Episcopi est docere Orig. in Leuitic. 8. *Hæc duo sunt, pontificis opera, vt aut à Deo discat legendo scripturas diuinas, & sæpiùs meditando, aut populum doceat.* can. si quis vult. 36. dist.

Sæpe namque vitia virtutes se esse mentiuntur, vt tenacia parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iustitiæ, remissio, pietas velit videri. Idem Gregor. moral. libr. 23. cap. 11. *Sed quia sæpe nonnulla vitia virtutes se esse mentiuntur, sicut effusio nonnumquam misericordia, & tenacia nonnumquam parsimonia, & crudelitas aliquando iustitia vult videri.* Idem ante moral. libr. 13. cap. 9. *Sæpe dum seruare parsimoniam nitimur ad tenaciam labimur, & sæpe dum possessa effusè tribuimus, ad auaritiam ducimur, quia rursum colligere quærimus quod tribuimus.* Idem in Ezechiel. Homil. 1. *nè sic sit parca*

vt tenax sit, quia plerumque tenacia, parsimonia appetit æstimari, vt iustè ac necessariè videatur tenere, quidquid egenti proximo, misericorditer non vult impendere. In idiotismo huius ætatis tenax est idem, quod parcus sordidus, à verbo tenere, quia sordidus vult omnia tenere, nec quidquam expendere, inde tenacia sordiditas. Idem in Ezech. homil. 11. *Nam & sapiens mulier Nabab ebrium videns, increpare de culpâ tenaciæ noluit.* Idem moral. libr. 1. cap. 3. *Pensemus ergo, quanta fortitudine præditus extitit, quem ad hæreditatis tenaciam, nec tot hæredum affectus inclinauit.* Idem moral. lib. 19, cap. 17. *Victa est per abstinentiam gula, destructa ventris ingluuies, superata est largitate tenacia, auaritia depressa.* Ob huiusmodi tenaciæ & inhospitalitatis vitium ab Episcopatu Anconitano repulsum Florentinum Archidiaconum refert idem infr. libr. 12. epist. 6. ind. 7. *Addentes etiam ita illum tenacem existere, vt in domo eius amicus ad charitatem numquam introëat,* & paulo post ea de re inquiri mandat, & vtrum *ex necessitate, an ex tenacia* talis sit.

Disciplina ergo, vel misericordia multum destituitur si vna sine altera teneatur, sed magna discretionis arte seruanda est, & iustè consulens misericordia, & piè feriens disciplina. Idem penè eisdem verbis refert idem moral. libr. 20. cap. 6. *Disciplina enim, vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur, sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina,* quod vtroque loco comprobat symbolo arcæ veteris testamenti, in qua cum tabulis legis, virga simul & manna erat, id est virga districtionis, & manna dulcedinis.

Sicut Sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Hæc Synodalis epistola continet professionem fidei Gregorij, in qua ait se suscipere quatuor Concilia generalia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum I. & Chalcedonense velut quator Euangelij libros. Quam retulit Ioannes Diaconus

nus libr. 2. cap. 3. & Gratianus can. sicut sancti. 15. dist. Eadem est professio Gelasij, can. sancta. ead. dist.

Præterea sicut Patriarchis alijs, vel fratribus, ita & synodicam vobis epistolam direxi, quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod ex voluntate hominum putamini non esse. Epi. 25. Anastasius qui dictus est Sinaita Patriarcha Antiochenus, licet Sede suâ pulsus à Mauritio Imperatore, in eius locum suffecto Gregorio, non habebatur pro deposito, itaque ad eum Synodalem Epistolam scripsit Gregorius, sicut ad vnum è quatuor Patriarchis. Sic Hilarius Pictauiensis Episcopus iam quartum annum exulans in Phrygia, iussu præsidis, vocatus est ad Seleucienſem Synodum, data euectione publicâ quod apud Patres non haberetur pro deposito. Seuer. Sulpit. hist. sacræ lib. 2. *Qua tempestate Hylarius Pictauiensis Episcopus, quartum iam exsilij annum in Phrygia agens, inter reliquos Episcopos, per Vicarium, ac præsidem, data euectionis copiâ, adesse compellitur, cum tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator, Iudices tantum generalem iussionem secuti, quia omnes Episcopos ad Concilium cogere iubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miscere.* Anastasio postea restituto ei gratulatus est Gregor. lib. 4. ep. 37. ind. 13.

Amatoris autem vestri Beati Petri Apostoli, vobis claues transmisi, quæ super ægros positæ multis solent miraculis coruscare, Anastasio Antiocheno P. C. transmisit claues è corpore, id est è sepulchro B. Petri Apostoli assumptas, Benedictionis causa claues huiusmodi Regibus principibus, & aliis viris eminentioribus, de Ecclesiâ bene meritis, à Romanis Pontificibus transmissæ, quæ solebant clarere miraculis, & curatione ægrorum. His moris erat includi particulam, vel limaturam de catenis Petri. Gregor. epist. 29. infr. h. lib. *Præterea sanctissimam clauem à sancti Petri Apostoli corpore vobis transmisi, quæ super ægros multis miraculis solet coruscare, nam etiam de eius catenis in-*

terius habetur. Idem epist. seq. & inf. lib. 2. ind. 15. epist. 33. lib. 5. epist. 6. & lib. 6. epist. 23. vbi narrat insigne miraculum de vltione diuinâ in Longobardum quendam huius pij instituti contemptorem, & rursum lib. 10. epist. 6. Eiusdem vsus locuples testis Gregorius Turonensis Episcopus de miracul. Martyr. lib. 1. cap. 28. *Multi enim & claues aureas, ad reserandos cancellos beati sepulchri faciunt, qui ferentes pro benedictione, priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantum medeantur.* A Patriarcha Hierosolymitano claues sepulchri Dominici benedictionis gratia ad Carolum M. transmissas testantur Annales Fuldenses & Regino 2. chronic.

Epi. 27. *Præterea indico suggestionem me apud pijssimos Dominos, summis precibus plenam feciſſe, vt virum beatissimum Dominium Anastasium Patriarcham, concesso vsu pallij, ad Beati Petri Apostolorum Principis limina, mecum celebraturum solennia missarum transmittere debuisset, quatenus si ei ad sedem suam minimè reuerti liceret, saltem mecum in honore suo viueret.* Gregor. enixè interceſſit apud Mauritium Imp. vt Anastasius Patriarcha Antiochenus Sedi suæ restitueretur, saltem post obitum Gregorij qui eius sedem indebitè occupabat, & vt interim concesso vsu pallij ad limina B. Petri Apostolorum Principis vna cum Pontifice solennia Missarum celebraturo accedere liceret, & apud Sedem Apostolicam in honore suo esse, Anastasio Patriarchæ Antiocheno concedit vsum pallij secum Missarum solemnia celebraturo. Patriarchæ maiores vtuntur pallio, & postquam illud acceperint à summo Pontifice, suffraganeis suis illud conferre possunt ex priuilegio cap. antiqua ex. de priuil. Solus Romanus Pontifex in Missarum solemnijs semper vtitur pallio & vbique, propter plenitudinem potestatis, alij autem nec semper nec vbique, sed certis diebus & intra Ecclesiam in qua iurisdictionem Ecclesiasticam obtinent cap. ad honorem de auctor. & vsu

pallij. Ex priuilegio Patriarchæ maiores vtuntur pallio, dum adsunt Romano Pontifici Missarum solemnia celebranti, sicut Episcopus Ostiensis pallio vtitur dum Pontificem consecrat ex priuilegio Marci 1. Syluestri successoris. Anastas. in eius vit. *Hic constituit vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Vrbis, pallio vterétur, & ab eodem Episcopo Vrbis Romæ consecraretur.* Idem Robert. Montens. in supplem. Sigeberti. *Ex hac consuetudine Ostiensis Episcopus ordinat, & sacrat Romanum Pontificem, & habet pallium solummodo ad ea quæ pertinent in ordinatione, & consecratione Romani Pontificis.* Ex priuilegio Ostiensis Episcopus Papam consecrat & inungit Imperatorem, propter quæ in Conciliis post Papam primus Sedet, & est palleatus siue palliatus vt refert Hostiensis in. d. cap. antiqua. Maiores Patriarchæ vero vbique habent ius Crucis præferendæ, nisi in Vrbe Româ, & vbicumque summus Pontifex præsens extiterit, vel legatus eius, vtens insigniis Apostolicæ dignitatis. d. cap. antiqua. Vnus summus Pontifex vbique Crucem præfert Anast. in Leone 4. *Fecit isdem benignissimus, Crucem auream, nouiter & ipsa Crux, vt mos antiquitus est, Subdiaconi manibus ferebatur, ante equum prædecessorum Pontificum, quam* Deo *iuuante in auro & argento ac gemmis melius renouauit.*

Aristobolo expræfecto & antigrapho. Antigraphus Græcis ἀντιγραφεὺς. Isid. gloss. *Antigrapheus Cancellarius.* Et Greg. ipse infr. lib. 2. ind. 11. epist. 7. *Sebastiano glorioso Antigrapho.* *Epi. 27.*

Eædem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt sus-pensæ, colla vestra sanctificent, Andreæ de Dibiria transmisit claues, de corpore Petri Apostolorum Principis assumptas, quibus inclusa erat particula, vel limatura de catenis Petri, quæ erant claræ miraculis, ac ideo phylacterij vice, collo appensę gestari solebant. Idem prox. epist. ijsdem verb. & infra lib. 5. epist. 7. *Claues præterea san-* *Epi. 28.*

cti Petri, in quibus de vinculis catenarum eius inclusum est, excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensæ, à malis vos omnibus tuëantur; & rursus lib.10.cap.7. *Indicamus per latorem præsentium Hilarium Chartularium nostrum, clauem nos à sacratissimo corpore Beati Petri, Apostolorum Principis, transmisisse; in qua de catenis quoque ipsius benedictio continetur, quæ collo vestro suspensa, hoc vobis eo intercedente gratiâ absolutionis fiat, quod illi fuit causâ martyrij.* Idem lib.2.ind.11. epist.33. *Transmisimus autem Beati Petri Apostoli benedictionem, crucem paruulam, cui de catenis eius beneficia sunt inserta, quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, sed vestra colla in perpetuum à peccatis soluant.* Idem lib.12. epist.17. *Clauim vero à sacratissimo Beati Petri corpore, in qua de catenis eius benedictio continetur, transmisimus quæ collo vestro suspensa, contra omnia aduersa vos muniat.* Pari religione præsidij, & custodiæ causâ moris fuit Euangelia collo suspensa gestari. Io.Chrysost. homil. 19. ad Antiochenos ἐκ ὁρᾶς πῶς ἂν γυναῖκες, καὶ τὰ μικρὰ παιδία, ἀντὶ φιλάκτης μεγάλης εὐαγγέλια ἐξαρτῶσι τῷ τραχήλῳ, καὶ πανταχοῦ περιφέρουσιν, ὅπου περ ἂν ἀφίωσιν. *Non cernis vt mulieres & parui pueri, pro magnâ custodiâ euangelia collo suspendunt & vbique circumferunt, quocumque abierint.* Vbi caput doleret Euangelium, ad caput apponi, pariter moris fuit Augustin. in Ioannem cap. 7. *Quid ergo cum caput tibi dolet laudamus, si Euangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris.* Et infrà. *Gaudemus quando videmus hominem in lectulo suo constitutum, iactari febribus, & doloribus nec alicubi spem posuisse, nisi vt sibi Euangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Euangelium ligaturis.* Antiqui moris fuit etiam fideles maximè Episcopos reliquias collo suspensas gestare, de Germano Altissiodorensi Episcopo testatur Beda. lib. 1. cap. 18. *Deinde Germanus plenus Spiritu sancto inuocat Trinitatem, nec morâ adhærentem lateri suo capsulam cum*

Sanctorum Reliquiis collo auulsam manibus comprehendit, eamque in conspectu omnium puellæ oculis applicuit, de Arnoldo Episcopo Moguntino Conrad. in chronic. Moguntin. *Reliquiæ quædam quas collo pendentes solitus erat ferre, ab aliis sunt ablatæ.*

Non Romanorum sed Longobardorum Episcopus factus sum, ep. 30. *quorum Sinthiciæ spatæ sunt, & gratia pœna.* Queritur se Pontificem creatum, eâ ætate, quâ Longobardi, vniuersâ penè Italiâ potiebantur, ita vt sibi videretur, non Romanorum sed Longobardorum Episcopus, & vt significet quales essent Longobardi *quorum sinthiciæ*, inquit, *spatæ sunt, & gratia pœna.* Hic locus quidem emendatione indiget, sed in peius deformasse videtur Illustrissimus Cardinalis Baronius potius quam restituisse, dum pro sinthiciæ legi voluit sissitiæ, id est sodalitates à græco συσσιτία. Non ferro & cauterio, sed leui mânu dempta vna literâ facilè curādus hic locus, si pro sinthiciæ legas sinthicæ, quod translatum est à græco συνθῆκαι pacta contractus, vnde efficitur vera & facilis sententia, quorum pacta & contractus, id est iura omnia, quæ apud Romanos constant ex pactis & contractibus, versantur in vi ferri & armorum, vulgò enim ea ætate spatha pro gladio, Turpin. in chronic. cap. 20. *Ante eius tribunal Spatha nuda more imperiali ferebatur.* Aimoin. lib. 1. cap. 12. *& extensa manu Franciscam eius terræ deiecit, quæ Spatha dicitur.* August. in Psal. 149. *Framea appellatur, quam vulgò Spatham dicunt.* Hæc est ratio Barbarorum, qui aliud ius nesciunt quam quod consistit in vi armorum. Pari Elliniſmo Diatheca pro testamentis meliori ætate sumpsit Martialis lib. 12.

O quantum Diatheca valent & quinque comati, Nimirùm à græco διαθήκη quæ vox sonat testamentum. Et Gregorius ipse licet græcæ linguæ imperitiorem se fateatur, græca verba non semel affectauit, vt alio loco Eulogium vsurpauit pro testamento ad piam causam, nimirùm infr.

lib.8.epist.33.ind.3. *Et quoniam scribitis Dulcinnum decessorem ipsius, nihil de rebus Ecclesiæ suæ testatum sed de propriis, ac magis, quæ in prædicto fidelium oblatione collata sunt, eulogium condidisse*, quod promptum est à græco ἐυλόγι.ν, & alio loco non satis habuit dicere ancillas Dei, sed & qualiter à Græcis vocabantur, Monastrias addidit lib. 6. ep. 32. *ancillas Dei, quas vos græcâ linguâ monastrias dicitis*, & Hierarchicos pro prioribus Ecclesię dixit idem lib.3. epi. 11.ind.11. *conuenientibus Hierarchicis, cunctisque cleri prioribus.* Ingenium Longobardornm non inscitè ostenditur & his verbis, *quorum gratia pœna est,* horum enim breuis sententia est, quam Barbari & feroces sint Longobardi, scire studes, hi tales sunt, quorum gratia, & beneficium iniuria, maleficium & grauis molestia est, qui non possunt benefacere, sine iniuriâ. Pœna hic accipitur pro iniuria, dolore, vel cruciatu quolibet, Gregor.ipse moral. lib.9. cap.20. *Cunctis etenim liquet, quod omne desiderium pœna est, cum differtur*, & infrà *pœnæ itaque innocentum sunt desideria iustorum.*

Epist.31 *Philippo Comiti Excubitorum.* Comes Excubitorum erat præfectus militum seu stipatorum qui excubabant in Palatio Principis. Theophilact.Simocatt.lib.3.cap. 11. ἡγεμιὼν δὲ ἔτος ἐτύγχανεν, ὢν τῶν τῦ Βασιλέως σωματοφυλάκων, ἢ ὑφασπιστῶν τῶν, ὃν κόμητα τῶν ἐξκυβιτώρων τῇ συνήθει φωνῇ ἔθος τοῖς ῥωμαίοις καλεῖν. *Dux erat ille stipatorum & speculatorum Imperatoris. Comitem excubitorum vocant, voce Romanis consuetâ.* Zonar. in Leone Armenio. Βασιλεύσας δὲ ὁ λέων, τὸν μὲν τραυλὸν μιχαὴλ πατρίκιον ἐτίμησε, ἢ κόμητα τῆς τῶν ἐξκυβίτων σχολῆς. *Cæterum Leo Imperio potitus Balbum Michaëlem patricium fecit, & scholæ excubitorum Comitem.*

Epist.32 *Romano Patritio & Exarcho Italiæ.* Ioannem vocat præfectum Italiæ supr.epist.22. h.lib. modò Romanum eius successorem vocat Exarchum Italiæ quod idem est. Longinus primus à Iustino Imperatore missus nouo nomine

Exarchi, ad tuendam Italiam aduersus Alboinum Longobardorum Regem, inde cœpit Exarchatus Rauennæ, quia Exarchi sedes erat Rauennæ de quo Paul. Diaco. de gest. Longobard. lib. 2. cap. 5. Hieronym. Rubeus. hist. Rauenn. l. 4. Eâdem ętate Rector. Africæ Exarchus dictus est, extat Gregorij epist. ad Gennadium Patritium & Exarchum Africæ, quæ est 59. infr. h. libr. Romani Patritij & Præfecti meminit Gregor. infr. libr. 4. ep. 10. ind. 13.

Scribendi ad excellentiam vestram, si causa omninò nulla suppeteret. Excellentia est genus dignitatis quod Gregorius tribuit viris eminentioribus vt hic Romano Exarcho Italiæ, non semel sed iterum & tertium, vt hoc loco, & rursus *quia non credimus, quod eum excellentia vestra nisi pro aliqua probabilis excessus causa tenuerit*, & rursus *si autem excellentia vestra aliter se habere, quam de eo quod dicitur esse perspexerit*, Georgio Præfecto Italiæ epist. 35. infr. h. lib. *Non quia quod absit, de viri excellentissimi Domini Georgij Præfecti Iustitiâ dubitamus.* Gennadio Exarcho Africæ infr. ep. 59. h. libr. *Et quia hæc omnia vestram excellentiam conuenit emendare.*

Oportet vt habita Synodo palam fiat, si quod in eum crimen intenditur, Gregorius sciens Blandum Hortensem Episcopum, à Romano Exarcho apud Rauennam detineri mandauit vt sedi suæ restitueretur, & si quod in eum crimen intenderetur, de eo in Synodo Episcoporum iudicaretur, quia Episcopus, non potest damnari nisi in Synodo Episcoporum.

Venantio Cancellario Italiæ, Venantium Cancellarium Italiæ ex-Monachum amicè hortatur, vt redeat ad Monasterium. Pontificis consilium non audijt Venantius, aliquot post annis audiens Pontifex eum grauiter ægrotare, doluit de eius ægritudine. infr. lib. 9. epist. 31. quam exscripsit Io. Diac. lib. 3. cap. 18. *Epist.* 33

Iudæi in Terracinensi Castro consistentes. Petrus Episcopus *Epist.* 34

Terracinensis Iudæis ædes vbi festiuitates suas, seu conuentus agere consueuerant, ademit. Gregorius hoc accepto eis restitui iussit, nè asperitate & duritie nostrorum, à Religione Christiana auocentur, qui verbo prædicationis, & benignitate ad eam adduci poterant. Idem audiens in partibus Massilienſibus Iudæos magis vi & minis, quam oratione ad baptismum adduci, vetuit nè Iudæi cogantur ad baptismum suscipiendum. infr. epist. 45. h. libr. Per hæc tempora Auitus Aruernensis Episcopus, Iudæos aut baptizari aut vrbe cedere iussit. De quo Gregor. Tur. eius alumnus lib. 5. cap. 11. & Fortunat. lib. 5. cap. 4. Posterioribus seculis cum in Iudæos sæuiretur in Hispania, Iudæos non persequendos, sed potius Sarracenos admonuit Alexander II. epist. scriptâ ad Episcopos Hispaniæ quæ refertur in can. dispar. 23. qu. 8. *Dispar nimium est Iudæorum & Sarracenorum causa, in illos enim qui Christianos persequuntur, & ex vrbibus, & proprijs sedibus pellunt, iustè pugnatur, hi vero vbique seruire parati sunt.*

Epist. 35 *In septis Ecclesiasticis insontem residere cognouimus.* Gregorius audiens Maurilionem ex præfecto, tutelæ causa, se continere, intra septa Ecclesiæ Rauennatis, commendat eum Episcopo Rauennati, quò actus sui rationes redderet sine suspicione, id est sine periculo oppressionis. Eâ ætate rei, & oppressi præsidij causa solebant confugere ad Ecclesias.

Sine laceratione suæ opinionis, id est sine dispendio famæ. Opinio est fama existimatio Gregor. infr. lib. 2. ind. 11. ep. 3. *Sufficiat iam quod opinio Monasterij per vestram negligentiam inquinata est.* lib. 3. epist. 5. *Opinionem quoque prædicti cleri tui studere te volumus, vt nihil de ijs prauum, nihil quod contra ecclesiasticam disciplinam pertinet, audiatur.* Idem lib. 5. epist. 55. *Vt igitur bona quæ de vobis prædicatur opinio, rerum possit veritas confirmare.* Idem lib. 8. epist. 51. *Alia quoque occurrit opinio, quia alij pro alijs grauantur.* Et ex opinione nascitur infamia

infamia facti, quę apud bonos & graues, opinionem onerat, l.ea quæ C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 2. ff. de obseq. parent. & patron. præstand.

Electorum sententia, mandat Malcho Electo Dalmatiensi, vt negotium quod erat inter Ioannem Consiliarium seu vnum ex assessoribus Georgij Præfecti Italiæ, & Ioannem Episcopum Scodrensem, electorum sententiâ terminaretur. Electi sunt judices electi consensu partium quos arbitros vocant, à quibus non licet prouocare. can. à iudicibus, can. sane, 2. qu 6. αἱρετὸς δικαστὴς vocat Synod. Carthag. can. 99. apud Balsamonem. Gregorius simpliciter electos vt infr. lib. 5. ep. 11. & lib 11. epist. 57 *electorum iudicium*, & lib. 2. ind. 10. epist. 34. *Qui partes in electorum compellat adesse iudicio.* Scodra est ciuitas Episcopalis Illyrici sub Metropoli Antibarensi. Constantio Episcopo Scodritano scripsit Gregor. infr. lib. 10. epist. 36.

Offeras ad calciarium puerorum solidos quadraginta. Id est pro calceario seruulorum, eadem Analogiâ Reg. Bened. cap. 55. *de vestiarijs & calcearijs fratrum.* Epi. 37.

Summam impensionum, id est rationem impensarum, vt infr. hoc lib. epist. 42. *summa pensionis.*

Verum Paulinus Episcopus Tauri ciuitatis Prouinciæ Brittiorum. Taurus vetustissimum oppidum Brutiorum, qui vulgò Britij dicebantur, & Brutia Britia Paul. Diacon. de gest. Longob lib 2. cap. 17. vocat Brutiam quæ in inscriptione cap. Britia, & in leg. 1. C. Th. quib. equor. vsus. *Calabriam Brittios & Lucaniam.* Epi. 39.

Directo per iustum Clericum suum capitulari, inter alia plura hoc nobis noscitur intimasse Capitulare est libellus varia continens capita seu articulos vt insinuat Gregorius hoc loco. Idem infr. lib. 7. epist 8. *Et qu a Ecclesiæ tuæ acolyti, dato contra capitulari quædam conquesti sunt.* Idem lib 11. epist. 19. *Ioannes Frater & Coëpiscopus noster, aliqua vobis de causis Ecclesiæ dato Capitulari noscitur intimasse*, & infr. *ipsum ergo quod* Epi. 40.

vobis capitulare porrectum, est his fecimus super annecti. Vel mandatum quod datur legatis, vel missis Principis vel Pontificis, quia varia continet capita. Idem lib. 10. ep. 5. *Quia quid agere debeant, dato sibi Capitulari, vt perhibent sunt instructi*, idem lib. 12. epist. 8. *post longum vero tempus suprascriptus Petrus Capitulare protulit, quod sibi datum à suo asserebat Episcopo.* Eadem ratione Capitulare dicitur liber censualis, quod varia contineat capita, pro modo prædiorum vel personarum quæ in eo describuntur, Gregor. Tur. lib. 9. epist. 31. *Garso vero Comes eiusdem temporis, accepto Capitulario, quod anteriores scriptores fecisse commemorauimus, tributa cœpit exigere,* vulgò *Capdastre.* Et Capitulare pariter est collectio legum vel Capitulorum, qualis est illa Ansegisi & Benedicti Leuitæ, & scriptum quodlibet cuius plura sunt capita Hadrian. epist. 3. ad Carolum, *edidit vobis Capitulare aduersus Synodum* & infrà. *Vnde per vnum quodque Capitulum responsum reddimus.*

Peculiaritati eorum singulos studere, notat Monachos Siculos, per Monasteria vagantes, occasione cladis Barbaricæ, & inde in peculiaritatis vitium lapsos. Peculiaritatis vitium, est studium habendi proprij seu peculij quod Monachis interdictum est Gregor. lib. 10. epist. 22. *Hoc autem prædicto fratri & Coëpiscopo nostro omnino dicere stude, vt peculiaritatem quatuor aut quinque Monasterij Monachis studiosissimè compescat*, & hoc est quod dicitur vitium peculiare regul. Benedict. cap. 55. *Vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia necessaria.*

Epist. 41 *Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium Recharedum glorioſissimum Regem ad Catholicam fidem integerrima agnoui deuotione conuersum.* Gratulatur Leandro Episcopo Hispalensi, quem dignitatis augendæ causa vocat Episcopum Hispaniarum, de Recharedi Regis Gothorum conuersione, ad fidem Catho-tholicam. Is per Leandrum & Fulgentium Astigitanum,

in fide Catholica institutus in tertiâ Toletanâ Synodo Arrianam hæresim eiurauit,& vnà Gothos ad nostram fidem perduxit de quo Roderic. Tolet. lib.2.cap.15. Recharedo ipsi de conuersione gentis Gothorum gratulatur inf. lib.7. epist.126.

De trina vero mersione baptismatis. Cum apud Gothos recens ad fidem Catholicam conuersos orta esset quæstio de trina mersione in baptismo, quia ante Arriani trina mersione vtebantur, quò tres naturas diuinas, in tribus personis demonstrarent. A Leandro hac de re consultus Gregorius, hac epistola respondit vnicâ mersione vtendum esse propter vnitatem Trinitatis, nè sequendo vsum Arrianorum, error probari videretur, quod ex epistola Gregorij comprobauit Synod. Tolet.4. can.5. *Propter vitandum Schismatis scandalum vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi mersionem.* can. propter de consecr.dist.4. de trina mersione fusè Ioseph. Vice-comes de baptism.lib.4.cap.8.

Quia & hoc ipsum opus (in Iob) *ad vestram reuerentiam scripsi.* Gregorius sub initia Pontificatus scripsit elegantes libros in Iob, quos dicauit Leandro Hispalensi Episcopo, olim sibi amico & familiari in aulâ Constantinopolitanâ, dum ibi Apocrisiarij officio fungeretur, quos se transmissurum spondet hac epist. & postea transmissos eidem scimus ex epist.46.infr.lib.4.v. Ioan.Diac.lib.1.cap.52.

Quod Responsalem tuum tardè dimisimus. Responsales sunt nuntij, seu missi Episcoporum vel optimatum, Greg. ipse infr. lib.2. ind.10. ep.31. ad Natalem Episcopum Salonitanum. *Sed cum responsales vestri aduenerint,* & idem ep. 39.eiusd.libr. ad Dominicum Carthaginens. *Responsalium vero vestrorum moribus valdè congaudeo.* Et idem lib.4.epist. 3. ad eundem *veniens ad nos Prosper præsentium lator, responsalis vester* &c. Yuo Carnotens.epist.274. *Responsales tamen meos, Monachorum obiectionibus obuiantes, eidem legato* Epi.42.

vestro transmisi. Radeuic de gest. Frideric. libr. 2. cap. 72. *Pars autem altera nec ipsa venit, nec responsales quâ de causâ nescimus conuentui direxit.* Et ita passim in libris decretalium Responsalis dicitur actor seu procurator. cap. olim de rescript. cap. dudum. 1. de elect. cap. veniens de renunciat. cap. cum olim de offic. delegat cap. cum secundum de præbend. Apocrisiarij seu responsales, olim dicti legati seu missi qui à Romano Pontifice dirigebantur, ad Imperatorem, & Principes rerum ecclesiasticarum causâ, quo munere olim functum esse Gregorium in curia Constantinopolitanâ testis est Ioann. Diaconus eius vit. lib. 1. cap. 26. *Nec multo post pro responsis ecclesiasticis ad vrbem Constantinopolim à Pelagio præsule destinatur.* Nuntios Apostolicos hodie vocant.

Cognouimus rusticos Ecclesiæ, vehementer in frumentorum pretijs grauari. Rustici Ecclesiæ Romanæ, id est coloni seu possessores prædiorum, quæ erant in patrimonio Ecclesiæ Romanæ in Siciliâ præstabant Ecclesiæ annuam pensionem in specie, id est in frugibus. Coloni enim præstant Domino soli annuam pensionem in specie in fructibus, non in pecuniâ, quam rustici optare non audent, nisi consuetudo prædij hoc exigat L. Domini C. de Agricol. & censit. Sed quia sæpiùs ob annonæ egestatem rustici cogebantur æstimationem, id est pretium frumenti cariùs præstare, & in eo valdè grauabantur à Rectoribus patrimonij, vel exactoribus census, mandat Pontifex Petro Subdiacono defensori Patrimonij ecclesiastici in Sicilia, vt frumentum præstetur, vel iusta æstimatio, pro modo pretij publici, seu forensis. Idem olim institutum in Sicilia, vt frumentum, aut æstimatio præstaretur, pro commodo prouincialium de quo M. Tull. Verr. 5. Æstimatio frumenti præstatur iuxta pretium publicum, nè in pretio grauentur coloni Quia pretia rerum communiter funguntur l. pretia ff. ad l. falcid. id est ex communi æstimatione

hominum, & vsu forensi.

Frumenta autem quæ naufragio pereunt per omnia volumus reputari. Quorum erat collatio annonæ, eorumdem erat transuectio. L. Mediterraneæ. C. de annon. & tribut. Eadem lege tenebantur Siculi coloni Ecclesiæ Romanæ, vt olim Siculi omnes M. Tul. Verr. 5. Imò & onus colonorum Ecclesiæ erat, vt frugum periculum, si fortè naufragio perirent, reputaretur, id est pertineret ad damnum coloni seu possessoris, nisi fortè casus contigisset culpâ & negligentia defensoris, quod intempestiuè frumentum transmissum esset.

Valdè autem iniquum, & iniustum esse prospeximus, vt à rusticis Ecclesiæ, de sextariaticis aliquid accipiatur. Vetat nè annona seu species ad maiorem modium præstetur quam inferatur horreis Ecclesiæ, ac nè modius frumenti accipiatur à rusticis, pluris quam decem & octo sextariorum, vt alio loco Pantaleonem Notarium; qui fungebatur officio defensoris in Sicilia notat de modio xxv. sextariorum serius facto lib. 11. epist. 39. *Valerio si quidem Chartulario nostro narrante cognouimus, quia modium cum quo coloni Ecclesiæ frumenta dare compellebantur xxv. sextariorum inueneris &c.* Alius fuit modus sextarij Italici, alius Castrensis Hieronym. in Ezech. cap. 4. *Porro Hir duos χόας atticos facit, quos nos appellare possumus duos sextarios Italicos, ita vt Hir mensura sit Iudaici sextarij nostrique Castrensis, cuius sexta pars facit tertiam partem sextarij Italici.* Idem vetat nè à rusticis Ecclesiæ, de sextariaticis aliquid accipiatur, id est nomine sextariatici. Sextariaticum erat onus seu super adiectum, quod à rusticis exigebatur supra singulos sextarios, quasi accessionis, & corollarij vice. Inde onus adiectionis vocat inferiùs *nè onera adiectionis insuper rustici persoluere compellantur*, & hæc adiectio præstari solebat in nummis M. Tull. Verrin. 5. *Nec nummorum accessionem cogebatur arator dare*, & infr. *vnde Apronio ad illos fructus arationum, hoc co-*

rollarium nummorum adderetur. Vetat igitur nè quid à rusticis de sextariaticis accipiatur, id est sextariatici seu superadiecti nomine accipiatur, vel superaccipiatur. Nisi fortè nautæ per quos transuehitur frumentum, de consuetudine quid superaccipiant, propter intertrimentum, seu minutionem quæ contingit ex transuectione maritimâ.

Cognouimus etiam in aliquibus massis Ecclesiæ exactionem valdè iniustissimam fieri. Reiicit aliud onus vel genus exactionis, quod solebat imponi conductoribus massarum Ecclesiæ, nimirùm vt ab eis exigerentur septuaginta vrnæ & semis. Vrna est mensura liquidorum puta vini olei quæ continet congios duos. Massa est villa, prædium, possessio, quasi massa terræ, vt infr. hac epist. *Liberato negotiatori, qui habitat in massâ Cincianâ*, & rursus *scripta mea ad rusticos quæ direxi, per omnes massas fac relegi.* Cassiod. 5. Var. 12. *Potentianam massam, quam eis pro compensatione largitas nostra transfuderat,* & idem 12. epist. 23. *Directis sedis vestræ Cartarijs, designatas massas actoribus eius sine aliqua dilatione contradite.* Inde Massarij sunt præpositi villarum fiscalium. Petrus de Vineis lib. 3. epist. *66. Magistro Massariorum in Apulia de ipsorum reformatione.*

Et pro vt vires rusticorum portant pensionem integram & pensantem ad septuagena vina persoluant, sic editio Romana, Ioannes Diaconus qui hanc epist. reppetit lib. 2. cap. *69.* aliter legit, *pensionem integram, & pensatam ad septuaginta vini lagenas.* Quæ lectio probatior est, & hunc sensum efficit, vt conductores prædiorum Ecclesiæ, præstent pensionem integram de qua conuentum est, & pensatam id est pensum quod de consuetudine præstari solet, in conductionibus vltra mercedem conductionis, nimirùm septuaginta vini lagenas. In locatione & conductione prędiorum, præter mercedem conductionis quæ erat in pecuniâ, adiici solebant aliæ accessiones, vt ligna oua casei Columell. de re rustic. lib. 1. cap. 7. *Sed nec Dominus in una*

quaque re, cui colonum obligauerit, tenax esse iuris sui debet, sicut in diebus pecuniarum, vt lignis, & cæteris paruis accessionibus exigendis. Et hæc sunt quæ infr. dicuntur excepta, minuta onera, & minutiæ.

Et neque siliquas extra libras, neque libram maiorem, neque onera supra libram maiorem exigi debeant. Præter pensionem, seu mercedem conductionis, modica onera, modicæ accessiones de consuetudine tolerantur, sed hoc vetatur, nè siliquæ vltra libram, neuè libra maior, neuè onera, supra libram maiorem exigantur. A rusticis nihil potest exigi, præter id quod indictum est, l. 1. C. de superindict. nè rustici Ecclesiæ grauentur à prælatis in exigendis operis, tributis, vel aliis debitis vetat Synod. Cabillonens. 2. can. 51.

Prout virtus sufficit in summam pensionis crescat. De consuetudine à rusticis Ecclesiæ præter mercedem conductionis, præstabantur, minuta onera seu adiecta, quæ in vsum & commodum Rectoris patrimonij ecclesiastici accedebant, Pontifex vt hoc genus oneris, & exactionis tolleret, vel saltem leuaret, voluit vt huiusmodi onera, in summam vel in caput pensionis, id est mercedis conductionis redigerentur & ex summa pensionis deducerentur in vsum Rectoris, vt palam esset quid eo nomine exigeretur, & minus grauarentur rustici. Et hoc est quod apertiùs Pontifex expressit his verbis *quod autem ex his minutijs in vsu Rectoris accedebat, volo vt hoc ex summa pensionis in vsum tuum veniat.*

Volumus vt securitatis libellos, ita de pensionibus facias. Nè grauentur rustici indebitis exactionibus, & onerum adiectionibus, vult Pontifex vt securitatis libellis, id est securitatibus seu apochis solutæ pensionis, summa pensionis, & adiectorum onerum, id est siliquarum, quod erat æs minutum vel granatici, id est tritici, vel frumenti quod adiiciebatur nomine sextariatici, vel granatici ad-

notetur, vt appareat tantum solutum esse pensionis nomine, tantum adiectionum, vel accessionum prætextu. Securitatibus, seu apochis publicis apponi debet summa pensionis, id est quantitatis frumenti, quæ fiscali horreo infertur l. 1. C. de apoch. public. l. frumenta. C. de suscept. & hoc est quod ait Pontifex his verbis, *inibi adiectis siliquis oneribus granaticis.* Securitas est apocha, seu libellus quo continetur professio solutæ pensionis vel cuiuscumque debiti. L. 2. & vlt. C. de Apoch. public. Symmach. libr. 10. epist. 43. *Cum videretur omnibus securitatibus esse vehementior Imperatoris assertio.* Sidon. lib. 7. epist. 13. *Contraque lites iurgiosorum, si quæ mouebantur pactionibus consule, contra tributa securitatibus?* Vnde nominis etymon à securitate quam præstat, quia tutum facit debitorem soluentem. Cassiodor. 10. Var. 7. *Testimonium solutionis securitas dicitur de quo non solum animus, sed substantia communitur.*

Nè iniusta pondera in exigendis pensionibus ponantur. Ob id constitutum est, vt in singulis mansionibus, & ciuitatibus, mensuræ & pondera publicè collocentur, nè quid supra modum debitum, à collatoribus exigatur l. modios C. de suscept. l. pen. C. de defens. ciuitat. Nou. Iust. 128. Cassiodor. 10. Var. ep. 16. *Graue scelus esse iudicamus, aut mensuras modum excedere, aut libram æquissimi ponderis iustitiam non habere.* Idem lib. 1. ep. 10. *Constet populis pondus ac mensura probabilis.*

Sed si qua talia inueneris frange, & noua & recta constitue, iubet vt iniqua pondera, si qua inuenta sint, frangat, & recta restituat. Et idem infr. lib. 11. ep. 39. gratulatur Pantaleoni Notario & curatori patrimonij Ecclesiæ Romanæ, in tractu Syracusano, quod modium iniquum ibi inuentum, cum quo Coloni Ecclesiæ Annonam debitam præstare compellebantur fregerit, & iustum submiserit. Mensuras iniquas frangi iubebant Ædiles penes quos erat cura annonę. L. Item quęritur. §. si quis mensuras ff. locat. Iuuenal satyr. 10.

Huius

Huius qui trahitur prætextam sumere mauis
An Fidenarum, Gabiorumque esse potestas
Et de mensura ius dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Ædilis Vlubris.

Et Persius. Satyr. 1.

Fregerit Heminas Areti Ædilis iniquas.

Super iusta ergo pondera, præter excepta, & vilia cibaria, nihil aliud volumus à Colonis Ecclesiæ exigi. Vltra modum pensionis debitum, à colonis Ecclesię quicquam exigi vetat, prętер excepta. Ea sunt vilia cibaria quę in locatione & conductione prętер mercedem conductionis excipi solent, vt gallinę, porcelli, oua, casei, olera, & alia quę hic dicuntur excepta vt & infra libr. 8. epist. 61. *Proinde excepta de possessione quæ potuerunt in eius vtilitatem verti, eadem volumus eius magnitudini singulis annis offerri, id est porcos viginti, verbices viginti & gallinas quadraginta, quæ omnia volumus in exceptis reputari.* Et infr. lib. 12. epist. 12. *Visum autem nobis est, vt consuetudinaria excepta, eius vtilitati debeatis inferre, pensiones verò fideliter cum omni colligite diligentia.* Columellæ loco modo laudato accessiones, quod de consuetudine accedant conductionibus prędiorum, Io. Diaconus qui hanc epistolam intexuit lib. 2. cap. 67. legit. *præter excepta & villicilia.*

Præterea cognouimus, quod prima illatio Burdationis, rusticanos nostros vehementer angustat. Tributa quę in nummis fisco pręstabantur, soluebantur tribus ęquis pensionibus, mense Septembri, quod erat initium indictionis, Kalendis Ianuarij, & Kalendis Martij l. vlt. C. de annon. & tribut. l. 15. 16. C. Th. eod. tit l. 11. C. Th. de exactor. tribut. Cassiod. 2. var. 24. *Quidquid vnaquæque domus senatoria profitetur destinatis procuratoribus per Prouincias, trina illatione persoluat.* id. 12. var. 35. *Quapropter experientia tua, de illa Prouincia, ex illatione tertia fiscalium tributorum solidos quos principi Augustorum, prouida deputauit antiquitas sine ali-*

qua dilatione persoluat. Quę in frugibus, soluebantur, post perceptionem fructuum mense Septembri Nou. 128. cap. 1. Idem moris erat in pensionibus Ecclesię Romanę debitis à colonis patrimonij Siculi vt colligitur ex hoc loco. Sed quia prima illatio quę fiebat mense Septembri, paulo post collectas fruges, valde vrgebat rusticos, quòd pręstanda esset, antequam labores id est fruges vendere liceret, & cum non haberent vnde de suo darent, cogebantur mutuam pecuniam sumere, ab auctionarijs publicis id est à nummularijs graui fœnore, prœcipit Petro Subdiacono, vt pecunia eis detur è publico in hanc rem, id est ex arcâ Ecclesię, & à rusticis per partes vt eis suppetet accipiatur. Burdatio est pensio quæ à rusticis præstatur prædij nomine quod Burdam vocant, nostri *borde.* Idem infr. hac epist. vsus est hac voce. *Cognouimus etiam rusticos Burdationem quam iam ab eis exactam Theodosius minimè persoluerat, iterum dedisse, ita vt in duplo exacti sint.*

Ab auctionarijs publicis, mutuo accipiuntur. Nummularij solebant fœnori mutuam pecuniam credere, & apud eos pecuniæ deponebantur fœnoris causâ, id est vt fœnori exercerentur. l. 7. §. quoties ff. deposit. l. si res. de administ. tutor. Ambros. in psalm. 35. *Non ligauit in sudario quod acceperat, sed numularijs erogauit, & quod erogauerat, cum vsuris recepit.* Et infrà *oportuit te pecuniam meam, committere numularijs.* Inde nummularij, ea ætate potuére dici Auctionarij, propter fœnus quod ex mutuo accipiebant, quia fœnus auget sortem, & videtur quasi auctio sortis.

Peruenit etiam ad nos quod de nuptijs rusticorum immoderata commoda percipiantur. Vetat nè de nuptiis rusticorum, vectigal vltrà solidum exigatur, & à tenuioribus minus. Coloni prædiorum Ecclesiæ, licet essent liberi, in quibusdam seruorum loco habebantur, vt in hoc quod non licebat eis nuptias contrahere, nisi soluto modico vectigali. A Caligula quoque vectigal nuptiis indictum Tranquill. in

eius vit. cap. 42. *Additumque ad caput legis vt tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium feciſſent, nec non & matrimonia obnoxia eſſent.* Nè pro nuptijs Clericorum ab Episcopo quid exigatur vetat & Gregor. infr. lib. 3. epist. 24.

Cognouimus etiam, quod nonnullis conductoribus morientibus parentes ſui non permittuntur ſuccedere. Iubet vt si coloni Ecclesiæ, parentes id est liberos vel proximos reliquerint, eos habeant heredes. Parentum nomen fuit commune liberis proximis & cognatis. Hieron. aduers. Rufin. l. 1. *Niſi fortè parentes, militari vulgarique ſermone, cognatos & affines nominat.*

Quod ſi quis ex familia culpam fecerit Eccleſiæ. Liberti Ecclesiæ sunt de familia Ecclesiæ. Conc. Hispal. 2. can. 8. can. octaua 12. q. 2. vt liberti sunt de familia patroni l. cum pater §. fidei tuæ de legat. 2.

Quia nos ſacculum Eccleſiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari. Ecclesia habet sacculum, id est fiscum seu erarium. Christus & habuit loculos Augustin. in psal. 146. *Si non habet rempublicam ſuam Chriſtus, non habet fiſcum ſuum. Fiſcus enim ſcitis quid ſit, fiſcus enim ſaccus eſt vnde & fiſcellæ, & fiſcinæ dicuntur, fiſcus ſaccus eſt publicus, ipsum habebat Dominus hic in terra, quando loculos habebat.* Sacculus est loculus vbi nummi reponuntur Arnob. in Psalm. 118. *Nummus non eſt in ſacculo.* Papias. *Saccus, & ſacculus. Marsupium fiſcus, quo conduntur neceſſaria.*

Vt per commodum conductores in masſis Eccleſiæ numquam fiant. Huius loci sententia est, nè in conductionibus prædiorum Ecclesiæ, admittatur commodum seu lucrum adiectionis, vt solet fieri in conductione prædiorum fiscalium. In conductione prædiorum fisci, post addictionem factam vni pluris licenti, si quis meliorem conditionem adiecerit, intra certa tempora admittitur, quod proprium est in rebus fisci, non enim locum habet in rebus ciuitatis

vel municipij, quod priuati iure vtitur, l. Lucius §. vlt. ff. ad Municip. l. vlt. de iur. fisc. l. 1. & 2. C. de pendend. reb. ciuit. lib. 11. & Gregorius hoc loco non admisit beneficium adiectionis in conductione prædiorum Ecclesiæ, nè crebra mutatione conductorum, deterior fiat cultura prædiorum. Non impropriè commodum vocat beneficium adiectionis, quia commodi appellatione intelligitur omne lucrum, vt commoda præmiorum in L. commodis, de re iudicat.

Sed ipsa etiam libellatica, pro vt summa pensionis fuerit moderentur Libellaria est contractus venditionis, qui fit breui chartulâ, & inde nomen libelli vel libellariæ, certo pretio ab initio, & hoc amplius sub modica pensione annua, quod præter hunc locum ostenditur infrà lib. 2. ep. 1. *Sed & terrulam si ita est, sibi libellario nomine, ad summam tremissis vnius habere concede*, & infr. lib. 8. ep. 61. *Voluerat enim possessionem iuris ecclesiastici sub specie libellorum tenere.* Et infrà lib. 9. epist. 14. *vt ad tres siliquas aureas factis libellis, ei vineolam ipsam locare debeas.* Leo Ostiens. chron. Cassi. lib. 1. cap. 20. *Hic Abbas libellum fecit hominibus quibusdam de Termule, de rebus omnibus sancti Benedicti, quas ibi possidebamus, pro censu solidorum quatuordecim & medietate totius pastionis.* Et idem cap. 50. eiusd. lib. *Hic Abbas concessit Ageltrudæ Augustæ Lamberti Regis matri libellario iure diebus tantum vitæ suæ cellas duas huius Monasterij, cum omnibus rebus suis, quarum gratia singulis annis mittebat illi eadem Augusta census nomine argenti libras tres.* Res Ecclesiæ solebant tradi libellariæ nomine, ad tempus putà ad vitam accipientis vt hoc loco, vel ad longius tempus putà in tertiam vsque generationem idem Ostiens. lib. 4. ca. 28.

Per cellas & cellaria non plus de massis Ecclesiæ te accipere volumus, nisi quantum consuetudo est, vt certum vectigal pendatur de massis Ecclesiæ in singulas cellas & cellaria. Cellę sunt mansiones, & domunculæ, rustica cellaria vbi fruges reponuntur, vel penus id est quę esus penusue causa parata

sunt. Augustin. epist.109. *& sicut pascimini ex vno cellario sic induamini ex vno vestiario*, vel merces Hieronym. in Ezech.cap.27. *Et prætoriola siue cellaria, in quibus merces pretiosissimæ reponuntur.*

Suppositorium aliquod argenteum pro vno solido dicitur esse appositum, & calix pro sex solidis dicitur esse appositus. Vtrumque esse vas argenteum significatur his verbis sequentibus *debitum recipe, & vascula prafata restitue.* Suppositorium est vas argenteum quod supponitur ori communicantium Petrus Cluniacensis de miracul. libr. 1. cap.5. *Cum vino quod susceperat fruſtra omnia cõmminuti corporis Christi, in vas, quod ori eius suppositum fuerat refundere coactus est.* Nobis *sousçoupe.* Appositum dicitur, quod pignori datum est, vt infr.hac ipsa epist. *quia omnes res suas quas in Sicilia habuit, vel venundedit, vel apposuit*, & rursus, *& quicquid vendiderat vel apposuerat, appositа absolue.* Pignus non incongruè appositum, quia mutuo apponitur, id est adiicitur pro securitate debiti, vnde pignus dicitur accessio obligationis l. in omnibus.de solut.

In eisdem Monasterijs ad pœnitentiam lapsos trade. Clerici lapsi pœnitentiæ causa solebant detrudi in Monasterium vt probatur supr.epist.18.hoc lib.& infr.lib.2.ind.11.epi. 27.42.49. lib.4.ep.5. Vnde desumptus est can. si ea. 23. q.4. can. accedẽs 50.dist.de quo fusè diximus in Ascetic.

Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerunt, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur, Pelagius proximus decessor Gregorij, voluit nè Subdiaconi vxoribus vterentur, quod Gregorio durius visum est, nè qui continentiam non promiserant in suscipiendo ordine, in durius obligarentur, vel si non continerent, inhonestius caderent. Et satis ei fuit vetare, nè quisquam Clericus deinceps in Subdiaconum ordinaretur, nisi continentiam promitteret vt ostenditur hic & infr.lib.3.epist.34. è quibus hausti sunt can. nullum

28.dist.can.ante.31. dist.can. multorum.32.dist. can. multorum.27.qu.2.Exinde Subdiaconatus à Gregorio adscriptus est sacris ordinibus. d.can. nullum. cap.miramur. de seru. non ordinand.In Gallia etiam Subdiaconis vxorum consuetudine interdictum.Conc.Aurel.3.can.2. *Vt nullus Clericorum à Subdiacono & suprà, propriæ si fortè iam habeat misceatur vxori,quod si fecerit laicâ communione contentus, iuxta priorum canonum statuta ab officio deponatur.*

Liberato negociatori, qui se Ecclesiæ commendauit qui habitat in massa, annuam continentiam à te volumus fieri. Qui se commendabant Ecclesiæ, se & sua donabant, constitutâ certâ pensione annuâ dum viuerent, vt probatur ex hoc loco, & alio infra hac epist. *De ancillâ Dei, quæ cum Theodosio fuit Extranea nomine,videtur mihi vt ei continentiam facias si vtile conspicis, aut certè donationem quam fecit reddas.* Inde continentiæ nomen, quod commendatus Ecclesiæ hac pensione contineretur, id est sustineretur. Sæpiùs etiam serui à domino manumissi, commendabantur Ecclesiæ, & fiebant liberti Ecclesiæ, ita vt ei præstarent operas & obsequia quæ à libertis debentur patrono Synod. Toletan. 3. canon. 6. *Ab aliis quoque libertati traditi, & Ecclesijs commendati, patrocinio Episcopi colligantur, & nè cuiquam donentur à principe hoc Episcopus postulet.* Synod. Arausic.1.can.5. *In Ecclesia quoque manumissos, & per testamentum Ecclesiæ commendatos,si quis in seruitutem vel obsequium, vel ad colonariam conditionem reuocare tentauerit, animaduersione ecclesiastica coërceatur,* qui omnes desumpti sunt ex can.de libertis 12.qu.2. & can.eos qui. 88.dist.

Actionario autem, quem in eodem patrimonio deputasti. Actionarij sunt actores & curatores rerum Ecclesiæ, puta Notarij defensores. Vt infrà hoc lib. ep.72. *Et quia domus vel fines vel possessiones Taurominitanæ iuri Ecclesiæ pertinentes, ab actionarijs dicuntur nostræ Ecclesiæ, contra rationis ordinem occupatæ,* & infrà lib.7. ep.101. *Felix vir memoran-*

dus, suis nobis epistolis questus est, fraternitatis vestræ actionarios, possessiones quas tenuerat illicitè & contra iuris ordinem peruasisse.

Amulas Onychinas, requisita subtiliter veritate restituere, Amulæ onychinæ sunt vrceoli ex onyche gemmâ, quibus continetur vinum & aqua ad sacrificium altaris. Ordo Roman. *Archidiaconus suscipit post eum Amulas & refundit in calicem maiorem, tenente eum Subdiacono*, & infrà, *& ille ex Amula infundit faciens crucem in Calicem.* Amas vocat idem ordo, *amas argenteas & cætera vasa aurea & argentea.* Amas amulas promiscuè Anastas. in Gregor. 3. *In oratorio amulas super auratas paria duo*, idem in Benedict. 3. *Amam vnam ex argento purissimo pensantem libras denas.* Idem in Sylvest. *Amas argenteas duas pensantes singulas libras denas.* Vsum hamularum apertè indicat Columella de re rustic. lib. 10. *Hic hamulam, lymphis habilem, Bacchiue lagenam.* Papias *Amula vinarium vas, amulæ dicuntur quibus offertur deuotio, siue oblatio, similes vrceolis.*

Felix conductor Domnæ *Campanæ, quem liberum reliquerat, atque indiscussum esse iusserat*, Domina seruum liberum esse iussit, & indiscussum, id est liberum à rationibus reddendis.

Sed Scholastici dixerunt, quia de fraudibus indiscussus esse non potest. Felix liber esse iussus, & indiscussus, id est liber & solutus, à rationibus reddendis. Quæsitum est an ei remissum esset in totum onus rationum reddendarum, consulti Scholastici, id est aduocati forenses dixerunt de fraudibus indiscussum esse non oportere, id est hoc datum nè scrupulosæ rationes exigantur, vt negligentiam non præstet, sed tantum fraudem, quod est de iure l. si seruus de legat. 1. l. cum tale §. 1. de condit. & demonstrat. Scholastici sunt forenses seu aduocati L. 2. C. de lucr. aduoc. l. 12. Synod. Sardicens. can. 15. ἐὰν τις πλέοιος, σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς, *si fortè aut diues laicus, aut scholasticus de foro.*

canon. Osius 61. dist. Basil. epist. 241. *εἰ δέ τινα δίκην γυμνάζει ὁ σχολαστικὸς, ὁ δεῖνα ἔχει δικαστήρια δημόσια, καὶ νόμους. Quod si litem intendat aduocatus ille, habet tribunalia publica, & expositas leges.* Augustin. in Ioan. cap. 7. *Qui enim habent causam & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholasticum iurisperitum, à quo sibi preces componantur.* Idem de Catechizand. rudib. cap. 9. *Sedulo monendi sunt scholastici, vt humilitate induti Christianâ, discant non contemnere quos cognouerint morum vitia, quam verborũ amplius deuitare,* can. sedulo 38. dist. Idem de tẽpore serm. 78. *Et quia imperiti, & simplices, ad scholasticorum altitudinem non possunt ascendere.* Salui. de guber. Dei l. 1. in præf. *Non id facere admissi sunt vt salubres, ac salutiferi, sed vt scholastici, ac diserti haberentur.* Et Gregorius ipse libr. 7. epist. 63. ind. 2. *Et valde mihi inconueniens visum est, vt precem quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus.* Antiquioribus Scholastici sunt Rhetores, qui in scholâ declamabant, inde nomen. Quintilian. de Orator. *At nunc adolescentuli nostri, deducuntur in scenas Scholasticorum, qui Rhetores vocantur.* Plin. 2. epist. 3. *annum sexagesimum excessit, & adhuc scholasticus tantum est, quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius,* Iurisperitorum consilio vsus est Gregorius, & eo pertinet quod ait *Scholastici dixerunt*, in alijs etiam se consuluisse iurisperitos fatetur Greg. vt infr. *li. 7. indict. 2. Ep. 7. cum ergo de quantitate vestiũ (*Abbatissæ*) nec nos mediocriter cœpissemus ambigere, necessarium visum est vt tam cum Consiliarijs nostris, quàm cum alijs huius ciuitatis doctis viris quid esset de lege tractarem.* Iurisperitorum rationem argumentandi laudauit idem Moral. lib. 17. cap. 9. *Quia & sic vsus esse iurisperitorum solet, vt argumentum quo aduersariis suis eminere se præuident, ad prosecutionis conclusionem seruent.*

Vel authentica, vel exemplaria. Authenticum est originale instrumentum, quod à Notario & testibus & partibus subscriptum

subscriptum est, & in eius schedis depositum est. Exemplar quod è schedulâ seu authentico descriptum, & fidem non facit sine authentico seu originali cap. 1. de fid. instr. Nou. Iust. 73. Gregor. lib. 2. indict. 11. epist. 3. *De sex vero vncijs domus si authenticam chartulam non videmus, aut exemplaria, nil possumus facere.* Idem lib. 8. ind. 4. epist. 55. *Harum tibi iussionum exemplaria præuidimus transmittenda, sed si necessarium fuerit, ipsas facimus authenticas destinari.* Inde exemplare est describere è schedula Ruric. Lemou. lib. 1. epist. 8. *Codicem namque quem de fratre meo Leontio, me recipere iusseratis, transtulisse me fateor, ad exemplandum eum festinus accessi.*

Et licet ad hoc fraternitatem vestram iussio principalis admoneat, Episcopos orientales hostilitate barbaricâ sedibus suis pulsos suscipiendos, & alendos commendat Episcopis Illyrici, pro vt iussum fuerat à Mauricio Imperatore idem statuit Synod. Nicen. can. 8. Antioch. can. 18. sexta in Trullo can. 37. Regiens. can. 3. sic Quintianus Rutenensis Episcopus à Gothis sede sua pulsus, ab Euphrasio Aruernensi Episcopo comiter susceptus & sustentatus est de quo Greg. Tur. lib. 2. cap. 36. Epist. 43

Sed etiam quos nobis contrarios patimur. Contrarius est aduersarius, infensus. Vt infrà lib. 12. epist. 22. *quia ipsum sibi contrarium sine mora inueniet.* Anastas. in Leone 3. *Moliti sunt Deo illis contrario, falsa aduersum sanctissimum Pontificem imponere crimina.* Veteribus contrarius pro aduerso seu opposito Ouid. 15. Metamorph.

Est vbi Troia, Phrygiæ contraria Tellus.

Et vini decimatas viginti pro sustentatione debeat ministrare. Decimata vini est mensura vini vt infrà lib. 10. epist. 30. *Cognouimus autem Sisinnium, qui Iudex Samnij fuit, graui inopiâ in Siciliâ laborare, cui volumus ccxx. decimatas vini, & quatuor solidos annuos debeas ministrare.* Anastas. in Adrian. *& decimatas vini duas, pensantes per vnamquam-* Epist. 44

que decimatam libras sexaginta.

Ep. 46. *Queritur matrem quondam generi sui defuncti, testamentum eius velle cassare.* Cassari testamentum dicitur, quod annullatur, & in irritum deducitur. Cassa fructuum prio prioribus fructibus qui vani, & inanes sunt dixit Ambros. in Luc. cap. 13. *Ergo priora illa cassa fructuum, vice floris emergunt.*

Epi. 47. *Ianuarius ergo Metropoleos Caralis frater & Coëpiscopus noster.* Caralis Metropolis Sardiniæ. Vulgò Calaris. huic scripsit Gregorius infr. epist. 60. h. lib.

Edocuit nos Theodorum glorioſum Magistrum militum qui ducatum Sardiniæ Insulæ susceptisse dignoscitur, multa illic contra pijssimorum Dominorum iussa peragere. Eâ ætate Sardinia Insula parebat Imperatori Constantinopolitano, & Theodorus Magister militum fuit Dux Sardiniæ aduersus quem graues querelæ delatæ à Ianuario Archiepiscopo Caralitano. Postea Pisani Sardiniam armis recepére à Sarracenis, vt Normanui Siciliam de quo Continuator Bedæ lib. 1. cap. 14. Intendebat tamen Romanus Pontifex totam Sardiniam ad ius & proprietatem Romanæ Ecclesiæ nullo medio pertinere ex donatione Constantini, cuius meminit Anastas. in Syluestro. *Insulam Sardiniam, cum possessionibus omnibus ad eandem pertinentibus, præstantem solidos mille & viginti quatuor.* Ideo grauiter tulit Innocent. 3. quod Archiepiscopus Pisanus à Iudice Caralitano exegisset iusiurandum fidelitatis, quod debebatur tantum Romano Pontifici de quo cap. ea te. de iureiurand. & cap. si diligenti de præscript. quæ coniungenda. Sardinia habebat quatuor præfectos, quos Iudices vocabant, hi erant Turrensis Arborensis Caralitanus Callaurensis, ad quos scribit Gregor. 7. libr. 1. epist. 14. Anno Christi 1239. Fridericus 2. Imp. Sardiniam in suam potestatem reuocauit de quo Matth. Paris.

Dum & antea ad Endacium glorioſum Magistrum militum,

iam per indictionem septimam tunc Ducem Sardiniæ, sacra imperialia cucurrerunt. Sacra Imperialia, vel sacra simpliciter sunt iussa Imperialia, ea voce vtitur Pontifex vt se accomodet vsui vernaculo, eadem vsus est Augustin. lib. contra Donatistas post collationem cap.31. *Illi* (Donatistæ) *portant multorum Imperatorum sacra, nos sola portamus Euangelia.*

Quibus omnia præceperunt grauia nunc capitula submoueri. Iussu Mauritij Imperatoris Prouincialibus Sardiniæ remissa sunt omnia grauia capitula id est grauamina, quæ patiebantur à Theodoro magistro militum & Duce Sardiniæ, sic prius Gregorius ipse hac epist. eadem expressit, *quibus plurima grauamina possessorum, vel ciuium Imperij sui submouérunt.* Capitula cur dicta sint grauamina, fortè quod horum varia essent capitula seu articuli. Alias capitula sunt capita accusationis in reum Gregor. infr. lib. 2. ind. 11. epist. 32. *in qua & de obiectis tibi calumniosè Capitulis fueras absolutus.* Idem lib. 3. ind. 12. epist. 30. *Et propterea quæsiuerunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens inuenirer.*

Et consultum, quod subiectis suis tranquilla mente tribueret, Remissionem Capitulorum seu grauaminum, quæ Prouincialibus data est à Mauritio, vocat consultum, quod per eam consultum sit Prouincialibus, eadem significatione, prædicationem consultum Apostolorum vocat Gregor. Moral. lib. 4. cap. 36. *Videat sanctos Apostolos sic susceptam Ecclesiam regere, vt ei prædicationis verbo, non desinant, consultum præbere, eosque Reges & Consules appellet.*

Præcipimus experientiæ tuæ. Anthemio Subdiacono & defensori patrimonij Ecclesiæ Romanæ tribuit experientiæ titulum, quia officium defensoris requirit experientiã in rebus gerendis, & hac voce rursus vtitur in fine huius epist. *tua eos experientia auferat.* Et infr. epist. 53. h. libr. eidem. *Propterea experientiæ tuæ, præsenti auctoritate præcipimus*, & infr. lib. 2. ind. 11. epist. 5. *præcipimus experientiæ tuæ.* Epi. 48.

Quia autem dura est in Insulis congregatio Monachorum. Varia fuére Monasteria in insulis maris Tyrcheni, vt in Gorgonia, Capraria & Palmaria insulis, vt ostenditur hoc loco. Et infrà lib. 4. epist. 5. & 16. Ambros. Examer. lib. 5. cap. 5. *Quid enumerem insulas quas velut monilia, plerumque, in quibus ij, qui se abdicant intemperantiæ secularis illecebris, fido continentiæ proposito, eligunt mundum latere, & vitæ huius declinare dubios anfractus.* De his Rutil. Numat. Itiner. libr. 2.

Processu Pelagi iam se Capraria tollit
Squalet lucifugis insula plena viris
Ipsi se Monachos graio cognomine dicunt
Quod soli nullo viuere teste volunt.

Et quia in insulis, cœlum, solumque grauius erat, vetat nè Monachi ibi suscipiantur, ante plenam pubertatem, id est ante ætatem decem & octo annorum, quò cœli duritiem patientius ferant. Hinc sumptus est can. quia autem 20. q. 1.

Præterea volumus vt Sacerdotes, qui in Corsica commorantur prohiberi debeant, ne cum mulieribus conuersentur, exceptâ dumtaxat matre sorore, vel vxore quæ castè regenda est, Presbyteri Diaconi vel Subdiaconi ordinati, si essent coniugati, segregabant se ab vxoribus, quas Presbyteras Diaconissas vel Subdiaconissas vocabant Synod. Tur. 2. can. 20. *Nam si inuentus fuerit Presbyter cum sua Presbytera aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa.* Non prohibebantur tamen interdum cum vxore conuersari, sed extra suspicionem rei vxoriæ, nec sine arbitris, idcirco dicit *quæ castè regenda est,* id est ita vt absit turpis suspicio. Presbyterum qui à Presbytera sua sibi cauebat tamquam ab hoste laudat Gregor. Dialog. lib. 4. c. 2. *Presbyter quidam sibi commissam regebat Ecclesiam cum magno timore domini, qui ex tempore accepti ordinis, Presbyteram suam vt sororem diligens, sed quasi hostem cauens ad se*

propius accedere non sinebat, eamque sibi appropinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis abscidit. Can. Presbyter 32. dist.

Et in Monasterio suo vult ipsa sanctuaria collocari. Dedicatio Ecclesiarum, vel altarium non fit sine sanctuarijs. Sic vocauit ea ætas reliquias Sanctorum, quia per eas sanctificatur Ecclesia vel altare. Vigilius Papa ad Eucherium epist. 1. cap. 4. *De fabrica vero cuiuslibet Ecclesiæ si dicata fuerit instauranda, & si in eo loco consecrationis solennitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus.* Can. de fabricâ de consecr. dist. 1. & Gregorius ipse libr. 9. epist. 1. quam exscripsit Beda lib. 1. hist. cap. 30. *Altaria construuntur reliquiæ ponuntur.* Et idem epist. 73. eiusdem lib. *Sanctuaria eiusdem martyris, quæ ab Ecclesiâ nominis ipsius dicatâ furto ablata sunt,* & idem infrà lib. 2. epist. 9. *Sanctuaria vero susceptа sui cum reuerentia collocabis,* idem libr. 7. epist. 71. & lib. 10. epist. 10. ijsdem vetbis. Et Gregor. Tur. de vit. Patr. cap. 15. *Erecto altari, loculoque in eo, ad recipiendas Sanctorum reliquias præparato ad benedicendum inuitat Episcopum.* Idem de miracul. lib. 1. cap. 33. *De hoc enim sudario multi infirmi sanitatem experti sunt, ac plerumque & ipse Pontifex de eo decerpens pignora, vbi Ecclesias consecrabat, fideliter collocauit.*

Et si ibidem nullum corpus, constet humatum, prædicta sanctuaria solenniter collocabis. Mandat Ioanni Episcopo Surrentino vt Monasterium S. Stephani insulæ Capris, id est Oratorium Monasterij consecret, & dedicationis causâ in eo collocet reliquias sanctæ Agathæ Martyris, si ibi nullum corpus sit humatum. Episcopo mandatur consecratio Ecclesiæ, vel Oratorij. Ad Episcopum pertinet dedicatio Ecclesiarum Synod, Sardic. can. 5. can. perlectis 25. dist. Euseb. libr. 10. cap. 5. sed eam à Sede Apostolica vel mandato Sedis Apostolicæ fieri voluit Gelasius epist. 1. can. 6. & 27. can. de locorum & duob. seqq. de consecr. dist. 1. quo vsi sunt posteri Pontifices vt Gregorius hic &

ep.54.infr.h.libr. & Ioannes XVIII.in consecratione Ecclesiæ Monasterij Lucacensis in pago Turonensi, petente Fulcone Comite Andegauensi & ipsius fundatore, de quo Glaber.lib.2.cap.4.

Epi. 53. *Et ab eadem Morena per epistolam manumissum.* Manumissiones seruorum fiebant per epistolam, seu chartulam, id est per libellum & breuem scripturam. Vt infr.lib.5.epist. 12.ind.14. *Hæc igitur, quæ per huius manumissionis chartulam statuimus.* Quam mox vocat *manumissionis paginam.* Conc.Tolet.6.can.9. *Omnes Ecclesiæ liberti, vel ab eis progeniti, chartulas suas in conspectu omnium, debeant ipsi, substituto Pontifici publicare.* Can.longinquitate 12.qu.2.Greg. Tur.lib.5.cap.27. *Migrauit à seculo, multos per chartulas liberos derelinqueus*, idem lib.10. c.9. *Dimissi sunt postea multi à coniuge Vvaroci, cum cereis & tabulis quasi liberi, & ad propria sunt regressi.* Inde serui manumissi per chartulas chartularij dicti Capitul. lib.6. c.208. *Homo chartularius similiter faciat.* Serui Ecclesiæ manumittebantur per chartulam, subscriptione Pontificis munitam, adhibitis pluribus testibus, Presbyteris & Diaconis vt d.ep.12.l.5. *Hanc autem manumissionis paginam Paterio Notario scribendam dictauimus & propriâ manu vnà cum tribus Presbyteris prioribus, & tribus Diaconis pro plenissimâ firmitate subscripsimus.* Quandoque nequiores serui manumittebantur per fractionem tabulæ, seu instrumenti seruitutis Augustin. epist. 50. *Pessimorum seruorum vt liberi abscederent, tabulæ frangebantur.*

Durum enim est vt si alij pro mercede sua libertates tribuunt, ab Ecclesiâ quam tueri hæc oportuerat, reuocentur. Libertati quoquomodo datæ fauere debet Ecclesia, vt Prætor etiam l.3.§.1.ff.de alien.iudic.mutand.cauf. Durum est libertates ab alijs datas pro mercede, id est non gratuito, sed pecuniâ acceptâ, si seruus suis nummis redemptus sit, ab Ecclesiâ reuocari, quæ eas tueri debet, quasi patrona omnium manumissorum.

Indicantes ei oratorium Beatæ Mariæ, quod nuper in cellâ fratrum ædificatum est. Epi 54. Monachi non habuére Ecclesiam, sed oratorium, in quo non est plebis conuentus, Reg. Benedict.cap.52. *De oratorio Monasterij. Oratorium hoc sit, quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur.* In Oratorio fiebat professio Monachorum, coram altari, ad nomina Sanctorum, quorum reliquiæ ibi erant. eâd. Reg. cap.58. *Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorũ,* & inf. *de qua promissione faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt.* In eodem oratorio missas celebrari, & sacram communionem fratribus distribui moris erat. Eius. Reg.cap.38 *Hebdomadarius lector ingrediens, post missas, & communionem, petat ab omnibus pro se orari, & dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus.* Denique oratorium erat locus proprius orationis in Monasterijs, etiam eo accedebant fratres foris reuertentes orationis causa inf. lib. 9.epist.38.ind.4. *Qui mox vt ad Monasterium sunt reuersi, atque ad oratorij limen venerunt.*

Propterea volumus vt ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem. In consecratione Ecclesiarum, & oratoriorum stipes sparsæ in pauperes, ob id Gregorius Petro Subdiacono defensori patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia mandat, vt certam pecuniam, annonam, vinum, & alia conferat, eroganda in pauperes in dedicatione oratorij Monasterij. In dedicatione Ecclesię etiam solemnes epulæ vsu celebratę Sidon.lib.4.epist.15. *Epulum multiplex & capacissima lectisternia para, plurimis viis, pluribus turbis, ita bonorum contubernio sedit, ad te venitur, quippè postquam omnibus tempus, futuræ dedicationis inclaruit. Nam baptisterium quod olim fabricamini scribitis posse iam consecrari &c.* Gregorius ipse homil. 14.in Euangelia. *Certè sicubi populus nundinas celebraret, si ad alicuius Ecclesiæ dedicationem, denunciatâ*

solennitate concurreret, festinaremus omnes simul inueniri, & interesse vnusquisque satageret. Anglis recens conuersis permissum id genus epularum in dedicatione Ecclesiarum. idem infr. lib. 9. epist. 71. *Vt die dedicationis, vel natalicio Sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solennitatem celebrent.* In dedicatione Radingensis Ecclesiæ per triduum exhibitæ epulæ ab Henrico II. Rege Anglorum Robert. Montens. in supplem. Sigibert. ad ann. 1165. *Circa octauas Paschæ Rex Henricus fecit dedicari Ecclesiam B. Mariæ Radingis, & per tres dies regaliter procurauit Conuentum Monachorum, & hospites, data etiam dote non minimâ eidem Ecclesiæ.* In dedicatione Vvincelcumbensis Ecclesiæ, solennitatis causa Edbrithum Regem Cantuariæ Captiuum apud se liberauit, Kenulfus Rex Merciorum. Continuat. Bedæ lib. 1. cap. 16. *Nam apud Vuincelcumbam vbi Ecclesiam, quæ adhuc supersit, Deo ædificauerat, ipsa dedicationis die, Regem captiuum manumittens, libertate palpauit.*

Olei orcas duas. Orca est vas vel mensura liquidorum, puta olei, vini. Gesta Cæciliani quæ sunt in calce. Collat. Carthag. *Ibi protulit Siluanus capitula argentea, & lucernas argenteas, quod diceret se post orcam eas inuenisse.* Greg. Tur. hist. lib. 4. cap. 44. *Igitur aduenientibus transmarinis Vigilij Archidiaconi homines, septuaginta vasa quæ vulgò Orcas vocant, olei liquaminisque furati sunt.* Vox Hispanica. Varro de re rustic. lib. 1. c. 13. *Sæpè vbi conditum nouum vinum, orcæ in Hispania, feruore musti ruptæ, neque non & dolia in Italia.*

Epist. 55 *Alioquin præsentium tibi portitor personam, de qua ei diximus, indicabit, in cuius debeat fieri electione decretum.* Vacantibus Ecclesijs Italiæ, & proximarum regionum, à Romano Pontifice mittebatur Visitator vnus è viciniori-

bus

bus Episcopis, cuius officium erat promouere electionem Episcopi, & si electores minus idoneum eligerent, aut si idoneum non inuenirent, vel in electione non conuenirent Pontifex indicabat eligendum, vel vacanti Ecclesiæ prouidebat quasi iure deuoluto, vt factum est in Ariminensi Ecclesia hac epist. & seq. Perusinâ, & Vianensi inf. epist. 58. & 78. h. lib.

Gennadio Patricio & Exarcho Africæ. Ad eundem extat epist. 72. & 73. h. libr. Ea ætate Africa parebat Imperatori Constantinopolitano, à quo armis recepta erat à Vandalis per Iustinianum, & in Africam mittebatur præfectus, qui dicebatur Exarchus, vt Exarchus Italiæ, eiusdem meminit Balsamo in can. 124. Synod. Carthag. ἐπιτροπὴ δέ ἐστιν ἡ ὁ ἐγχώριος ἔξαρχος. *Est autem executor regionis Exarchus.* Primitus Africa Rectorem habuit Proconsulem Spartian. in Seuero. *Acta igitur Quæsturâ Sardinienſi legationem Proconsulis Africæ accepit.* Et Capitolin. in Gordianis de seniore, *post Consulatum Proconsul Africæ factus est.* Augustin. in Psalm. 35. *Et si dixit sententiam Proconsul in Cyprianum.* *Epi. 59.*

Causas enim prædictæ fœminæ, siue sint, siue fuerint, nostro volumus iudicio terminari, vt foralis illi inquietudo submoueri debeat. Foralis inquietudo est vexatio forensis, ex causa litis vt infr. epist. 67. h. libr. *Sicut studij nostri esse condecet, à litigijs foralibus Monachos submouere*, & hoc est quod ante vocauit immissiones inquietudines sup. epist. 60. *Quorumdam immissionibus, vel inquietudinibus.* *Epi. 62.*

Et quoniam edocti sumus domum Petronij Notarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ, à Constantino tunc defensore irrationabiliter titulatam, Domus titulata dicitur, cui fisci nomine titulus erat appositus, pignoris signum. Prædijs enim quæ pignoris causa capiebantur, solebant apponi tituli fiscales L. 2. C. vt nemo priuat. titul. præd. suis imponat. l. 3. C. de bon. vacantib. lib. 10. quos nostri *Pannonceaux Royaux.* Inde *Epi. 63.*

domum Petronij à Constantino non iure titulatam depositio titulo eius viduæ restitui iubet hic Pontifex, & idem nè Ecclesia, fisci more, titulos alienis prædijs apponat, vetat infr. lib. 4. epist. 44. *Consuetudo nova in Ecclesia hac & valde reprehensibilis erupit, vt cum Rectores eius patrimonij, vrbana, vel rustica prædia, iuri illius competere posse suspicantur fiscali more titulos imprimant atque hoc, quod competere pauperibus æstimant, non iudicio, sed manibus defendant.*

Epi. 64. *Clericorum quidem aliorum consuetudinem, te oportet illibatam seruare, eisque annis singulis quæ sunt consueta transmittere, nobis autem de cætero, nè quid transmittere debeas inhibemus.* A primis cunabulis Ecclesiæ communis erat vita Clericorum, sed excrescente sacra plebe, nec communionem vitæ ferente, Clerici de penu Episcopi, qui Rector totius census Ecclesiæ, sportulas mensurnas id est menstruas, vel annuas accepére. Cyprian. epist. 34. *Cæterum Presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis ijsdem cum Presbyteris honorentur, & diuisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Idem epist. 28. *Interim se à diuisione mensurnâ contineant, non quasi à ministerio ecclesiastico priuati esse videantur, sed vt integris omnibus ad nostram præsentiam differantur*, vnde sportulantes fratres dicti, qui sportulas accipiebant ab Episcopo Id. ep. 66. *Sed in honore sportulantium fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificijs non recedant.* Et hunc vsum distributionis annuæ sportularum in Clericos durasse ætate Gregorij liquet ex hac epist. quâ Pontifex respuendo xenia quæ ei offerebantur, præcipit Felici Episcopo Messanensi, vt illibatam seruet consuetudinem Ecclesiæ, eisque præstet annua, quæ solent erogari. Clerici etiam vicissim solebant xenia, & munuscula quæ Eulogias vocabant cultus & honoris gratia offerre Episcopis, quæ si vltrò fiant probantur. Synod. Meldens. can.

45. *Decet Presbyteros cum voluntarijs Eulogijs, tempore congruò visitare & venerari suos Episcopos.* Et eadem fuit sentẽtia Leonis 4.epist.ad Episcopos Britanniæ cap.5. *De eulogijs ad sacra Concilia deferendis, nihil inuenimus à maioribus terminatum, sed sicut vnicuique Presbytero placuerit.* Can.de Eulogijs 18.dist. Episcopi pariter bene merendi gratia solebant xenijs & muneribus colere Romanum Pontificem, & hæc consuetudo peruenit vsque ad Gregorium, qui Palmatianas quidem,de quibus mox dicemus à Messanensi Episcopo oblatas suscepit, sed eas venire, & transmitti iussit, quasi indignum esset summo Pontifice, eum beneficij debitorem esse,qui erat dispensator omnium beneficiorum Ecclesiæ.

Et quoniam non delectamur xenijs, Palmatianas quas tua direxit Fraternitas cum gratiarum actione suscepimus. Palmatianæ quid nàm essent, periculosum est affirmare, Illustrissimi viri Cardinalis Baronij coniectura est, palmatianas fuisse vinum laudatissimum, inde nomen Palmatianum, quod palmam ferret inter cætera vina regionis, vel vinum è palmis confectum. Sed valdè durum est credere Palmatianas dici de vino, quia si hæc fuisset mens Pontificis, haud dubiè dicturus esset palmatianum vinum,potius quam palmatianas, quod sine vitio sermonis dici non poterat, nec ferebat Regio Siciliæ vnde transmittebantur Palmatianæ, vinum è palmis, quas id solum nescit. Ego libentiùs coniectare ausim, huiusmodi Palmatianas fuisse vestes auro & palmis intextas quas ab Episcopis missitari ad Romanum Pontificem nouum & insolens non fuisse, satis insinuatur hac epist. quâ Pontifex, etsi xenijs non delectaretur vt ipse ait, oblatas suscepit, nè offerentis verecundiam pulsaret, qui nihil nouum tentabat, sed consuetudine iuuabatur, & Gregorium ipsum in Messanensem Episcopum velut minorem,austeriorem fuisse inficiari non possumus, quia eundem ab Eulogio Episcopo

Alexandrino Eulogias seu munera accepisse scimus ex ipsomet infr. lib. 6. epist. 36. *Suscepi autem benedictionem sancti Euangelistæ Marci, iuxta breue vestris epistolis insertum.* Et Gregorium ipsum vestes dono missitasse Eulogio patet ex eadem epist. *Paruulam vero benedictionem de amatoris vestri sancti* Petri *Ecclesia, sex minora Aquitanica* Pallia, *& duo* Oraria *transmisi.* Alia & munera Gregorium accepisse ab Eulogio, & certatim alia ad eum missitasse testis ipse libr. 3. epist. 60. A Ioanne primæ Iustinianæ Episcopo, idem xenia non suscepit, nè à pauperculis & afflictis fratribus munera accepisse videretur, vt ait idem infr. lib. 4. ep. 15. *Exenia autem vestræ sanctitatis suscipere omnino nolueram, quia valde esset incongruum, vt à prædatis, atque afflictis fratribus munera percepisse videremur.* Idem à Dominico Carthaginensi Episcopo xenia non detrectauit testis ipse lib. 5. epist. 19. *Sed quia sanctitas vestra, nudis me verbis alloqui recusat, Epistolis quoque xenia coniunxit, quæ nos cum gratiarum actione suscepimus.* Vestes ab Abbate S. Albani muneris & xenij causâ accepit Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, dicens vt refert Matth. Paris ad ann. 1170. *Accepto eius præsentias* id est xenia, *mallem tamen præsentiam.* Præsentias dicit xenia quod dentur præsentibus, vulgo *præsens.* Etiam Reges & Principes vestes muneris causa accepére ab Episcopis. Idem Paris ad anu. 1232. *Rex Anglorum Henricus fuit ad natale apud Vvintonam, cui Petrus eiusdem vrbis Antistes, necessaria omnia procurauit, & festiua tam Regi quam suis exhibuit indumenta cum donatiuis.* Vestes festiuæ sunt quas vulgus Comitisas idem Paris ad ann. 1254. *Cereos vestesque festiuas, quas vulgus Comitisas appellant.* Abbatissæ pro introitu Monacharum solebant accipere vestes. Cum obiiceretur Leobouerae Abbatissæ Monasterij sanctæ Crucis Pictauiensis de veste seu pallâ sericâ quæ apud eam reperta est, probauit se eam accepisse à nobili virgine muneris causa, Greg. Tur. lib. 10. cap. 15.

De palla quod reputarent, protulit Monacham nobilem quæ ei Mafortem Holosericum, quem de parentibus detulit muneris causa concessum. Et qui donabant res suas Ecclesiæ solebant accipere benedictionis causa, certos nummos & vestes Robert. Montens. ad ann. 1201. *Pro hac autem donatione Rogerius accepit ab Abbate Alexandro nomine charitatis xxx. libras Andegauenses, & equum vnum album à Vvilhelmo de Lunda, tunc cellario, duorum militum vestimenta de Estanfort, sui videlicet, & alterius militis.*

Coronas cum Delphinis duas, & de alijs coronis lilios. Epi. 66. Aliæ Coronæ sustinentur Delphinis, quod est piscis notissimum genus, ansarum vice. Aliæ sustinentur Angelis, quos lilios vocat à candore. Lilia signa Angelorum Papias *lilia vero Angelos, vel confessores justitia candidatos.* Coronas ex auro cum Delphinis ornatus causa à Constantino datas memorat Anast. in Sylvest. *Coronas quatuor eum Delphinis viginti ex auro purissimo*, & infr. *Coronam auream ante corpus vbi est phamecantarus cum Delphinis quinquaginta.* Coronas ante altare B. Petri appēdi moris antiqui fuit. Idē in Sergio *Cantharos & coronas, quæ ante sacrum altare, & confessionem B. Petri Apostoli, ex antiquo pendebant deponi fecit.* Super columnas lilios ponit Anastas. in Leone 3. *Hic sacer Antistes super ipsas columnas lilios poni fecit.*

Memoratum Hebræum, qui oblitus vigorem legum præsumpsit sacra ciuiliter comparare. Iudæis non licet sacra vasa Ecclesiæ comparare, id est emere vel alio modo adquirere, puta permutatione. Hoc distat comparatio ab emtione, quod emptio fit pretio, comparatio alio modo puta re pro re seu permutatione, & ita distinguntur hæc duo empta comparata L. si quid earum ff. de legat. 3. & ibi Glossa. Hieronym. aduers. Rufin. lib. 3. *Nec reprehendam quod comparatum Codicem pro empto posueris, cum comparatio æqualium sit, emptio pretij annumeratio &c.*

Quatenus cum Fausto, qui Romani, viri magnifici ex Epi. 67.

prætore Cancellarius fuerat loqui debeat. Cancellarius primitùs fuit scriba, vel Notarius principis, qui scribebat epistolas & alia acta principalia, & scriptoris modum non excessit. Vopiscus in Carino. *Præfectum vrbi vnum ex Cancellarijs suis fecit, quo fœdius nec cogitari potuit aliquando, nec dici.* Vel scriba prætoris qui acta forensia excipiebat. Honorius & Theodos. iunior in l. nullus C. de adsessor. iudic. *Nullus Iudicum ad Prouinciam sibi commissam, quemquam seruum ducere audeat, cui domestici, vel Cancellarij nomen imponat.* Anian. in l. 1. C. Th. ad l. Cornel. de fals. *Tabellio vero qui amanuensis nunc, vel Cancellarius dicitur.* Inde Synodus Cabillonens. 2. can. 44. vetat Presbyteros Cancellarios publicos esse, nè forensibus rebus se immisceant. Cancellarij nomen vnde manarit, à statione quæ eis erat intra cancellos, vt tutiora essent eorum scrinia. Vnde Cancellarij Officium militiam cancellorum vocat, Cassiod. 11. Var. 6. *Militiam domesticam Cancellorum tibi decus attribuit, vt consistorij nostri secreta fideli integritate custodias, per te præsentandus accedat,* & infrà *Latere non potest quod inter Cancellos egeris.* Idem signat Agathias lib. 1. de Ministris Narsetis οἷς δὲ τὰ ἀρχεῖα ἐπιτρόπιστο, τούτους δὲ ἔθος ῥωμαίοις ἐκ τῶν κιγκλίδων ἐπονομάζειν, ἢ τῆς ἐν τούτοις ἐπιμελείας. *Quibus vtique archiua curæ erant, hos vero moris est Romanis à Cancellis appellare & ab opera quam in ijs præstant.* Cancellarij dignitas paruis creuit initijs & in fastigium dignitatum surrexit. Ab initio Cancellarius fuit tantum scriba, Notarius, amanuensis Principis vel præfecti Prouinciæ, vel prætoris seu judicis, cuius officium versabatur in scriptione actorum principalium, vel judicalium, sed Principes vel præfecti Prouinciarum, eorum opera vsi sunt ad alia officia publica, puta legationes, & maiora quæque vt à Gennadio Exarcho Africæ missus Cancellarius ad Gregorium infr. lib. 6. epist. 2. *Nam & vir excellentissimus filius noster Gennadius Patricius suum ad nos pro causâ eadem*

Cancellarium destinauit. Idem signat Cassiodor. 1. Var. ep. 3. *Et ideo frumenta publica quæ de Calabro atque Apulo littoribus per Cancellarium vestrum æstatis tempore consueuerant destinari, nec autumno venisse modis omnibus permouemur.*

Cognouimus quosdam in Sicilia insulâ simulantes se sedis Apostolicæ defensores, de frumento vos in Angarijs, aliisque rebus affligere. Nonnulli erant in Siciliâ, qui fingentes se sedis Apostolicæ defensores, varijs angarijs in frumento & aliis rebus, grauabant rusticos seu Colonos Ecclesiæ Romanæ, vt ab his caueatur, Pontifex iubet, nè huiusmodi homines admittantur, nisi specialiter nitantur scriptis, id est mandatis in scriptis sedis Apostolicæ, vel Rectoris sacri patrimonij. Hi sunt qui ironicè Tonsuratores dicti vt infr. lib. 10. ep. 47. *Peruenit ad nos quod Tonsuratores in Sicilia prauâ sibi præsumptione nomen defensorum sumerent &c.* De quibus suo loco pleniùs dicemus. Qui se dicunt defensores non admittendi sine literis Apostolicis. Quia delegatus à sede Apostolica non creditur, nisi fidem faciat de mandato Apostolico l. 1. C. de mandat. l. sancimus C. de diuers. rescript. l. prohibitum. C. de iur. fisc. can. nobilissimus 97. dist. can. legum 2. quæst. 1. cap. cum in iure de offic. delegat.

Quia fratres & Coëpiscopos nostros in Siciliâ insula commorantes, ad beati Petri Apostoli natalitium diem conuenisse voluimus, scriptis præcedentibus agnouisti. Ep. 70. Constitutione Anacleti, Episcopi qui ordinationi sedis Apostolicæ subiacebant, id est immediatè p rebant summo Pontifici & propinqui singulis annis Apostolorum limina visitare tenebantur, can. iuxta. 93. dist. Episcopi vero Siciliæ, de consuetudine semel per triennium Romam conueniebant ad natalem Petri. Sic vocatur dies agonis Martyrum, sed hoc onus eis à Gregorio de triennio redactum est ad quinquennium de quo infr. lib. 6. epist. 19. *Nouit dilectio tua hanc olim consuetudinem tenuisse vt fratres & Coëpiscopi nostri Ro-*

mam semel in triennio de Siciliâ conuenirent, sed nos eorum labori consulentes, constituisse vt suam huc semel in quinquennio præsentiam exhiberent. Episcopi etiam Galliarum electi debebant semel visitare sedem Apostolicam. Gaufredi Rothomagensis Episcopi moram, quod impediretur à Rege Anglorum excusat Iuo Carnot. epist. 254. ad Paschalem 2. *Rogamus enim paternam discretionem vestram, pro Domno Gaufredo Rothomagensi Archiepiscopo, qui tunc tandem impetrauit à Principe suo Rege Anglorum vt posset in propria persona sedem Apostolicam visitare, quam tamen non distulit visitare suis temporibus in personâ alienâ.*

Exceptis dumtaxat frumentis, quæ nunc mense Septembri vel Octobri iuxta consuetudinem transmitti præstolamur. Vectigal frumenti in specie prestabatur mense Septembri. Nou. Iustin. 128. cap. 1. & transuectio frumenti fiebat eodem mense, propter proximum periculum maris, si vectura differretur in mensem Nouembrem, quo mare clauditur. Veget. lib. 4. cap. 9. *Ex die tertio iduum Nouembris, vsque in diem sextum iduum Martiarum maria clauduntur.* Ideo in l. qui Romæ §. Callimachus de v. o. in mutuo pecuniæ nauticæ conuenisse legitur, vt qui accepisset pecuniam intra idus Septembres, è Brentesio solueret, quo tuta esset pecunia, electo idoneo nauigationi tempore, nondum mari clauso.

Naues vero, quæ commendatæ Ecclesiæ sanctæ semper fuérunt in omnibus tuére. Priuati naues Ecclesiæ commendare solebant vt fauore, & auctoritate patronæ tutæ essent à prędis, si forte naufragio ad littora proiectæ essent.

Memor quod ante sacratissimum Beati Apostoli corpus potestátem patrimonij eius acceperit. Defensores patrimonij Ecclesiæ Romanæ ante susceptam administrationem cauebant iureiurando de rebus Ecclesiæ diligenter & ex fide gerendis ante corpus Beati Petri id est ante altare Beati Petri, sub quo eius corpus quieuit, vt patet & infr. libr.

11. epist. 39. *Experientia tua quod vel quale apud sacratissimum corpus Beati Petri Apostoli iusiurandum præbuerit memor est.*

Vt primatem non ex ordine loci, postpositis vitæ meritis faciat. Primates in Numidia, ad quos pertinet hæc epist. quę scripta est ad Gennadium Exarchum Africæ, non fiebant ex ordine loci, seu cathedræ sed prioritate ordinationis, Primus erat, qui prior erat tempore ordinationis, quod apertè probatur hac epist. vnde desumptus est can. sicut 23. qu. 4. Eiusdem argumenti est epist. 75. infr. hoc libr. ad Episcopos Numidię, qua Pontifex probat consuetudinem de primatibus constituendis, exceptis his, qui è Donatistis ad Episcopatum peruenirent, qui à primatus dignitate semper arcentur videatur epist. 32. infr. lib. 10. Idem de primatibus Africæ testatur Leo 9. epist. 4. *Sed de Africæ Primatibus aliter intelligendum est, qui in singulis eius Prouincijs, antiquitus Primates instituebantur, non secundum potentiam alicuius ciuitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis, quibus tamen omnibus præerat vnus, scilicet Chartaginensis Archiepiscopus, qui etiam non incongruè dici potest Metropolitanus, propter Chartaginem Metropolim totius Africæ.*

Ita vt non parua loca patrimonij eius, proprijs nudata cultoribus, largitis Datitiorum habitatoribus restaurauerit. Epist. 73 Gratias agit Gennadio Exarcho Africæ, quod non pauca prædia, quę erant Ecclesiæ Romanæ in Africa propriis defecta cultoribus, è suis largitis instaurarit. Inde fortè nomen Datitij, quod essent dati à Gennadio vel à genere seruorum, qui dicebanter Deditij. Hi erant liberi homines, qui se maioribus vltro dabant in seruitutem tutelæ & prędidij causâ, de quibus Saluianus de gubernat. lib. 5. *Tradunt se ad tuendum protegendumque maioribus, Dedititios se diuitum faciunt, & quasi in ius eorum, ditionemque transcendunt.*

Vt quoniam præsentiæ nulla potest esse notitia, hic discursus opinionis efficiat, Epist. 74 vt qui non sunt noti de facie, sint noti de

famâ, discursus opinionis est vastitas, latè patentia famę, seu latior fama.

Epi.76. *Quatenus tuis dispositionibus eius* (Ecclesię) *possit vtilitas profligari*, Leoni Episcopo visitationem Sagonensis Ecclesiæ vacantis imponit, quatenus eius dispositione vtilitas Ecclesiæ possit profligari, id est disponi, vt insinuant verba quæ proximè præcedunt *tuis dispositionibus* & ea quæ sequuntur in fine huius epist. *Vt tua dispositione vtilitates ecclesiasticæ salubriter modis omnibus Deo valeant auctore disponi.* Eadem voce eodem sensu vsus est Gregor. infr. lib. 7. epist. 36. ind. 11. de reliquijs SS. Ioannis & Pancratij Martyrum. *Quatenus in locis quibus condendæ sunt, luminaria, vel alimoniæ ibidem seruientium ante dedicationem loci ipsius debeant profligari* Eodem quoque sensu Conc. Tolet. 5. can. 6. *Vt quisquis superstes principum extiterit, iustè in rebus profligatis aut largitate principis acquisitis, nullam debeat habere iacturam.* Idem ijsdem verbis Conc. Tolet. 6. can. 14. Papias *profligat distribuit, accelerat consumit, celerius erogat, acquirit.* Profligari tempus pro consumi dixit Petrus Damiani libr. 6. epist. 5. *Fragilium igitur imbecillitati consulitur, dum in persoluendo continui ordinis penso, totum non modo diurni, sed & nocturni temporis spatium profligatur.*

In qua etiam Ecclesiâ, vel eius parrœcijs, Diaconos, atque Presbyteros tibi concedimus ordinandi licentiam. Ad visitatorem vacantis Ecclesiæ pertinet ordinatio Clericorum. Nec non manumissiones seruorum apud eum fiunt in Ecclesia. Gregor. infr. lib. 2. epist. 7. ind. 10. *Clericos ex laicis ordinari nec non & manumissiones apud te, in eadem Ecclesia solemniter celebrari concedimus.* Constitutione Constantini manumissiones seruorum in Ecclesia fiunt apud Episcopum. L. 1. C. de his qui in Eccles. manumitt. August. serm. 2. de vita commun. Clericor. *Tamen de laboribus suis*

antequam esset Clericus, emerat aliquos seruulos, hodiè illos in conspectu nostro manumissurus est, episcopalibus gestis. Hoc iure manumissiones fiebant apud visitatorem vacantis Ecclesiæ, quia habebat iura Episcopalia in Ecclesia vacante.

In Ecclesia Salonensi, quæ iamdiu Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te secundum petitionis tuæ modum, hac auctoritate constituimus sine dubio Sacerdotem. Epist.77 Martinum Episcopum Tamitanum Corsicæ, sede sua destitutum Ecclesię Salonensi imposuit Cardinalem Sacerdotem, vt ostenditur hic & epist.seq. Episcopi sedibus suis pulsi ob barbaricam feritatem, vacantibus Ecclesijs à Romano Pontifice, cuius hoc proprium erat, solatij & alimoniæ causâ dabantur Cardinales Sacerdotes, seu Pontifices. Vt probatur hic & infr.lib.2. ep.13.ind.11. can.relatio 21. qu. 1. & eodem lib.epist.25. ind.10. can.pastoralis 7.qu.1. & lib.5. epist.11. ind. 14. can. fraternitatem 71. dist. vnde dicebantur incardinari vt liquet ex eisdem locis. Id genus Cardinalium Sacerdotum, non erat in perpetuum,sed ad tempus, si enim ciuitas eorum postliminio reciperetur ab hostibus,ad eam redibant d.epist.25.libr.2. & in eadem Ecclesia vacante aliquando vnà constituebatur Cardinalis Sacerdos, & Visitator qui electionem Episcopi promoueret vt in epist.seq. Ecclesiæ Salonensi simul Martinum Tamitanum datum Cardinalem Sacerdotem, & Leonem Episcopum Visitatorem datum, qui Episcopalibus fungeretur obseruamus.

Quod autem perhibetis ab exactione Patrimonij Siciliæ, sanctæ cui Deo præsidetis auctore Ecclesiæ, certam redhiberi pecuniæ quantitatem. Epist.80 Ecclesia Mediolanensis habuit certa prædia in Sicilia, de quibus Cassiod. Var. lib.1. epist. 29. *Et ideo Beatissimi viri Eustorgij Episcopi sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ petitione permoti præsentibus te affatibus admonemus, vt prædijs vel honoribus illius Ecclesiæ, intra Siciliam*

constitutis, tuitionem studeas salua ciuitate præstare, horum prædiorum curam habebant actores Ecclesiæ & fructuum rationem reddebant Episcopo Mediolanensi quam exigi indicat hic Gregorius. Et temporibus Longobardorum Ecclesiæ Mediolanensi, cæteris ab hoste occupatis, solum saluum fuit patrimonium siciliæ. Gregor. libr. 8. ind. 4. epist. 65. *Nec enim est quod vos hac ex causâ deterreat, vel aliquam vobis necessitatem incutiat, quia vnde possint alimenta sancto Ambrosio seruientibus Clericis ministrari nihil in hostium locis, sed in Siciliâ, & in alijs reipublicæ partibus Deo protegente consistit.*

Epi. 81. *Liberatus quia Diaconij fungi perhibetur officio, si à decessore tuo non factus est Cardinalis*, Archidiaconus est primus Diaconorum, qui præest cæteris Diaconis, vnde Archidiaconus dicitur, vel Diaconus Cardinalis vt hic, Archidiaconi creatio pertinet ad Episcopum. Et hoc est quod ait Pontifex Liberatum nulla ratione alijs Diaconis se prę-ponere valere, si ab Episcopo non est factus Cardinalis. In Ecclesia Alexandrina tamen Diaconos ex se ipsis elegisse Archidiaconum insinuare videtur Hieron. ad Euagrium *Diaconi eligant de se quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent.*

Et vltimum inter Diaconos stare constitue, quia Archidiaconi passim superbiebant in Episcopos & Presbyteros, ob ditionem sacri ærarij, quam habebant, varijs artibus eos in ordinem redegére Episcopi. Vt hoc loco Liberatum Diaconum Ecclesiæ Caralitanæ in vltimum gradum Diaconorum retrudi iussit Gregorius. Regradatio seu retrusio in infimum locum est pœna Canonica can. Presbyter. 82. dist. can. præcipimus 95. dist. can. mandamus 19. qu. 3. cap. interdiximus de ætate & qualit. & ordin. præfic. cap. licet quibusdam. de Regular. Innocent. 3. lib. 2. ep. 11. Goffrid. Vindoc. lib. 2. epist. 12. Steph. Tornac. epist. 7. Pari fastus vitio, Honoratus Archidiaconus Salonitanus à suo Epis-

copo in Presbyterum ordinatus est, vt ei dispensatio gazæ ecclesiasticæ adimeretur, de quo questus se specie fortioris seu altioris ordinis degradatum vt ostensum est supr. lib. 1. epist. 19. & infr. lib. 2. epist. 16. ind. 10. can. gesta, can. Honoratus 74. dist.

Hilario Monacho Africæ, Hilario Monacho vices suas mandat in Africa, vt eo instante Concilium celebretur aduersus Donatistas & Argentium Lomisensem Episcopum. Multis post seculis frater Petrus de Castronouo, & Radulphus Monachi Cistercienses Ordinis Legationem suscepére aduersus Albigenses Hæreticos, quorum erroribus Gallia Narbonensis nimis fœdata. Petrus Vallissenens. hist. Albig. cap. 1. *Monachi duo Cistercienses zelo fidei succensi, Fr. Petrus videlicet de Castronouo, & F. Radulphus autoritate summi Pontificis, contra pestem infidelitatis instituti legati.* Etiam Subdiaconis sedis Apostolicæ vices suas mandauit Gregorius, vt Petro Subdiacono in Sicilia sup. lib. 1. ep. 1. *Quamobrem Petro Subdiacono sedis nostræ, intra Prouinciam Siciliam vices nostras Deo auxiliante commisimus.* Sed constitutione Bonifacij 8. quâvtimur causę à sede Apostolica alijs quam dignitate præditis, vel personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis demandari non possunt cap. statutum. de rescript. in 6. Clem. & si principalis. eod. tit. Epi. 82.

Tuaque instantiâ in locis illis fiat ex more Concilium. Hilario Monacho, vt vices sedis Apostolicæ agenti in Africa, mandatur, vt curet Concilium Episcoporum ex more celebrari aduersus Donatistas. Moris erat in Africa annua concilia Episcoporum cogi ad compescendos Donatistas, quo pertinet epist. 72. supr. h. libr. quæ scripta est ad Gennadium Exarchum Africę. *Concilium vero Catholicorum Episcoporum admoniti præcipite.* Hilarium Chartularium suum in Africa vocat infr. lib. 10. epist. 32. & supra epist. 75. h. libr.

AD LIBRVM SECVNDVM.

Præf. DEPOSITVS *est Laurentius qui primus fuerat in ordine Diaconij Sedis Apostolicæ, propter superbiam & mala sua quæ tacenda duximus.* Anno secundo Pontificatus Gregorij, Laurentius Archidiaconus Ecclesiæ Romanæ ab eo depositus est ob fastum & alias causas quas tacendas duxit. Maior fuit auctoritas Archidiaconi ob curam sacri ærarij quæ apud eum erat, inde Archidiaconi inflatio etiam aduersus Episcopum, & Presbyteros. Ob hanc causam in Ecclesia Romana sublatum est officium Archidiaconi, cui successit Camerarius vt docuit Ioannes Vetus glossator in can. si Petrus 8. qu. 1. cuius officium non expirat morte Pontificis Clem. nè Romani §. eo tamen de Elect. Ætate Vrbani 2. durabat in Ecclesia Romana dignitas Archidiaconi. In Concilio Barensi Vrbanus 2. Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem Anglia profugum sedere iussit iuxta Romanum Archidiaconum, cui ante Papam, id est ad vestigia eius sedere moris est, additis his verbis *includamus hunc in orbe nostro quasi alterius orbis Papam.* Vvillem. Malmesb. de Gest. Pontific. Anglor. l. 1. Quinimò & temporibus Innoc. II. Radulfus Antiochenus Patriarcha ab Arnulfo Archidiacono Romano accusatus apud Innocentium II. de pallio per se assumpto, dimisso pallio aliud accepit de corpore Beati Petri more solemni per priorem Diaconorum. Guill. Tyrius lib. 15. cap. 13. Tacentur ex parte cau-

Idem Eadmer. libr. 2. pag. 52.

sæ propter quas Laurentius depositus, quia fortè fœdæ erant, & tacendę vt consuleretur pudori & verecundiæ ordinis, sic Eustachius Antiochenus Episcopus in Synodo Antiochena depositus, tacitâ causâ depositionis. Socrat. lib. 1. cap. 18.

In basilicâ aureâ. Ea est Basilica Lateranensis seu Saluatoris, quę à conditore dicta est Constantiniana, propter ornamenta aurea vocata est aurea. De qua Anastas. in Siluestr. Onufr. Panuin. de Sept. Vrb. Eccles. cap. 4.

Solennitas annuæ deuotionis nos filij dilectissimi admonet vt Litaniam, quæ maior ab omnibus appellatur, sollicitis ac deuotis debeamus mentibus celebrare Sæuiente peste Romę, & Pelagio Pontifice iam lethali lue extincto Gregorius proximus eius successor, irati numinis placandi gratia, solemnem Litaniam seu supplicationem indixit per septem maiores Ecclesias vrbis quæ maior inde dicta est, vel à causâ indictionis quæ erat maxima propter imminens periculum ciuitatis. Eadem septiformis dicta est, quia in ea Clerus, & omnes ordines in septem classes distincti processére, vt patet ex sermone Gregorij hic præfixo epist. 1. h. lib. Greg. Tur. lib. 10. cap. 1. Paulo Diacono de Gest. Longobard. lib. 3. cap. 25. Io. Diacono lib. 1. c. 25. Martyrol. 25. April. & ibi Baronio. Idem Pontifex liberata ciuitate in gratiam eximij beneficij solemnem annuam litaniam instituit. Inde Litaniæ maiores dictæ, quæ ante Ascensionem celebrantur Anast. in Leone 3. *Cum die quadã more solito, in Letanijs quæ ab omnibus maiores appellantur procederet*

Certa igitur feria veniente à titulo Beati Laurentij Martyris, qui appellatur Lucinæ. Letania solemnis pestis causa indicitur ab Ecclesia B. Laurentij Martyris, quę appellatur Lucinę, & dicitur titulus, quia est vnus è titulis Cardinalibus vrbis, hanc condidit Sixtus III. ornauit Valentinianus 3. Augustus Anastas. in Sixto III. & in Sergio.

Epist. 1. *Sed & terrulam Ecclesiæ nostræ vicinam, quam solidum vnum & tremisses duos pensitare asserunt, si ita est sibi libellario nomine ad summam tremissis vnius habere concede.* Monasterio sancti Michaëlis, quod Tropeis positum dicitur terrulam, quæ locata erat, vel in emphyteusim tradita, sub pensione annuâ vnius solidi, & alterius tremissis, concedit sub censu tremissis vnius. Tremissis est tertia pars solidi seu aurei. Isidor. orig. libr. 16. cap. 24. *Vulgus aureum solidum vocat, cuius tertiam partem, ideo dixerunt tremissem, eo quod solidum faciat ter missus*, hoc nummi genus ea ætate vsu tritum fuit Paulus Diacon. de Gest. Longobard. lib. 5. cap. 39. *Denique cum die quadam solidos super mensam numeraret, vnus tremissis de eadem mensa cecidit.* Conc. Brachar. 2. can. 4. *Quia singuli tremissem pro ipso exigere solent, nihil vlterius exigatur.* Can. placuit 1. qu. 1. Terrula est exiguum prædium, sed passim terrulæ dicuntur prædia Ecclesiæ, fortè inuidiæ amouendæ causâ. Synod. Agath. can. 45. *Terrulas aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus vtiles, aut longè positas, & paruas, Episcopus sine consilio fratrum distrahendi habeat potestatem, can. Terrulas* 12. *qu.* 2.

Suademus vt à Longobardorum, siue Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione, siue exhortatione nulla ratione cessetis. Sæuiente peste in Narnienſi ciuitate Gregorius præcepit Episcopo loci, vt Longobardorum & Romanorum ibi permixtim degentium conuersioni daret operam. De Longobardorum etsi hostium Imperij & Ecclesiæ, æquè ac de Romanorum seu Italicorum salute sollicitus Pontifex. Quam mitis & abstinens à sanguine Longobardorum idem fuerit testis locuples ipse infr. lib. 7. epist. 1. *Si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces nec Comites haberet.*

Epist. 3. *Ecclesiam Dei sine doctore diu vacare non patimur quia & canonicis*

Canonicis regulis est constitutum, vt defuncto, vel sublato pastore, diu Sacerdotio priuari Ecclesia non debeat. Neapolitanâ sede vacante, depositione Demetrij Episcopi, mandat Clero & nobilium ordini, ac plebi, vt quam primum eligatur Episcopus, secundum Canones. Eos intelligit per quos electio Episcopi, non debet differri vltrà tres menses nè diutius vacet Ecclesia vt ostenditur hic & infr. lib. 6. epist. 39. can. postquam 50. dist. can. obeuntibus. 63. dist. cap. nè pro defectu. de elect. cap. quamquam. eod. tit. in 6. Et post electionem consecratio Episcopi debet celebrari intra sex menses can. ordinationes. can. quoniam 75. dist. can. quoniam 100. dist.

Quas videlicet vices non loco, sed personæ tribuimus. Gregorium Petro Subdiacono vices suas in Sicilia primitus demandasse traditur supr. lib. 1. epist. 1. Petro Subdiacono tempus Vicariatus defuncto, vices suas in eadem Prouincia mandauit Maximiano Syracusano Episcopo. Sed hoc munus fuit personale, non loco id est Cathedræ, sed personæ affixum, ideo nè forte successores eius præsumerent, hoc datum Cathedræ, potius quam personæ, periculo præsumptionis vt occurrat, ait se vices suas non loco, seu Cathedræ, sed personæ tribuere, propter merita personæ. *Epist. 4.*

Et quia præsentium lator Calumniosus, pro hac percussione quam sustinet, consueta sibi commoda ab Ecclesia vestra asserit negari. Calumniosum Presbyterum per Episcopum ab Ecclesia amotum ob ægritudinem, iubet restitui. Presbyter ob ægritudinem non est deponendus, nè flagellatis seu afflictis detur afflictio vt probatur ex hac epistol. vnde desumptus est can. cum percussio 7. qu. 1. idem constitutum in causa Adeodati Presbyteri infr. lib. 3. epist. 13. can. prę̨sentium ead. caus. & qu. Episcopus vel Presbyter ob ægritudinem non deponitur, sed si laboret morbo sontico, & perpetuo, ei datur Adiutor. cap. ex parte de Cleric. ægrot. vel debilit. *Epist. 5.*

Epist.6. *Vt eum Cardinalem habere desideretis Episcopum gratulamur.* Vacanti Ecclesiæ Neapolitanæ Paulus Episcopus Cardinalis Episcopus datus à Gregorio. Ad eum scripta est epist. proxima, quâ exponuntur ea quæ pertinent ad officium Episcopi Cardinalis, seu Visitatoris, putà ordinatio Clericorum, manumissio seruorum in Ecclesia & alia. Eundem Neapolitanæ Ecclesiæ vacanti Visitatorem datum ait infr. epist. 20. h. libr.

Epist. 7. *Quatenus testimonium, quod de eo Neapolitanæ ciuitatis Clerus, nobilitas simul habet & populus, bonitatis tuæ roboretur augmento.* Suadet Paulo Cardinali Episcopo dato vacanti Neapolitanæ Ecclesiæ, vt ita se gerat vt eius meritis roboretur, testimonium Cleri, nobilium & plebis ex quo datus est. In electione Episcopi spectatur testimonium plebis, Honoratorum arbitrium, electio id est suffragium Cleri. Leo I. epist. 87. *Vota ciuium, testimonia populorum, Honoratorum arbitrium, electio Clericorum, in ordinationibus Sacerdotum expectantur.* can. vota 63. dist.

Epist. 8. *Clero ordini & plebi consistenti Nepæ.* Nepè est ciuitas Episcopalis Thusciæ ditionis Ecclesiæ Romanæ Colonia Romanorum Velleius lib. 1. *Sutrium deducta colonia est, & post annum Selina, nouemque interiectis annis Nepe.* Eiusdem meminit Prisc. lib. 6. Synodo octauæ Oecumenicæ sub Adriano 2. vnus è legatis sedis Apostolicę præsedit Stephanus Episcopus Nepesinus. Ex gestis Synod. act. 1. in pr. de Episcopo Nepesino meminit cap. quoniam de priuilegiis.

Quisquis congruæ ordinationi eius restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscitur. Præcipit clero & plebi Nepesinæ, vt pareant Leontio Episcopo illuc à se transmisso, scituri si eius ordinationi restiterint, se pugnaturos contra sedem Apostolicã. Resultare enim idem sonat quod intercedere, resistere, niti in contrarium, vt iam obseruatum supra lib. 1. epist. 20. alias resultare sumptum inuenies pro

resonare, sonum reddere, vti facit Echo Ambros. in Psal. in proëm. *Vox missa gratiosè, plausu in montibus resultat.*

Perceptâ primitus donatione legitimâ, Timothea illustris fœmina, oratorium in fundo suo apud Ariminum constructum consecrari desiderabat, Pontifex Episcopo Ariminensi præcipit, vt absque missis publicis solenniter consecretur, dicta prius dote legitimâ, id est idoneâ, quia Ecclesia non est consecranda sine dote Conc. Bracharens. 2. can. 5. *Vnusquisque Episcoporum meminerit vt non prius dedicet Ecclesiam, nisi anteà dotem basilicæ & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat*, can. placuit 1. qu. 2. quod reppetijt Conc. Vvormat. can. 3. & can. nemo de consecr. dist. 1. cap. cum sicut de consecr. Eccl. vel altar. eiusdem argumenti sunt plures epistolæ vt infra lib. 7. epist. 71. lib. 10. epist. 12. lib. 12. epist. 10. Inde Gelasius Seuerioni Episcopo Ecclesiam in honorem S. Viti consecrari imperauit collata primitus solenni donatione can. piæ mentis 16. qu. 7. idem statuitur Nou. Iust. 67. cap. 2. & Nou. 123. cap. 18. *Epist. 9.*

Retento sibi vsufructuario diebus vitæ suæ. Donatio fit retento vsufructu in diem vitæ, vsufructuarium hic accipitur pro iure vsufructus.

Gestisque municipalibus alligata, Ecclesia non est consecranda sine dote idoneâ, & vt ea tuta sit, duo requiruntur, primum vt donatione id est traditione chartulæ confirmetur d. Conc. Brachar. 2. can. 5. Secundum vt dos seu donatio apud acta municipalia insinuetur. Eadem cautione vsus est Gregor. infr. lib. 7. ep. 71. 84. lib. 10. epist. 12. & in testamento Leodebodi Abbatis Floriacensis anni Christi 623. apud Helgald. in vita Roberti Regis. *Quam donationem vt firmior habeatur, gestis municipalibus alligare decreui.*

Ita vt in eodem loco, nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec presbyterum constituas Cardinalem. Permit-

tit oratorium constructum in fundo priuati, dote datâ consecrari, ita vt nec in futurum ibi baptisterium construatur, nè id fiat in fraudem parrochialis Ecclesiæ, quæ sola habet baptisterium, vnde & Ecclesia parrochialis Baptisterium dicitur. Sidon. lib. 4. epist. 15. *Nam Baptisterium quod olim fabricabamini scribitis posse iam consecrari.* Eademque passim Ecclesia baptismalis Conc. Ticinens. can. 11. Meldens. can. 48. & can. plures 16. quæst. 1. Additur altera lex, nè Presbyter constituatur, id est Presbyter in titulum, sed Presbyter postuletur ab Episcopo Missarum celebrandarum causâ, id est Presbyter conductitius.

Dominicum Presbyterum in eadem Ecclesiâ, vt præesse debeat nos certum est deputasse. Interdum eâ ætate Pontifex extra ordinem conferebat minora beneficia vt hoc loco Ecclesiam Parœcialem contulit cuidam Dominico Presbytero. Aliquando Pontifex mandabat Episcopis, certum beneficium conferri cuidam Clerico. Ioan. Saresber. epist. 230. *De cætero quia Rhemensis Ecclesia dicitur ad curiam proficisci, precor vt M. Radulfo, per Dominum Papam & alios ab Archiepiscopo & Canonicis Decaniam obtineatis.* Collationi beneficiorum manus iniecta est à Romano Pontifice, ex quo pronuntiatus est Ordinarius Ordinariorum in Conc. generali Lateranensi can. 5. cap. antiqua de priuileg. Exinde Pontifex concurrit cum omnibus ordinarijs, & iure præuentionis confert omnia beneficia vacantia.

Et decimæ fructus indictionis, qui iam percepti sunt. Idem est ac si diceret fructus anni labentis iam percepti, quia annorum numero addebatur indictio. Indictio erat quasi nota & signaculum anni, vt tutior ab errore & falso esset, inscriptio seu data instrumentorum, duplici signo munita, & anni, & indictionis.

Epist. 11. *Temporis qualitas admonet, Episcoporum sedes antiquitus certis ciuitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus, ad eiusdem Diœceseos loca transponere.* Sedes Velitrensis à Pon-

tifice tranſlata ad locum Harenata ad S. Andream, ob metum hoſtilitatis Longobardorum. Tranſlatio Epiſcopalium ſedium non poteſt fieri ſine authoritate ſummi Pontificis, quia eſt de maioribus cauſis. Sic Cenetenſis Eccleſia, quia poſita erat loco intuto, & infeſto incurſionibus Teruiſinorum in tutiorem locum tranſlata, autoritate Innocentij III. teſtis ipſe Innoc. 3. lib. 2. epiſt. 8. Tranſlatio etiam ſedium Epiſcopalium non fit ſine conſenſu principis cuius maximè intereſt cap. nouit. nè Sede vacante. Sic Eccleſia Magalonenſis è Magalonæ inſulâ Montem-peſſulanum tranſlata eſt anno 1536. conſenſu Pontificis & Franciſci I. Regis de quo Rebuff. in prax. part. 1. in form. ſignaturæ. *Epi.* 12.

Omnia mihi Theodorus vir Conſularis indicauit, is fuit à Conſiliis Gregorij, ideo is Conſiliarium ſuum vocitat lib. 2. epiſt. 18. ind. 11. & lib. 8. epiſt. 51. ind. 3.

Soliſte conuiuijs occupatum. Increpat Natalem Epiſcopum Salonitanum, quod ommiſſis ſtudijs lectionis & exhortationis, id eſt prædicationis ſolis epulis ſeſe daret. Epiſcopi lautius epulantes ſemper malè audiére Hieronym. ad Nepotianum *Turpe eſt ante fores Sacerdotis Chriſti crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque veſcatur alieno, lictores Conſulum & milites excubare, iudicemque Prouinciæ melius apud te prandere, quam in palatio.* Vincentium Præfectum prætorio Galliarum virum laudatiſſimum ad epulas non admiſit Martinus Turonenſis Epiſcopus, licet ſæpius rogatus, & exemplo Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi ſollicitatus, nè inde inanis gloriæ ſenſus obreperet. Seuer. Sulpit. dialog. 2. de virtutibus Monach. Orient. *Memini Vincentium Præfectum virum egregium, & quo nullus ſit intra Gallias, omni virtutum genere præſtantior, dum Turonos præteriret à Martino ſæpius popoſciſſe, vt ei conuiuium in ſuo Monaſterio daret, in quo quidem exemplum Beati Ambroſij Epiſcopi præferebat, qui eo tempore Conſules & Præfe-* *Epi.* 14.

ctos subindere pascere ferebatur, sed virum altioris ingenij, nè qua ex hoc vanitas atque inflatio obreperet noluisse. Natalis Episcopus de vsu epularum se excusauit per epistolam apud Pontificem adductis variis exemplis Abrahæ Isaaci & ipsius Christi qui epulis non semel interfuit, cui respondit Pontifex eleganti epist. quæ est 37. infr. h. lib.

Sed ipsum quoque vsum ecclesiastici ordinis ignores. Notat Natalem Episcopum de ignorantia vsus ordinis ecclesiastici, id est disciplinæ ecclesiasticæ. Vt infr. h. lib. epist. 17. de eodem. *Necesse est vt canonicæ rationis vindictam sentiat, quanto & ipse regulam canonicam ignorat.*

Quod si forte facere distuleris, vsum tibi pallij, qui ab hac sede concessus est, noueris esse sublatum. Ius pallij, est proprium insigne Metropolitanorum, tamen etiam Episcopis à sede Apostolica indultum fuit vt Episcopo Salonitano hic & infr. epist. 15. 16. h. lib. Siagrio Episcopo Augustodunensi infr. libr. 7. epist. 5. ind. 1. Episcopo Ostiensi à Marco 1. ob præmium consecrationis quæ per eum fit Romani Pontificis. Episcopo Ticinensi ab Anastasio 3. Lucensi in Thuscia à Gregorio 7. Banbergensi in Germaniâ à Leone IX. Anicensi ab Vrbano II. Episcopo Dolensi à Pelagio 1. Quinqueecclesiensi Episcopo in Hungariâ cap. pen. de præsumpt. Natali Episcopo vsu pallij interdicit si Honoratum Archidiaconum non restituat.

Ius crucis præferendæ impetrauit Ioannes Episcop. Placent.

Petr. Damiã. libr. 1. Epist. 21.

Eum qui contra iustitiæ regulam in Archidiaconatum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem Archidiaconatus honore deponimus. Natalis Episcopus Salonitanus Honoratum Archidiaconum inuitum in Presbyterum ordinauit, & sic ab Archidiaconatu amouit, & alium in eius locum suffecit. Auditis querelis Honorati, Pontifex eum Archidiaconatui restituit, submoto eius successore. Diaconus inuitus non potest promoueri ad altiorem ordinem can. consuluit 74. dist. ratio redditur hic & in duabus epist. seqq. nè specie prouectionis ad fortiorem honorem, arte

callidâ degradetur. Item depositio Honorati nulla erat quia facta erat malignè, quod impedimento esset, nè sacra vasa daret parentibus, id est proximis, & facta erat præter mandatum apostolicum.

Quod eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Honoratus Archidiaconus in Presbyterum ordinatus, & sic Archidiaconatu depositus, à Natali Episcopo, non aliâ de causâ, quam quia displicuit quod eum vasa sacra parentibus dono dare prohiberet, & hoc est quod ait suprà hac epist. & in seqq. eum depositum *causa ingratitudinis* id est non alia fuit causa cur gratus non esset Episcopo, quam offensa contracta, quod prohiberet vasa sacra ab Episcopo dari parentibus. Scriptores huius æui abusi sunt appellatione parentum, etiam pro liberis fratribus & cognatis. Gregor. Tur. lib.2.hist. cap.4. de Clodoueo Rege. *Veh mihi qui tamquam peregrinus inter extraneos remansi, & non habeo de parentibus, qui me si venerit aduersitas, possit aliquid adiuuare.* Idem lib.9. cap.19. *Vosagensem territorij Biturici pagum expetijt, in quo eius parentes degebant*, & idem cap.33.eiusd.lib. *Dicens, quia parens mea hæc est*, & ante Hieronym. aduers. Rufin. libr.2. *Nisi fortè parentes militari vulgarique sermone cognatos & affines nominat.* Epist.15

Vt eum disponente Deo, loco cui præuiderimus possimus ordinare pastorem. Præcipit Maximiano Syracusano Episcopo ad se transmitti Presbyterum de partibus Siciliæ, qui Episcopatu dignus videbatur, vt eum quo visum fuerit loco ordinet Episcopum. Ea ætate Episcopi Italiæ Sicilię, & aliarum viciniorum prouinciarum, non consecrabantur, nisi à Romano Pontifice, tamquam Patriarcha Occidentis, vel de eius licentia, vt patet ex hoc loco & inf. hoc lib. epist. 19. 31. ind. 11. lib. 5. epist. 13. libr. 6. ep. 39. in Syracusano Episcopo id iuris vindicauit Nicolaus I. epist. 1. ad Michaëlem Imp. *Volumus vt consecratio à Sy-* Epist.18

racusano Archiepiscopo nostrâ à sede impendatur, vt traditio ab Apostolis instituta, nullatenus vestris temporibus violetur. De Episcopis Sardiniæ testatur Anastas. in Ioanne 5. *Hic post multorum annorum curricula, propter transgressionem ordinationis Ecclesiæ Turritanæ quam sine auctoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiscopus Caralitanus, pro eo quod antiquitus, ordinatio fuit Sedis Apostolicæ, & ad tempus concessa fuerat ipsa ordinatio eidem Ecclesiæ, postmodum proteruiâ faciente Archiepiscoporum per præcepta Pontificum ab eadem ordinatione suspensi sunt iuxta determinationem sanctæ memoriæ Martini Papæ.*

Felicem virum Consularem Chartularium commendamus. Chartularij sunt Scriniarij Principis, inde nomen quia Chartulas id est acta principis tractant, Maurētium Chartularium laudat Gregor. sup. lib. 1. epist. 3. *Veniente autem viro magnifico Domino Maurentio Chartulario, ei quæso in Romanæ Vrbis necessitate concurrite,* Hilarium Chartularium suum vocat idem epist. 75. eod. lib. *Petiistis etenim per Hilarium Chartularium nostrum à beatæ memoriæ prædecessore nostro.* Quale esset officium Chartularij, hinc facilè colliges, quod Narseti fuit proximus gradus ad præfecturam Italiæ, is enim ex Chartulario factus est præfectus Italiæ, Paul. Diac. de Gest. Longobard. lib. 1. cap. 1.

Vt nihil de prouectionibus Clericorum à quoquam præsumatur Ecclesiæ, Cumanæ Ecclesiæ vacantis visitatori vetat, nè quid præsumat de prouectionibus Clericorum id est nè quid detrahat vel minuat de stipendiis Clericorum, idem vetuit Visitatori Taurianensis & Turritanæ Ecclesię infra h. lib. ind. 10. ep. 26. 27.

Epist. 19 *Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos sacrandus occurrat.* Vacante Ecclesia Cumanâ morte Liberij Episcopi, forma & ratio electionis Episcopi præscribitur Benenato Visitatori dato, cuius munus erat promouere,

promouere, & ordinare electionem. Nimirum in electione facienda requiritur decretum electionis, id est relatio seu instrumentum processus electionis, subscriptio eligentium & testimonium per literas ipsius Visitatoris vt ostenditur hic & in aliis epistolis Gregorij infr. hoc libr. epist 26. lib. 8. epist. 40. lib. 4. epist. 16. lib. 7. epist. 49. can. de Petro. 47. dist. can. obitum 61. dist. can. qualiter. 7. qu. 1. & in epist. Pelagij can. Catinensis 61. dist. can. Talia 8. qu. 1. & in can. legum 2. qu. 1. cap. innotuit de elect. Electus Cumanus postulatus dicitur hic, quia agebatur de electione Episcopi Italici quæ non valebat, nisi probaretur summo Pontifici, atque ita magis postulatio nuda, quam electio videbatur, donec accederet assensus summi Pontificis. Idem de electo Taurianensi & Turritano & Crotonensi dicitur infr. h. lib. ind. 10. epist. 26. 27.

Vt nullum de altera eligi permittas Ecclesia. Episcopus eligendus est de gremio, ac propria Ecclesia, vel de propria Diœcesi, non est eligendus de aliena Ecclesia, nisi deficiente idoneo in propria. can. nullus inuitis 61. dist. can. sacrorum 63. dist. idem infr. epist. 26. ind. 10. h. libr. Ex lege fundationis, vel consuetudine præscripta induci potest, vt Episcopus vel Abbas eligatur de aliena Ecclesia, vel Monasterio cap. cum dilectus de consuetud. cap. Abbati de v. s.

Nè ad hoc cuiuslibet conuersationis, vel meriti laicæ personæ, aspirare præsumant. Vetat nè laicus vtcumque benè meritus eligatur in Episcopum, nè iniuria fiat sacro ordini. Laïcus in Episcopum postulari potest, eligi non potest Conc. Sard. can. 13. can. Osius 61. dist. Conc. Aurelian. 5. can. 10. *Nullus ex laicis absque annuâ conuersatione præmissâ ordinetur Episcopus, &c.* Nè laici tonsurentur vacantibus Ecclesijs, statim in Episcopos ordinandi, provt moris erat in Gallia, vetuit Gregor. lib. 4. cap. 51. 52. 53. non desunt tamen exempla sanctiorum Episcoporum, ex lai-

cis lectorum. B. Nicolaus è laïco electus est in Episcopum Myrensem. Seuerus è laïco electus est in Archiepiscopum Rauennatem. Hier. Rub. hist. Rauenn. lib. 1. Ambrosius adhuc Neophytus, electus est in Archiepiscopum Mediolanensem. Quod iudicio sedis Apostolicæ & vniuersorum Patrum Occidentalium, & exemplo Orientalium comprobatum ait Ambrosius epist. 82. *Itaque ordinationem meam occidentales Episcopi iudicio, orientales etiam exemplo probarunt.* Quo innuit electionem Nectarij qui è Cathecumeno electus est Episcopus Constantinopolitanus. Zozom. lib. 7. cap. 8. Theodorit. lib. 4. cap. 6.

Epist. 21 *Valdè autem miratus sum cur deliberatæ viæ eundi ad loca sancta intentionem, & votum boni operis deflexistis.* Rusticiana Patricia fuit vna ex his qui metu hostilitatis Longobardorum, Constantinopolim migrarunt, eam hortatur de implendo voto peregrinationis Hierosolimytanæ, eamque moræ incusat. Eam votum impleſſe docet ipse Gregorius infr. lib. 3. epist. 44. quâ ei gratulatur de reditu à Monte Sina. Eandem Gregorius hortatus est & inf. lib. 7. ind. 1. epist. 23. lib. 9. ind. 4. epist. 38. vt Romam rediret propositaspe securitatis, è protectione B. Petri.

Glorioſum Domnum Appionem, & Domnam Euſebiam Domnum Eudoxium, & Domnam Gregoriam mea per nos deprecor vice ſalutari. Ea ætate eminentiores personæ Domni, pro Dominis dicebantur Gregor. Tur. lib. 9. cap. 43. *Domnis ſemper ſuis atque Apoſtolica ſede digniſſimis, Gundegiſilo Nicaſio, & Saffario.* Auum Diuæ memoriæ Domnum vocat Athalaricus apud Cassiodorum 8. Var. 1. 2. 3. 4.

Epist. 22 *Quorum memor fraternitas veſtra competenti ſibi more Caſtorium fratrem, Coëpiſcopumque noſtrum & prius compaſſione habita ſtuduit viſitare, & poſtmodum pro excreſcenti moleſtia corporis Rauennati in vrbe ſuſcipere.* Castorium Episcopum Ariminensem, propter infirmitatem id est moleſtiam ca-

pitis, oneri Episcopali imparem, quia erat vnus è suffraganeis, Ioannes Archiepiscopus Rauennas ex officio inuisit, infirmitate ingraueſcente Gregorius Eccleſiæ deſtitutæ viſitationem demandauit Leontio Epiſcopo infr. hoc libr. ind. 11. epiſt. 24. lib. 4. epiſt. 42. ind. 13. Tandem ipſo Caſtorio poſcente, & plebe vrgente Pontifex conceſſit, vt alius in eius locum Epiſcopus eligeretur infr. lib. 7. ind. 11. epiſt. 49.

Sed nè quid videretur omiſſum, quod noſtro potuiſſet dubium cordi remanere, ad B. Petri ſacratiſſimum corpus, diſtrictâ eum ex abundanti fecimus ſacramenta præbere. Epi. 23. Leoni Epiſcopo, etſi de obiectis nihil probatum eſſet contra eum, purgationem canonicam indixit per ſacramentum ad corpus B. Petri. Epiſcopis & Clericis accuſatis etiam ſi probationes aduerſus eos deficerent, ſolebat indici purgatio canonica per iuſiurandum ſuper reliquijs Sanctorum, vt Mennæ Epiſcopo Toloſano accuſato, licet nihil probatum eſſet contra eum, conſimilem purgationem indixit Gregorius lib. 11. epiſt. 8. quæ refertur in can. Mennam 2. qu. 5. De ſimonia ſeſe purgauit Maximus Salonitanus Epiſcopus coram iudicibus datis à Gregorio præſtito ſacramento Rauennę ante corpus B. Apollinaris, infr. lib. 7. ind. 2. epiſt. 79. 80. 81. can. qua cauſa can. quanto 2. qu. 5. Io. Diac. lib. 4. cap. 14. De ſuſpicione ſeſe purgauit Ioannes Argentarius ſacramento præſtito ad corpus B. Petri Apoſtoli infr. lib. 9. epiſt. 23. In iudicijs quoque cum non liqueret, moris erat reum iureiurando purgari ſuper reliquijs Sanctorum Auguſtin. epiſt. 137. *Nam & nos nouimus Mediolani, apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, quia ad eum locum venerat, vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere.*

Nè digamum, aut qui virginem non eſt ſortitus vxorem Epi. 25.

aut ignorantem literas, vel in qualibet parte corporis vitiatum, pœnitentiæ vel curiæ, vel cuilibet conditioni obnoxium, ad ſacros ordines permittas accedere. Digami vel viduæ coniuges arcentur à ſacris ordinibus. can. quia ſine 26. diſt. can. lector 34. diſt. can. Quicumque 50. diſt. Hieronym. ad Gerontiam *Simulque conſidera, quod vidua non eligatur, niſi vnius viri vxor, & nos putamus Sacerdotum hoc tantum eſſe priuilegium, vt non admittatur ad altare niſi qui vnam habuerit vxorem &c.* Idem aduerſ. Iouinian. lib. 1. *Sed & ipſa Epiſcopalis electio mecum facit, neque enim dicit eligatur Epiſcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat, ſed qui vnam habuerit vxorem &c.* Item illiterati id eſt qui neſciunt litteras, non admittuntur ad ordines can. illiteratos 36. diſt. can. 1. can. quæ ipſis 38. diſt. & corpore vitiati, ſi enorme ſit vitium d. can. illiteratos & pœnitentes can. ex pœnitentibus 50. diſt. Optat. lib. 2. adu. Donatiſtas, *Inueniſtis pueros, de pœnitentiâ ſauciaſtis nè aliqui ordinari potuiſſent, inueniſtis fideles antiquos feciſtis pœnitentes, ſubaudi nè ordinarentur.* Curiales quoque, vel cuilibet conditioni, id eſt publicis officijs, & propter ea ratiocinijs obnoxij prohibentur ordinari, nè ſacro ordini iniuria fiat, ſi à clero reppetantur, l. officiales C. de Epiſc. & Cleric. l. 3. C. Th. eod. can. aliquantos & dd. ſeq. 51. diſt. Curiales ambiebant clericatum, vt effugerent onera municipalia, quæ erant valde grauia. Idcirco nè ordinentur vetitum eſt.

Afros paſſim vel incognitos, peregrinos ad eccleſiaſticos ordines tendentes nulla ratione ſuſcipias, quia Afri quidem alij Manichæi, alij rebaptizati. Afri, & incogniti peregrini, paſſim id eſt indiſcretè non admittuntur ad clerum, niſi teſtimonio litterarum ſuorum Epiſcoporum probentur, quia eorum fides vitio regionis ſuſpecta eſt, Afri enim alij Manichæi deprehenduntur, alij rebaptizati id eſt Donatiſtę. Quia Donatiſtæ rebaptizabant Catholicos ad ſe tran-

seuntes. De quo valde doluit Gregor. non vno loco vt infr. h.lib. ind.10.epist.33. *Donatistarum hæresim pro peccatis nostris quotidiè dilatari, & valdè plures data per venalitatem licentiâ, post Catholicum baptisma à Donatistis denuo baptizari.* Et inf.lib.3.ind.12.epist.32. *In illis partibus quantum didicimus, ita Donatistarum creuit audacia, vt non solum de suis Ecclesijs auctoritate pestiferâ, eijciant Catholicæ fidei Sacerdotes, sed & quos vera confessione aqua regenerationis abluerat, rebaptizare non metuunt,* & idem epist. 35. eiusd. lib. de Donatistis, *& multos insuper quibus salutem regenerationis aqua præbuerat, rebaptizantes prauitate nefandissimâ necauisse dicuntur.* Idem lib. 5. ind. 14. epist. 36. *Præterea res ad nos omnino dura, & rectæ fidei inimica peruenit, quia quod dici nephas est Catholici homines & religiosi, quod est deterius, filios mancipiaque sua, vel alios quos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt.* Et hoc fuit peculiare nefas Donatistarum Optat lib.1.aduers. Donatist. *Non pro vobis qui baptisma audaciter, & quod contra leges iteratis tertio.* & Augustin. epist. 168. *Minatur & transit ad partem Donati, rebaptizatur furens, & in maternum sanguinem fremens albis vestibus candidatur &c.* & idem epist. 203. *Rebaptizare autem catholicum immanissimum scelus est.* Collatio Carthag.1. cap.102. *Vitalis Diaconus, fuit Catholicus in ciuitate Sitifensi rebaptizatus, factus est Presbyter.*

Monasteria autem si qua sunt in ipsius parrœciâ sub tuâ curâ disponito. Curam Monasteriorum quæ sunt in Diœcesi tribuit Visitatori vacantis Ecclesiæ, quia is habet iura Episcopalia præterquam in exceptis, vt supra hoc lib. ind.11. epist. 24. *Et præter ordinationes Clericorum cætera omnia in prædicta Ecclesiâ, tamquam Cardinalem, & proprium te volumus agere Sacerdotem.* Epist.26.

Ministeria vero earumdem Ecclesiarum vbi sint recondita perquire. Ministeria sunt vasa sacra Ecclesiæ. Vt infr.epist.

41. ind. 11. h. lib. *Tam ministeria Ecclesiarum quam etiam vsuale argentum.* & lib. 4. ind. 13. epist. 8. *Ministeria Ecclesiæ Alerienſis præſentium ſibi portitores reſtitui poſtulant.* Gregor. Tur. lib. 4. cap. 47. *Ecclesias incendit, ministeria detrahit.* Idem lib. 6. cap. 11. *Domus Ecclesiæ apprehendunt, ministeria describunt, registeria reserant.*

Epi. 30. *Peruenit itaque ad nos fraternitatis tuæ Clericos, terras Africanæ tenentes Ecclesiæ, quod pensionem earumdem possessionum dare contemnant.* Clerici Meliteni erant in morâ ſoluendæ penſionis; nomine prædiorum Africanæ Eccleſiæ, quæ conduxerant, hac de cauſa Pontifex monet Epiſcopum, vt Clericos ſuos compellat ad ſoluendam penſionem. Prædia Eccleſiæ ſolebant locari Clericis, nè res eſſet cum laicis. In Angliâ etiam moris fuit, decimas Eccleſiæ ad firmam dari id eſt locari Clericis, quod probauit Innoc. 3. cap. veſtra de Locat, nè Eccleſiæ Laïcis omnino locentur nec Clericis vltra quinquennium voluit Synodus Londinenſis habita anno Chriſti 1237. apud Mattheum Paris. *Cum laicis Ecclesias dari ad firmas sit penitus inhonestum, & Clericis quibuscumque ad longum tempus propter continuationem temporis quæ afferre consueuit periculum Ecclesijs possit esse damnosum, vtrumque districtius inhibentes, statuimus, vt nec laicis vmquam, nec personis etiam ecclesiasticis, vltra quinquennium Ecclesiæ ad firmam concedantur.*

Epiſt. 31. *Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum inuitat vt Cumanam, atque Miſenatem vnire debeamus Ecclesias.* Cumanam & Miſenatem Eccleſias Epiſcopales vniuit Pontifex, tum ob deſolationem vtriuſque plebis, diutinis Longobardorum bellis exhauſtæ, tum ob viciniam locorum. Sic & idem ob eandem cauſam vniuit Velitrenſem, & Trium. Tabernenſium Eccleſias inf. hoc libr. ind. 10. ep. 35. ex his deſumpti ſunt can. & temporis. Can. poſtquam 16. qu. 1. hoc ius peculiare eſt Summi Pontificis vnire Ec-

clesias Episcopales cap. sicut vnire de excess. Prælat. cap. vnic. nè sed. vac.

Vbi vero commodius atque vtilius esse prospexeris ibi habitato. Episcopus debet residere, seu domicilium collocare in Ecclesia Cathedrali, nec potest relicta principali, ad aliquam Ecclesiam diœcesis se transferre Conc. Carthag. 5. can. 5. *Placuit vt nemini sit facultas, relicta principali Cathedrâ, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre &c.* Can. placuit 7. quæst. 1. Idem constitutum Conc. Paris. 6. can. 21. Aquisgran. 2. can. 12. Capitul. lib. 1. cap. 42. Vbi duæ Ecclesiæ Episcopales vnitæ sunt æquè principaliter, salua dignitate, & statu vtriusque, in arbitrio Episcopi est habitare, vbi commodius, vel vtilius visum fuerit, quod si Ecclesia vna vniatur alteri accessoriè ità vt vna subiiciatur alteri, tunc quia Ecclesia vnita non est amplius Ecclesia Episcopalis, sed membrum Ecclesię Episcopalis, tunc Episcopus debet sedem habere in ea cui vnio facta est, vt innuit gloss. ind. can. & temporis. Qui desumptus est ex hacce epist. Primates Africæ qui non ex ordine loci, id est priuilegio Cathedræ sed meriti, & ætatis prærogatiuâ eligebantur, non passim per villas vt moris erat, sed in vnâ quam elegerint ciuitate, residere iussit Gregorius supr. lib. 1. epist. 73. *Primas non passim sicut moris est, per villas sed in vna iuxta eorum electionem ciuitate resideat, quatenus adeptæ dignitatis meliori ingenio, resistendi Donatistis possibilitas disponatur.* Can. sicut 23. q. 4.

Vt in cholicam molestiam caderem. Molestia corporis pro ægritudine vt infr. lib. 7. ind. 11. ep. 49. *De eadem capitis quâ detinebatur molestiâ.*

Quia Arnulfus exercitum Autharis, & Nordulphi habens eorum sibi dari precaria desiderat, vt nobiscum aliquid loqui de pace dignetur. Epis. 32. Arnulfo Duce Longobardorum imminente portis vrbis, coniunctis copijs Autharis Regis Longobardorum, & Nordulfi Ducis scribit Ioanni Archie-

piscopo Rauennæ vt agat cum Romano Patricio,& Exarcho(eum successisse Smaragdo auctor est Paulus Diaconus libr. 3. cap. 27.)de pace ineunda cum Longobardis quamuis de ea nihil sperandum credat, quod Arnulfus de pace non sit tractaturus, nisi Autharis & Nordulfi sibi dentur precaria, id est nisi pax æquè precibus impetretur ab Authari & Nordulfo, quorum copiæ suis erant coniunctæ, & sine quibus pax fieri non poterat, vel nisi sibi detur pecunia pro redimenda pace ab Authari & Nordulfo, quæ precaria dicta est quia pacis deprecandæ causa dabatur, & erat deprecatoria pacis. Cum Longobardis enim pax facta est media pecunia vt fatetur ipse Pontifex infr.lib.7. ind.11.ep.128. *Vt quia pax ad concluſionem tenuit de pecunijs hinc competentibus.* Non dispari significatione precarium pro pensione vel præstatione nummaria, vel annona militari accepit Gregor. infr.lib.10. ind.5. epist.5. *Latores præsentium commendantes hortamur vt quia eos pro percipiendo precario ſuo illuc noſcitur tranſmiſiſſe, veſtra ope in omnibus fulciatur.* Alia significatione precarium pro stipendio videtur accipi epist.seq.vbi Theodorico Curatori Rauennæ commodat pueros Maurentij magistri *quos* inquit *ad precarium ſuum accipiendum tranſmiſit.* Postea Gregorius quibus conditionibus potuit pacem fecit cum Longobardis, de qua simplicitatis & stultitiæ se derisum à Mauritio Imp. queritur inf.lib.4. ind.13. cap.31. Arnulfus Dux Longobardorum fuit dux Spoleti,quem pacem iurasse certis conditionibus scribit Gregor.inf. lib.7. ind. 2.epist.102. eiusdem meminit infr.lib.12.ep.21.22.

De cauſa vero Epiſcoporum Iſtriæ, omnia quæ mihi veſtra fraternitas ſcripſit, ita eſſe iam ante deprehendi. Gratulatur eidem Rauennati Archiepiscopo, de rebus gestis ad compescendos & in ordinem redigendos Episcopos Istriæ, schismatis vitio inquinatos, ob damnata tria capitula Chalcedonensis Concilij, ex quo aperte deprehenditur

error

error Pauli Diaconi lib.3.cap.27. qui hunc Ioannem censuit inter Schismaticos, vna cum Episcopis Istriæ.

Theodosiani vero qui hic remanserunt, Rogam non accipientes vix ad murorum custodiam se accommodant. Quam infelix esset status vrbis, Longobardis imminentibus, his significat, quod esset destituta milite & Theodosiani (Hi erant milites Theodosij Mauricij filij, qui in vrbe supererant) Rogam non accipientes, vix ad murorum custodiam se accommodarent id est vix excubarent. Roga est stipendium militum sic dictum quia erogatur. Vt infrà lib. 7. ind. 11. epist. 128. *De militari enim roga quam vos contra voluntatem vestram, principali significastis iussione iterum suscepisse omnino sumus libenter complexi.* & infrà *primum vt rogam illarum partium faciatis*, & idem lib. 8. ind.3. epist. 2. *Rogæ quoque militum ita magnæ factæ sunt, vt dona dominorum cuncti sub disciplina debitâ gratias agendo susciperent,* Paul. Diacon.lib.18. *Erant autem Arabum iuxta positorum quidam, qui accipiebant ab Imperatoribus Rogas pauxillas ad custodiendum stoma eremi, eodem tempore venit quidam spado daturus militum Rogas.* Idem lib. 24. *Cumque multitudines reuerterentur, Rogas eis apud sanctum Mamam se tribuere fingens.* Alias Roga est donatiuum quod ab Imperatore ex more solemni distribuebatur Cedren. ἐξελθὼν δὲ ἡ τὰ συνήθη διανομὴν τῆς ῥόγας ποιησάμενος, *cum egrederetur Rogas de more distributurus.* Et idem τὴν διανομὴν δὲ τῶν συγκλητικῶν ῥόγας ποιησάμενος *dona Senatorum id est Rogas distribuens.* Roga etiam sumitur pro stipendio Clericorum vt passim apud Anastas. in vit. Pontif.

Sicut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel in eodem iterum ordine non debet consecrari. Ordinatus non debet iterum ordinari in eodem ordine, neque baptizatus rebaptizari ex hac epist. vnde sumptus est can. sicut semel 68. dist. nisi ordinatus sit ab hæretico, quo casu non intelligitur iteratio ordinis, sed

integra ordinatio. can. Daibertum 1. qu. 7. quod si in ordinatione quid omissum, ordo non iteratur, sed quod omissum est suppletur cap. vnic. de sacr. vnct. cap. 1. de Sacram. non iter.

Quia Aroges vt cognouimus, cum Arnulfo se fecit. Id est cum Arnulfo (is erat Dux Longobardorum) consilium inijt. Antiquioribus facere est obscœnum verbum Martial. lib. 2. epigr. 47. *Cum dicis propero, fac si facis.* Senec. 4. de Benefic. 31. *Pollioni Asinio iacenti, obscœno verbo vsus dixerat, se facturum id quod pati malebat.* Arnulfum fuisse coniunctissimum Arogi Duci, satis arguitur ex eo quod pacem iurauit, sub ea conditione *si nullus ambulauerit contra Arogis exercitum,* vt docet epist. 102. lib. 7. ind. 2. Arogi Duci scripta est epistola 25. lib. 10. Is fuit Dux Beneuentanus Paul. Diacon. de Gest. Longobard. lib. 4. cap. 6.

De hoc quod dicitis, incensæ ciuitati Seueri schismatici eleemosynam esse mittendam. Monitus à Ioanne Archiepiscopo Rauennæ, de missitanda stipe Aquileiæ ciuitati quę direpta & incensa erat à Longobardis, cuius Episcopus erat Seuerus Schismaticus, rescripsit stipes esse erogandas prius fidelibus, quam hostibus Ecclesiæ. Seuerus Aquileiensis Patriarcha schismatis labe fœdatus ob damnata tria Capitula Synod. Chalced. de quo supr. lib. 1. epist. 16. & apud Paul. Diacon. lib. 3. cap. 27.

Epi. 33. *Vt veniente ad te Hilario Chartulario nostro adunato Episcoporum vniuersali consilio, causa eadem subtili ac solerti debeat indagatione perquiri.* Misit Hilarium Chartularium in Africam vt cogeretur vniuersale concilium Africæ, aduersus Donatistas, & vt in eo discuteretur causa Maximiani Episcopi, qui pecuniâ corruptus fuerat in eadem ciuitate Episcopum Donatistam ordinari. Chartularij officium est ecclesiasticum, & seculare. Inter Ecclesiæ Romanæ officiales fuére Chartularij, quorum fuit proprium

chartas Eccleſiæ ſeu archiua Eccleſiæ curare, inde ob peritiam rerum Romani Pontifices eis vſi, varijs muneribus & legationibus obeundis. Vt hoc loco Hilarius Chartularius miſſus eſt in Africam vt curaret Concilium Epiſcoporum celebrari aduerſus Donatiſtas. In aulâ etiam ſpectabile fuit Chartularij officium, idemque varium & multiplex ob varias occupationes. Etiam tributis publicis exigendis præpoſiti Chartularij Paulus Diacon. l. 22. *Cum Chartularius eſſet & publica tributa facta ratione conferret.* Chartularij dignitas fuit proximus gradus ad Patriciatum & præfecturam. Idem de geſt. Longobard. lib. 2. cap. 3. *Hic Narſes prius quidem Chartularius fuit, deinde propter virtutum merita Patriciatus honorem promeruit.*

Dum pro vindicta propriæ iniuriæ, quod ſacris regulis pro- Epi. 34
hibetur, maledictionem anathematis inuexiſti. Ianuarium Epiſcopum Caralitanum reprehendit, quod quendam excommunicaſſet pro vindictâ propriæ iniuriæ. Epiſcopus non poteſt quem excommunicare pro iniuriâ ſibi illatâ, quia nemo poteſt ſibi ius dicere, vt notat Gloſſ. in can. inter querelas 23. qu. 4. qui deſumptus eſt ex hac ep. & in cap. contingit de ſent. excommunic. Quempiam tamen à communione ſe ſuſpendiſſe, non animo vindicandæ propriæ iniuriæ, ſed emendandi cauſa teſtatur Greg. Tur. Epiſcopus. Hiſtor. Franc. lib. 8. cap. 40. *Quod factum cum comperiſſem, eum à communione ſuſpendi, non quaſi vltor iniuriæ meæ, ſed vt facilius eum ab hoc inſania redderem emendatum.*

Debetis enim ſcire ſicut Beatus Cyprianus dixit, quia Mar- Epiſ. 36.
tyrem non facit pœna, ſed cauſa. Epiſcopi Hyberniæ Schiſ- ind. 10.
matici ob damnata tria capitula Synodi Chalcedonenſis per epiſtolam querebantur ſe grauem perſecutionem pati, quibus reſpondet Pontifex, eos non pati perſecutionem, ſed pœnam culpæ, id eſt ſchiſmatis, quia Martyrem non facit pœna, ſed cauſa, id eſt paſſio pro nomine Chri-

sti cuius sententiæ auctorem laudat Cyprianum. In hanc sententiam Cyprian.epist.52. *Vbi etsi occisus propter nomen postnodum fuerit extra Ecclesiam constitutus coronari in morte non poterit.* Idem de vnitate, *esse Martyr non potest qui in Ecclesia non est, occidi talis potest, coronari non potest.* Idem Augustin. lib.3. contra Cresconium cap. 47. *Christi Martyrem non facit pœna, sed causa.* Idem in psalm. 34. *Pœna similis est bonis & malis, itaque Martyres non facit pœna, sed causa.* Idem in Psalm. 68. *Ipsa est vox Martyrum, non in pœna, sed in causa.*

Nam in Synodo in qua de tribus capitulis actum est apertè liquet, nihil de fide conuulsum esse. Episcopi Hyberni erant inter Schismaticos ob damnata tria Capitula Chalcedonensis Synodi, sibi suasi tria illa capitula explosa fuisse in quinta Synodo quod negat Gregorius, eosque adhortatur, vt redeant ad vnitatem Ecclesiæ. Rem successisse argumento est, quod postea ijdem consuluére Gregorium, quibus responsum est lib.9. epist.61. Huiusce epistolæ ad Hybernos Episcopos meminit Paul. Diacon. de Gest. Longobard.lib.3. cap.10.

Quod autem scribitis, quia ex illo tempore inter alias pronincias maximè flagelletur Italia, non hoc ad eius debetis intorquere opprobrium. Clades Italiæ ab hæreticis & schismaticis tribuebatur, damnationi quæ de ipsis facta erat, vt olim pagani Christianis tribuebant cladem Imperij. Tertull. apologetic. cap. 40. *Prætexentes sanè ad odij defensionem, illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam.* Idem Cyprian.ad Demetrian. Augustin.de ciuit. Dei lib. 2.cap.3.& passim libris quinque prioribus.

Postquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in vrbe regiâ constitutus contra Theodoram tunc Augustam, vel Acephalos damnationis promulgauit sententiam, tunc Romana vrbs ab hostibus adita & captiuata est. Vigilius Constantinopolim

vocatus à Iustiniano Imperatore Theodoram Augustam, & Acephalos hæreticos excommunicatione damnauit. Dum Vigilius exularet Constantinopoli Roma capta est à Totila Rege Gothorum Anastas. in Vigilio.

Vt igitur de tribus Capitulis, animis vestris oblatâ dubietate, possit satisfactio abundanter infundi. Librum quem ex hac re sanctæ Memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis vtile iudicaui transmittere. Pelagius librum scripsit de tribus Capitulis Synodi Chalcedonensis quem Gregorius proximus eius successor misit ad Episcopos Hybernos, qui fœdati erant labe schismatis ob damnata tria Capitula præfatę Synodi.

Et non inanes in eis secularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiantur. Notat Natalem Episcopum Salonitanum, de vsu lautiorum epularum, ab eius mensa inanes fabulas explodi, & sacram lectionem audiri iubet. Epist. 37. Episcoporum inter epulas, lectio sacrorum librorum vsu solemnis fuit. Concil. Tolet. 3. can. 7. *Pro reuerentia Dei & Sacerdotum, id vniuersa sancta constituit Synodus, vt quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarum misceatur.* Can. pro reuerentia 44. dist. Lectione in mensâ semper vsus est Augustinus de quo Possid. in eius vit. cap. 22. *Magis lectionem, vel disputationem, quam epulationem, potationemque diligebat.* Quam vsu familiaris esset lectio Patrum in mensis Episcoporum hoc ipso disces, quod Gregorius ipse cum audiuisset Ioannem Episcopum Syracusanum ipsius scripta in mensâ coram extraneis legi facere, submonuit nè id faceret sed antiquorum dicta coram extraneis lectitari maluit testis ipse de se libr. 6. ind. 15. epist. 9. *Præterea audio quod aliqua de his, quæ scripsisse me meminit fraternitas vestra ad mensam suam coram extrancis legi faciat, quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc quod vos pro charitate facitis, possunt quidam quantum ad me*

est, vanæ gloriæ deputare, ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant, qui audierint informari. In mensa Thomæ Cantuariensis Episcopi lectio perpetua, vsu exculta. Vit. & proces. eius cap. 17. *Lectio quotidie in mensâ Pontificis ab initio vsque ad finem discubitus personabat.* Apud Monachos lectio fuit suauissimum refectionis obsonium Cassian. de instit. Cœnobitar. lib. 4. cap. 17. Idem collat. 14. cap. 10. Reg. Bened. cap. 38. Conc. Aquisgran. can. 123. de quo fusius in asceticis.

Absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis, in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo. Hinc sumptus est can. quod vero. 25. qu. 2. Summus Pontifex tueri debet statuta & priuilegia Ecclesiarum. can. priuilegia 1. & 2. ead. caus. & qu. quia sibi iniuriam facit si fratrum iura infringat. Eadem est sententia Gregorij libr. 9. epist. 32. *Nam si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur, quid aliud agitur nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo confundatur.* can. peruenit. 11. qu. 1.

Si enim rectè agit, ego Domino Natali, non possum coniunctus non esse. Gregorius passim Episcopos epistolis ad eos scriptis fratres vocitat, & fraternitatis honore eos cohonestat. Imò & hic Natalem Episcopum Salonitanum Dominum vocat. Constantium Episcopum Mediolanensem fratrem & Dominum vocat. Idem lib. 4. ep. 17. *Nos in eis fratrem nostrum Dominum Constantium nequaquam cognoscimus*, & Mizenatem Episcopum idem Dominum vocat ep. 27. infr. eod. libr. *Domino Mizenatis Ecclesiæ.* Galliarum Episcopos æquè Dominos vocat Nicolaus I. epist. 40. ad Carolum Regem. *Domini Sacerdotes qui in regno vestro, Ecclesias sibi commissas gubernant.*

Epi. 39. *De Ecclesiasticis vero priuilegijs, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs sua iura seruamus.*

Hæc epist. scripta est ad Dominicum Episcopum Carthaginensem, quâ confirmat priuilegia Carthaginensis Ecclesiæ. Episcopus Carthaginensis, est Primas maximus Africæ, & Primas Primatum. Ad eum pertinet consecratio Episcoporum totius Africæ. Synod. Carthag. can. 45. *Fuit semper hæc licentia huic sedi* (Carthaginensi) *Vnde vellet & de cuius nomine fuisset conuentus, pro desiderio cuiusque Ecclesiæ ordinare Episcopum.* Quod reppetitum est Conc. African. can. 22. Inde Carthaginensem Episcopum Metropolitanum Primatum Africæ vocat Leo IX. ep. 4. *Sed de Africæ Primatibus aliter intelligendum est, quia in singulis eius prouincijs antiquitus Primates instituebantur, non secundum potentiam alicuius ciuitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis, quibus tamen omnibus præerat vnus, scilicet Carthaginensis Archiepiscopus, qui etiam non incongruè dici potest Metropolitanus, propter Carthaginem Metropolim totius Africæ.* Nimirum Primatus Carthaginensis præter Prouinciam Carthaginensem, complectebatur Numidiam, & vtramque Mauritaniam. Cyprian. epist. 45. *Sed quoniam latius fusa est nostra Prouincia, habet etiam Numidiam & Mauritanias duas, sibi cohærentes.* A Vandalis recepta Africâ, Iustinianus Carthaginensi ciuitati Metropoliticum ius Africæ restituit Nou. 131. cap. 4. Carthago vt hoc addam præter dignitatis ecclesiasticæ primatum, & latinarum literarum principatu penè cum Vrbe Roma certauit Augustin. epist. 5. *Latinarum litterarum artifices Roma, atque Carthago.*

Et quia his diebus Scholasticus vir memorabilis Campaniæ iudex, hic præsens inuentus est. Eiusdem meminit epist. prox. & 15. infr. hoc lib. Iudices ordinarij, vel ordinarij simpliciter dicti sunt, Rectores prouinciarũ L. milites C. de Episcop. & Cleric. l. vlt. C. de mod. mult. l. 2. C. de prox. sacr. scrin. lib. 12. Trebell. Pollio in Floriano *Omnis prouocatio Præfecti Vrbis erit, quæ tamen à Proconsulibus & ab* Indic II epist. 1.

ordinarijs iudicibus emerserit. Ex quo iudices seu Rectores Prouinciarum de quibus causis solebant iudices dare, cœperunt per se iudicare ex constitutione Diocletiani l. 2. C. de Pedan. iudicib.

Quantò vt potè nobilis fœminæ pueri, ex sola superbiâ deliquerunt. Iubet vt pueri, id est serui Clementiæ Patriciæ, qui rei facti erant seditionis commotæ in Paulum Episcopum, tanto seuerius puniantur, quanto audacius deliquerunt, impunè sibi fore rati fiduciâ dignitatis Dominę Serui superbiunt ex nomine Domini. Tale est ingenium aulicorum Liuius lib. 45. *Seruire Regi humiliter, alijs superbè imperare assueti.*

Si quid enim in hac causa lentatum fuerit, vel omissum. Lentare varia significatione sumitur, Gregorio passim acceptum pro morari vt in hac ipsa epist. paulò infra. *Tanto si res ipsa lentata fuerit*, & infr. hoc lib. epist. 42. *Nam si quid quod non credimus lentatum fuerit.* Et lib. 10. epist. 35. *Vt ea quæ ei à nobis mandata sunt districtius exequi, vt nulla debeant occasione lentari*, eodem sensu Papias *lentare, tardare.* Alijs lentare pro flectere Statius Achilleid lib. 1.

Nec modus aut arcus lentare, aut fundere glandes. Eadem significatione lentus mollis flexibilis Virgil. 6. Æneid.

Et lento vimine ramus.

Hieronym. in præf. in Daniel. *Aut lentus id est flexibilis ducaris ad mortem.*

Si vero venialem culpam commiserint, Dominis suis accepto de veniâ sacramento, sine morâ reddantur. Secutus est constitutionem Pelagij ex qua si serui ad ædem sacram confugerint ob culpam, Dominis redduntur accepto sacramento de venia culpæ can. metuentes can. vxor. 17. qu. 4. Non dispari iure, si mulier temerè diuerterit à viro ei restituitur præstita cautione de bene & liberaliter tractandâ can. de Benedicto. 32. qu. 1. cap. ex transmissâ de restit. spoliat. cap. accedens 2. vt lit. non contestat. cap. significasti

gnificasti de diuort. Sic Lotharius Theutpergam vxorem pridem dimissam, superducta pellice Vvaldradâ recepit ex decreto Nicolai I. duodecim ex optimatibus interposito iuramento de comiter ea tractanda Annal. Franc. ad ann. 863.

Petijt dilectio tua, vt frater Bonifacius in Monasterio tuo, à te debeat ordinari Præpositus. Epist. 3. Ioannes Abbas petebat à Pontifice, fratrem Bonifacium sibi ordinari in Præpositum, de quo Pontifex succenset Abbati quia eius erat Præpositum ordinare. Præpositus Monasterij est, qui sub Abbate præest Monasterio. Alius est Abbas seu Pater Monasterij. Alius Præpositus, vt Fundani Monasterij Abbas erat Honoratus, Præpositus Libertinus, Soractensis Præpositus Nonnosus sub asperrimo Abbate. De quibus Gregorius dialog. lib. 1. cap. 1. & 7. Conc. Aquisgranens. can. 31. *Et Præpositus intra & extra Monasterium, post Abbatem, maiorem reliquis Abbatis subditis habeat potestatem.* Eodem modo & Græci distinxerunt πατέρα, καὶ ἡγούμενον τῆς μονῆς Synod. Nicen. 2. can. 13. & 14. & Pallad. librum de vitis Patrum inscripsit Lauso ἡγουμένῳ. Vnde nomen Lausiacæ historiæ. Priorem claustralem hodiè vocant.

De tunica vero sancti Ioannis omnino gratè suscepi, quia sollicitus fuisti, mihi indicare. Gaudet de indicio tunicæ S. Ioannis Euangelistæ, quam suo tempore à quodam Episcopo delatam Gregorius suscepit, & sub altari sancti Ioannis in Basilica Constantiniana collocauit de quo Ioannes Diacon. lib. 3. cap. 59.

Quia Stephanus Chartularius dicitur imminere, vt eam causam Florianus in publico transferat, & graue nobis est cum publico litigare. Graue est vt causa ecclesiastica transferatur in publicum, id est in publicum seu ciuilem iudicem. Eadem formula Sylvester in can. testimonium 11. qu. 1. *Nemo enim Clericorum quemlibet in publico examinare præsumat.*

Non frequenter foras egrediaris, in causis istis procuratorem institue, & tu ad lectionem, atque orationem vaca. Præcipit Ioanni Abbati, vt procuratorem, seu Syndicum Monasterij instituat, quo curis secularibus solutus, liberius det operam lectioni & orationi, Idem l.1.ep.67. Præcipit Petro Subdiacono defensori Sicilię, vt Faustus statuto certo salario constituatur Procurator Monasterij Ioanis Abbatis. Vnde sumptum est cap. 1. extr. de Syndic. Apocrisiarij siue responsales eliguntur seniores Monachi qui Monasterij negotia curent. L. qui in Monasteriis Cod. de Episc. & Cleric. Nou. Iustin. 133. cap. 4. Monachi iurant de calumniâ per Oeconomum Monasterij cap. 1. 3. 4. ex de iuram. calumn.

De hospitalitate esto sollicitus. Hospitalitatis curam commendat Ioanni Abbati, eadem lex Benedicti regul. cap. 53. Hospitum & pauperum ea cura fuit in veteribus Monasterijs, vt non tam Monasteria quam xenodochia viderentur. Ad vestibulum cuiusque Monasterij, erat hospitium pauperum, & hospitum aduenientium suscipiendorum gratia, cui præponebatur, vnus è senioribus Monachis Cassian. de Instit. Cœnob. lib. 4. cap. 7.

Quibus restitutis, reliquis sex vncias, aut in emphyteosim damus aut in reditus commutamus. Domum diuidit in duodecim vncias, seu partes, sex vncias Abbati Ioanni & Monachis restitui iubet, si ita iudicatum fuerit, & si sex vnciæ restituantur, alias sex vncias aut in emphyteusim dari, aut in reditum commutari, id est locari sub annuo reditu, seu pensione.

Epist. 6. *Sententiam quæ licet non esset appellatione suspensa contra leges canonesque prolata, ipso non poterat iure subsistere.* Sententia ipso iure nulla, sine appellatione rescinditur l. 1. & tot. tit. C. quand. prouoc. non est necesse.

Et cum oportuisset te ex eo Dominici corporis communione priuari, quod admonitione sanctæ memoriæ decessoris mei con-

tempta, per quam eum ecclesiamque eius de tua iurisdictionis potestate exemit, rursus in eis aliquid tibi iurisdictionis seruare præsumpseris. Adrianus Thebanus Episcopus à Ioanne primæ Iustinianæ Episcopo depositus, non sine præsumptione, quia ex priuilegio Pelagij, is exemptus est à iurisdictione Metropolitani vt refert Pontifex in hac epist. è qua delibatus est can. frater noster. 16. qu. 1. & hæc epist. coniungenda cum proxima supr. quæ est eiusdem argumenti.

Quia ergo non potest quemquam Episcopatus gradu, nisi iustis ex causis, concors Sacerdotum summouere sententia. Florentius Epidauritanus Episcopus, citra concilium Episcoporum depositus, ideo Archiepiscopo Salonitano præcipit Pontifex vt sedi suæ restituatur, vt post restitutionem, eius causa discutiatur in Synodo Episcoporum. Epis. 8.

Astruentes quod aliquid de sancta Chalcedonensi Synodo, piæ memoriæ Iustiniani temporibus sit imminutum. Aduersus Schismaticos affirmat de Chalcedonensi Synodo nihil immutatum in quinta Synodo, quæ habita est tempore Iustiniani. Confirmat Chalcedonensem Synodum, & quatuor Concilia generalia, sicut quatuor libros Euangelij, se recipere profitetur hic vt supr. lib. 1. ind. 9. epist. 24. quam retulit Ioan. Diacon. lib. 3. cap. 1. Epi. 10.

Documenta id est gesta & petitiones. Documenta vocat gesta seu acta litis quia docent nos de rerum veritate & & instruunt litem. Papias. *Documenta, exempla, similitudo-* Epist. 12.

Saltem tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc vrbem generalitatis vice mittatis, quorum & iudicio plebs tota consentiat. Neapolitanâ sede vacante, iubet vt à prioribus & plebe ciuitatis, Episcopus idoneus eligatur, quod si non inueniatur in quem consentire possint, vt tres viri eligantur, qui vniuersitatis vice Romam mittantur, in quorum arbitrium electio conferatur, idem iubetur infr. epist. 35. h. lib. Electio fit per compromissum cum electio Epist. 15.

confertur in quosdam idoneos, qui vice omnium eligant. cap. quia propter. ex. de elect. cap. si compromissarius eod. tit. in 6. Hoc genere electionem fieri per compromissum permittit Pontifex.

Epist. 16 *Petro Episcopo Baricis.* Editio Romana de Vibicis. Commendat Valerianum Presbyterum itantem in illas partes pro redemptione captiuorum. Baricis fuit ciuitas Africæ olim Barce, inde Bariciani populi inter Afros, qui olim Barcæi. Hieronym. ad Dardanum. *Ab Ioppe vsque ad viculum nostrum Bethëem, quadraginta sex millia fiunt, cui succedit vastissima solitudo, ferocium barbarorum, quorum facit poëta eloquentissimus mentionem, lateque vagantes Barcæi, ab Barce oppido quod in solitudine situm est, quos nunc corrupto sermone Afri Baricianos vocant.* Captiui commercij causa deportabantur in Africam vt venundarentur pro seruis, & maximè venum exponebantur apud Baricis vrbem, ideo Gregorius misit Valerianum Presbyterum in Africam pro redimendis captiuis, quem commendauit Baricensi Episcopo.

Epi. 17. *Quatenus domum positam in hac vrbe regione quarta iuxta locum qui appellatur ad gallinas albas.* Domus in vrbe, solebant designari per regiones vrbis, in quibus sitæ erant, vt infr. hoc lib. epist. 38. *In ciuitate Neapolitanâ in domo propriâ in Regione Herculensi, in vico in quo Lampadius Monasterium Ancillarum Dei constituit.* Idem de Ecclesiis infr. epist. 19. h. lib. *Quia igitur Ecclesiam positam iuxta domum Merulanam, regione tertia, quam superstitio diu Arriana detinuit.*

Simul & hortum, atque hospitia, quæ infra eandem domum ianua concludit. Veteres solebant vniuersas domos, vno pretio conducere, quas postea per partes, id est per cœnacula, vel hospitia, id est cellas aliis sublocabant, quæstus causa. L. si vero §. idem erit §. sed si ff. de his qui deiec. vel effud. l. qui Insulam locat. l. si cuius rei §. vlt. de

de vsufr. cœnaculum est pars domus quæ variis constat cubiculis, hospitium est cella, cubiculum d. l. si vero §. idem erit §. sed si. Hieronym. ad Nepotian. *Hospitiolum tuum, aut raro, aut numquam mulierum pedes terant*, Domus dispositæ erant variis cœnaculis, & hospitiis, vt essent in quæstu, & plures conductores seu inquilinos admitterent, sed vniuersæ ædes securitatis causa, vna claue id est vna & eadem ianuâ claudebantur l. quid sit fugitiuus §. apud Celsum de Ædil. edict. & hoc est quod ait Pontifex *Donatione & traditione domus contineri hortum & hospitia, quæ eadem ianua concludebantur.*

Theodoro Consiliario. Theodorus hic fuit vnus è Consiliarijs Gregorij, cuius meminit idem infr. lib. 8. epist. 51. ind. 3. *Epist.* 18.

Cum vno eodemque tempore, & verecundum sit à decessoribus bene gesta resoluere, & verecundum sit docere cæteros in suam quandoque resolutoriam proferre largitate sententiam. Exemplo pessimum est Pontificem decessorum gesta reuocare. Gregor. ipse infr. lib. 7. indict. 1. epist. 17. *Hæc itaque constitutionis nostræ decreta, quæ pro defensorum sunt Priuilegijs, & ordinatione dispositâ, perpetuâ stabilitate, & sine aliqua constituimus refragatione seruari, siue quæ scripto decreuimus seu quæ in eis in nostra præsentia videntur esse disposita, nec à quoquam pontificum in totum partemue ea qualibet occasione conuelli decernimus vel mutari, nam nimis est asperum, & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam, quacumque rationis excusatione & quæ bene sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere cæteros sua quandoque post se constituta dissoluere.*

Quia igitur Ecclesiam positam iuxta domum Merulanam regione tertia, quam superstitio diu Arriana detinuit in honorem sancti Seuerini cupimus consecrare. Ecclesiam olim in vrbe ab Arrianis occupatam restituit, & in honorem sancti Seuerini Noricorum Episcopi dedicauit collatis ibi *Epist.* 19.

eiusdem Sancti reliquijs, petitis è Neapoli vbi corpus Diui quiescit de quo Paul. Diacon. de gest. Longobard. lib.1. cap.9. Eugipp. Abbas in vita Seuerini. De reliquijs eiusdem Sancti meminit Gregor. infra lib.7. ind.2.ep.84. & lib.9. ind.4. epist.26.

Epi. 20 *Sancti Anthemij Ecclesiæ in Curium Sabinorum territorio constitutæ.* Gratioso Episcopo Numentano committit curam & regimen Ecclesiæ sancti Anthemij in Curium Sabinorum territorio positæ, per hanc epist. quam reppetijt Io. Diacon. lib.3. cap.15. Cures vel Curenses sunt populi, quos inter Sabinos recensuit Plin. lib.3. cap.12.

Epis.22. *De rebus vero vel ornamento eiusdem Ecclesiæ, fideliter rerum inuentarium facito te præsente conscribi.* Vacante Ecclesiâ inuentarium rerum eius per œconomum diligenter confici debet, & res seruandæ sunt successori. Vt præter hunc locum statuit Gregor. infr. lib.3. ind.12. ep.11. Vnde sumptus est can. charitatem 12. qu. 2. cui coniungendus est can. hæc huius ead. caus. & qu.

Et nè de rebus ipsis possit aliquid deperire, Respectum Diaconum, atque Stephanum Primicerium Notariorum, vt ipsarum rerum omnino gerant custodiam admoneto. Rerum vacantis Ecclesiæ custodiam, committit Diacono & Primicerio Notariorum Ecclesiæ. Notarij describuntur inter minores ordines ecclesiasticos, vnà cum defensoribus quorum munus erat custodire & tueri res Ecclesiæ. Gelas. ep. ad Episcopos Lucaniæ epist. 3. *Monachus vero Nouitius sí morum honestate fulcitur, continuo Lector, vel Notarius aut certè defensor effectus, post tres menses existat acolythus.* Can. Monachus 77. dist. Ennod. in vit. Antonij Monachi refert eum à Constantino Antistite, inter ecclesiasticos exceptores seu Notarios cœlestis militiæ iussum ordiri. Notariorum Ecclesiæ munus fuit prædicare id est denuntiare solemnes Litanias Anastas. in Leone 3. *Cum secundum olitanam traditionem à Notario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in*

Ecclesia B. Georgij Christi Martyris, in eius Natali ipsa letania prædicata fuisset.

Expensa vero, quæ necessaria fuerit per Oeconomum qui tempore mortis prædicti Episcopi inuentus est erogatur. Electio debet fieri sumptu Ecclesiæ, quia eius interest maximè, pastore non carere cap. vt præteritæ de elect. ob id sumptum electionis faciendæ per œconomum Ecclesiæ ministrari iussit Pontifex hoc loco.

Cognouimus autem ab eo dictum, quod dum tertius à loco Epi. 23. *esset Abbatis, à statu habitus sui, lapsu corporis ceciderit.* Secundinus Abbas ab officio deponitur ob lapsum corporis, id est ob vitium incontinentiæ, quia lapsu corporis à statu habitus sui exciderat, propter præuaricationem aduersus votum castitatis. Præuaricatores habendi sunt, quicumque infringunt votum castitatis Synod. Ancyr. can. 18. can. quotquot 27. qu. 1. Conc. Arausic. 1. can. 28. cap. cum ad Monasterium in fin. de stat. Monach. Peccatum carnis maximè in Clericis dicitur Græcis πτῶμα *casus* Ioan. Climac. scal. paradis. grad. 26. quod per hoc delictum Clerici cadant à proposito ordinis, cui inest votum continentiæ. Eandem ob causam depositus Paulus Diaclynæ ciuitatis Episcopus infr. lib. 10. epist. 34.

Quicquid misericorditer, ac respectu pietatis impenditur, Epi. 28. *vt hic auctorem suum adiuuat, & optatum ei præmium in die retributionis apportat.* Breuius idem expressit Tertull. apologetic. cap. 39. *Lucrum est pietatis nomine facere sumptum.*

Ei locum vel actionem prouideat, ex qua quotidianis stipendijs valeat sustentari. Armenium egentem commendat, vt ei munus, vel actus tribuatur, de quo valeat sustentari. Actio, est actus administratio inde Actionarius actui vel administrationi præpositus supr. lib. 1. ind. 9. ep. 42. *Actionario autem quem in eodem patrimonio deputasti, pro vt tibi videtur ei aliquid largire.* Gregor. ipse infr. lib. 4. ind. 13. epist. 42. *Cum eis quoque homines tuos in actione constitue.*

Epis. 29. *Verumtamen quia antiquæ meæ deliberationis intentio est ad suscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius vmquam misceri personâ.* Vacante sede Mediolanensi, morte Laurentij Episcopi, Gregorius noluit se immiscere electioni, nè libertas electionis tolleretur, sed electo Constantio Diacono Ecclesiæ Romanæ, olim sibi familiari, dum Apocrisiarij officio fungebatur in aula Constantinopolitana, electionem laudauit & probauit. Non solebat Pōtifex se immiscere electionibus Episcoporum, pro quoquam intercedendo, nè eius auctoritas tolleret libertatem votorum.

Euersæ vrbes castra eruta Ecclesiæ destructæ. Deplorat cladem Italiæ, illatam furore, & armis Longobardorum. Idem planctus Gregor. in Ezech. cap. 9. 11. 13. 18. & in fin.

Epis 29. *Latorem vero præsentium Ioannem Subdiaconum nostrum, ad hoc Deo fauente transmisimus, vt electum vestrum sua imminentia, cum Dei omnipotentis solatio, secundum morem prædecessoris eius, faciat Episcopum consecrari.* Constantio Subdiacono Romanæ Ecclesiæ, in Episcopum Mediolanensem electo, Pontifex hûc legauit Ioannem Subdiaconum vt eius imminentiâ, id est instantiâ electus consecraretur ex more, id est à proprijs Episcopis, cum assensu sedis Apostolicæ, vt apertius traditur infr. epist. prox. *Tunc eum à proprijs Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu solatiante domino facias consecrari.* Consecratio Episcoporum Italiæ, & viciniorum prouinciarum, non ab alio fiebat quam à Romano Pontifice, vel de assensu eius, & huius iuris tenax Gregorius, Ioannem Subdiaconum transmisit, vt eius curâ electus Mediolanensis consecraretur à proprijs Episcopis, id est à suffraganeis. Et ita post mortem Constantij electo Deus dedit Diacono Ecclesiæ Mediolanensis, æquè Gregorius misit Pantaleonem Notarium qui eum vt moris erat, faceret consecrari, Mos antiquus fuit vt Mediolanensis, & Aquileiensis Episcopi, quia eis onerosum erat à Pontifice ordinari

ordinari, vt ipsi se inuicem ordinarent, in propria quemque Ecclesia eius qui ordinandus erat. Pelagius in can. pudenda 24.qu.1. *Nempe is mos antiquus fuit, vt quia pro longinquitate, vel difficultate itineris, ab Apostolico oneroſum illis fuerat ordinari ipsi se inuicem Mediolanenſis & Aquileienſis ordinare Epiſcopi debuiſſent, ita vt in ea ciuitate, in quâ erat ordinandus Epiſcopus, alterius ciuitatis Pontifex occurrere debuiſſet &c.* Sed hoc semper intelligendum factitatum de assensu Pontificis. Aliquando etiam Totila Rege Gothorum Istriam & Venetias armis tenente, & Francis cuncta vastantibus, Episcopus Mediolanensis Rauennæ ordinatus memoratur can.non vos 23.qu.3.sed hoc de facto, non de iure proponitur, propter hostilitatem. Et ordinatio Aquileiensis, & Mediolanensis Episcoporum reiicitur, quod contra consuetudinem facta esset, can. istud 11.qu.1.

Et quia multi illic (Genuæ) *Mediolanenſium coacti barbarica feritate conſiſtunt eorum te voluntates oportet conuocatis ijs in commune perſcrutari.* Epiſ.30 Post mortem Laurentij Mediolanensis, Electo Constantio nè quid in electione desideraretur, exquirenda esse ait vota ciuium Mediolanensium, qui aberant Mediolano, propter hostilitatem Longobardorum, & ita pro prętentibus habebantur, tum quia non erant extra prouinciam, quia ea ætate Genua quæ est vrbs Liguriæ, erat in Prouincia Mediolanensi, vt insinuat etiam Gregor. infr. lib. 7. ind. 2. epist. 130. quæ scripta est ad Constantium Episcopum Mediolanensem in causa Philagrij Ianuensis cæci. Inde intelliges quam aberrauerint qui vtuntur can.quanto 63. dist. qui desumptus est ex hac ep. vt probent absentes extra Prouinciam esse vocandos ad electionem, si iusta sit causa absentiæ.

De ſingulis quibuſque capitulis probationes, inter publica geſta depoſitas. Epiſ.32. Gesta siue acta ciuilia & criminalia, referebantur in publica monumenta, fidei tuendæ causa l. 2.

C.de Edend.l.vlt. C.de re iudicat. l.Notione. C.Th. de hæretic.Euseb. lib.5. cap.17.de Alexandro quodam. ἐ τὰς λῃσείας κ᾽ τὰ ἄλλα τολμήματα ἐφ᾽ οἷς κεκόλασαι ἔχ᾽ ἡμᾶς δεῖ λέγειν, ἀλλὰ ὁ ὀφισθόδομος ἔχει, *Cuius latrocinia, & alia flagitia pro quibus pœnas luit, nihil nostra refert commemorare cum in tabularium publicum relata sint*, Vt apertius exponit his verbis quæ sequuntur κ᾽ οἱ θέλοντες μαθεῖν τὰ κατ᾽ αὐτὸν, ἔχουσι τὸ τῆς ἀσίας δημόσιον ἀρχεῖον *qui volent gesta eius discere, habent archiuum publicum Asiæ.*

epi 33. *Dinamio Patricio Galliarum.* Hæc epistola scripta est Dinamio Patricio Galliarum, qui fuit Rector Prouinciæ Massylienſis de quo Fortunat. lib.6.cap.11.12. & Gregor. Tur.lib.6. cap.7.11. Ea ætate fuére Patricij, in Gallia, quod genus dignitatis ibi inuentum, Reges Francorum admisére Gregor.Tur.lib.4. cap.24. *Celsum patriciatus honore donauit, virum iuris lectione peritum.* Idem cap. 42. eiusd. libr. *Ennius quoque cognomento Mummolus, à Rege Gunthranno Patriciatum promeruit.* Dinamij meminit & Gregor.infr.lib.5.ind.14.epist.6.

Suscepimus namque per Hilarium filium nostrum de præfatis Ecclesiæ nostræ reditibus Gallicanos solidos quadringentos. Dinamius Patricius, ad quem scripta est hęc epist.ex commendatione Pontificis curabat patrimonium Ecclesiæ Romanæ, quod erat in Gallia. Vt apertè scriptum est, infr.lib.5. ind.14. ep.6. *Sed quoniam Dinamius Patricius, qui ex nostra commendatione rebus ipsis sollicitudinem impendebat, eas modo gubernare, vt cognouimus non potest*, Et ideo Gregor. hic scribit Dinamio se per Hilarium accepisse quadringentos solidos Gallicanos, de reditu patrimonij Ecclesiæ, quod erat in Galliâ. Solidi Gallicani erant nummi aurei qui in partibus Italicis non expendebantur, ideo Gregorius infr. lib. 5. epist. 10. ind. 14. precipit Candido Presbytero curatori patrimonij Ecclesiæ Romanę in Gallia, vt è solidis Gallicanis, quos acceperit è reditu sacri

patrimonij coëmat vestes in vsum pauperum, vel pueros Anglos qui captiui tenebantur, vt Monasterijs tradantur, imbuendi fide Christiana. Solidi Gallicani alij fuére maiores, alij minores, solidi maiores censebantur 40. denarijs Conc. Rhemens. 1. can. 41. *Nè solidi qui in lege habentur per 40. denarios discurrant, quoniam propter eos multa periuria, multaque falsa testimonia reperiuntur.* Hincmar. in vit. B. Rhemigij apud Surium 13. Ianuar. *In testamento à B. Remigio condito lector attendat, quia solidorum quantitas, numero quadraginta denariorum computatur, sicut tunc solidi habebantur, & in Francorum lege Salicâ continetur, & generaliter in solutione, vsque ad tempora Caroli perdurauit, velut in eius Capitulis continetur.* Minores erant valoris duodecim denariorum Capitul. lib. 5. cap. 3. *Vt annis singulis de vnâ quaque Casatâ solidus, id est duodecim denarij, ad Ecclesiam, vel Monasterium reddantur.* Et hoc discrimen solidorum agnoscit B. Rhenan. Rer. Germanic. lib. 2. cap. 11. *Salici Franci maius priuilegium habebant, nam hi solidum 12. denariorum, pro multâ soluebant, si Frisius, aut Saxo offendisset Salicum Francum, 40. denariorum solido multabatur.*

Prædicto autem Paulo fratri & Coëpiscopo nostro centum solidos, & vnum puerulum orphanum, quem ipse elegerit pro labore sui, de eadem Ecclesiâ facies dari. Ecclesiæ Neapolitanæ datus est Visitator Paulus Episcopus, vt electionem promouéret, nunc vbi dimittitur, ipso instante dantur ei centum solidi, de rebus Ecclesiæ. Visitatori vacantis Ecclesiæ datur stipendium, de bonis Ecclesiæ inf. lib. 3. ind. 12. epist. 11. *Visitatores Ecclesiarum, Clericique eorum, qui cum ipsis per non suæ ciuitatis parœcias fatigantur, aliquod laboris sui capiant te disponente subsidium.* Eidem Visitatori datur puer orphanus quem elegerit. In matricula Ecclesiæ erant pauperes debiles orphani, qui sumptu Ecclesiæ alebantur. Vnde dicti sunt matricularij, quod matriculæ seu canoni pauperum Ecclesię inscripti essent,

Gregor. Tur.lib.7.cap.29. *Nonnulli etiam matriculariorum, & reliquorum pauperum, pro scelere commisso, tectum cellulæ conantur euertere.* In testamento B.Remigij apud Flodoar. hist. Rhem. lib.1. cap.18. *Pauperibus duodecim in matricula positis, ante fores Ecclesiæ expectantibus, stipem duo solidi vnde se reficiant* & infr. *pauperibus* (Laudunensibus) *in matricula positis, solidus dabitur ad eorum refectionem.* Hincmar.epist.7.cap.35. *Sed & de Matricularijs, per singulas Ecclesias, iuxta facultatem & possibilitatem loci, curam adhibeant,* & infr. *Sed pauperes, ac debiles, ac de eadem villa, de quâ decimam accipiunt, Matricularios faciant.* Conc. Antisiod. can. 5. *Et matriculæ ipsum votum, aut pauperibus reddant*, In eadem matriculâ erant viduæ. De quibus dicemus infr. epist.44.h.libr.

Vt vestiarium omne Episcopi sui, sciant deferendum. Vestiarium Episcopi seruatur successori, & Episcopi solebant vestem legare successori, vt in testamento B. Remigij apud Flodoard.hist.Rhem.lib.1. cap. 18. *Futuro Episcopo successori meo, amphibalum* (lege amphimalum) *album pascalem relinquo.*

Epis.37 *Mancipia autem Christiana quæcumque eum comparasse patuerit, ad libertatem, iuxta legum præcepta, sine ambiguitate perducite.* Idem Gregor.infr.lib.3.epist.21. Iudæis interdicitur nè seruum Christianum comparent, & si comparauerint statim liber fit l.1.C. nè Christ. mancip. can. Mancipia 54. dist. qui est pars.huiusce epist.

Epis.39 *Vt Numerium Diaconum Nucerinæ Ecclesiæ interrogare subtiliter debuisset*, Ait subtiliter id est curiosius diligentius. Eadem significatione subtilitas pro diligentia vt infr. ep. prox. *Cum omni subtilitate veritatem curetis addiscere.*

Vel quicquid aliud est, idem breuis à vobis conscriptus veraciter, rerum factâ inspectione contineat. Breuis, est breuis chartula, seu libellus rerum notitiam & memoriam continens. Vt in l. vlt. C. de conueniend. fisc. debitor. lib.

10. *Confiscati breuis quidam*, & in l. vlt. C. de fid. instrum. & in Nou. Iust. 22. Breuis repudij pro libello repudij, Breuis hic sumitur, pro descriptione, seu inuentario rerum, vt & infr. in hac ipsa epist. *Eundemque nobis breuem transmitte.* Et infr. lib. 12. epist. 10. ind. 7. *De breuibus suis deleri facias.*

Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam ra Epi. 43
pacitatis ardore inuadere alienas non oportet. Ecclesia res suas tueri debet, sed eam res alienas rapere non oportet, & hoc est quod subiungitur infr. hac epist. *Nam valde durum est, res alienas contra rationem Ecclesiam detinere.* Idem Innoc. III. in cap. per tuas de donat. *Attendentes quod Ecclesia in actibus suis, fraudem non debet aliquam adhibere.* Ratio optima est quia Ecclesia est auctrix & cultrix Iustitiæ cap. si clientulus de alienat. feud. in lib. feud. *Ecclesia enim cultrix & auctrix iustitiæ, non patitur contra iustitiam aliquid fieri in se, vel in alterum, nè scilicet inde iniuriarum nascatur occasio vnde iura nascuntur.*

Præterea quoniam mulierem de Matriculis contra ordinem Epis. 44
Sacerdotij, cædi crudeliter fustibus deputasti. Viduæ seniores erant in matriculâ Ecclesiæ, cuius ope alebantur Græci πρεσβύτιδας. Synodi Laodicen. can. 11. can. mulieres 32. dist. nostri matricularias, non matricurias, vt ineptè vertit interpres d. can. mulieres, & mulierem quæ fustibus cæsa est fuisse vnam è matricula Ecclesiæ argumento est, quod id factum est iussu Episcopi ad quem pertinebat cura & potestas in matriculis Ecclesiæ. Ait de matriculis quia non vna fuit matricula Ecclesiæ, alia erat matricula pauperum & orphanorum de qua iam supra diximus, alia vetularum de qua can. modo laudatus Synod. Laodicenæ, & Hieronym. ad Innocen. *Anus interim quædam, quæ Ecclesiæ sustentabatur opibus, debitum cælo spiritum reddidit*, Inde mulieres quæ erant in matricula Ecclesiæ dictæ sunt matriculariæ, vel matriculæ vt prox. ep.

infr. quæ est eiusdem argumenti, *Matriculam vero quam fecit fustibus castigari.*

Epist. 48 *Concilium itaque quod congregare disponitis, dum Deo fuerit solatiante peractum, de eius nos vnitate atque concordia lætificate, ac reddite per omnia certiores.* Mandat vt concilium vbi fuerit peractum, sibi notum fiat. Optimâ ratione quia Concilia Prouincialia, non habent vim, priusquam comprobentur à Romano Pontifice. can. Conc. 17. dist.

Epi. 49. *Res autem quæ apud eum inuentæ sunt, in cimiliarchio Ecclesiæ tuæ, seruari modis omnibus studebis*, Pauli Episcopi pœnitentiæ causa in Monasterium detrusi res custodiæ causa in cimiliarchio Ecclesiæ recondi iubet. Cimiliarchium Ecclesiæ est locus in quo cimelia, id est vasa sacra, vestes sacræ & res pretiosiores Ecclesiæ custodiæ causa reponuntur l. vlt. C. de bon. auctor. iudic. possid. l. litibus C. de Agricol. & censit.

De quibus etiam secundum rerum inuentarum paginam, scriptum te facere volumus, & in scrinium Ecclesiæ tuæ transmittere. Pauli pœnitentiæ causa in Monasterium detrusi res in cimiliarchio Ecclesię custodiæ causa deponi, & rerum inuentarium fieri, & in scrinium Ecclesiæ referri iubet. Scrinium Ecclesiæ est ἀρχεῖον seu archiuum publicum in quo tituli & instrumenta Ecclesiæ vel ciuitatis referuntur l. sancimus C. de Episc. audient.

Sed Clericis eius à pari aliud facere desuscептum te conuenit, in quo tua fraternitas fateatur, quia desuscептum de eisdem rebus in scrinio nostro emiserat. Susceptores sunt annonis & tributis suscipiendis præpositi. L. 1. C. de suscept. lib. 10. Ij solebant acceptorum summam in codicem referre L. apparitores C. de exact. tribut. ac prętera soluentibus annonæ & tributi soluti securitatem dare, quæ dicebatur susceptum quia continet fidem susceptionis annonæ & tributi. Duplex cautio adhibebatur, nè forte amissâ securitate solutionis fides deficeret, quia casu

amissa securitate, illationis fides probatur ex rationibus publicis l. 2. C. de discuss. l. 2. C. de conu. fisc. debit. l. 2. §. vlt. C. de quadrienn. præscript. Similiter in rebus Ecclesiæ rerum datarum & acceptarum duplex susceptum fiebat, vnum quod remanebat apud accipientem, quod susceptum dicebatur & aliud quod danti tradebatur, pro securitate solutionis. Inde desuscepti nomen vt infr. lib. 3. ind. 12. epist. 15. *Omnium autem ipsarum rerum non solum desuscepta, eos qui eas tradunt, percipere volumus sed etiam à te notitias earum subtiliter retineri*, & rursus lib. 11. ind. 6. epist. 31. *Comitatio Comiti prædictæ ciuitatis, sub desuscepti illud pagina contradat.* Anastas. in Agathone. *Hic vltra consuetudinem Arcarius Ecclesiæ Romanæ efficitur, & per semetipsum causam Arcariæ disposuit, emittens videlicet desuscepta per Nomenclatorem suum manu suâ obumbrata*, id est obsignata.

De Domno enim Nonnoso Abbate, qui iuxta Domnum Epi
Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ obliuioni mandaui, Nonnosus fuit Præpositus Monasterij, in Monteforacte siti quem sub patre asperrimo fuisse ait Gregor. Dialog. libr. 1. cap. 7. Eundem postea fuisse Abbatem eiusdem Monasterij credendum est, quod à Gregorio hic memoratur Abbas. Sub initia Pontificatus Gregorius scripsit quatuor libros dialogorum de vitis Patrum cum Petro Diacono qui à Zachariâ Papa è Latino, in Græcum translati in vsum orientalium, de quo Ioan. Diacon. lib. 4. cap. 25. Anastas. in vit. Zachar. in fin.

Sed hoc quod me diligitis, in latorem præsentium Sabinia- Epist. 51
num Diaconum demonstrate, vt vbi vsus exegerit vestra patrocinia consequatur. Prisco Patritio commendat Sabinianum Diaconum, qui ab eo missus erat Constantinopolim Apocrisiarius seu responsalis, vt ipse Pontifex tradit prox. epist. *Quia dilectissimum filium meum Sabinianum Diaconum, pro responsis ecclesiasticis faciendis, ad Dominorum vestigia transmisi.* Et idem infr. lib. 7. ind. 7. epist. 7. *Componi-*

mus autem quod Petrus Acolytus quem dilectissimo filio nostro Sabiniani Diacono responsa ecclesiastica facienti obseruare in vrbe regia feceramus. Hic Gregorio proximè succeſſit in cathedrâ Petri. Io. Diacon. lib. 3. cap. 51. Eundem Theotimo medico commendat Gregorius infrà epiſt. vlt. hoc libr.

Epiſ. 52 *Ego vigilans non fui.* Alludit ad nomen proprium γρήγοριος quod latinè ſonat, vigilans. Io. Diac. lib. 1. cap. 2.

Epi. 53. *Propterea fraternitas tua, ad Liparitanam Ecclesiam, in quâ supradictus Agatho Sacerdotis gessit officium, festinet dirigere* Epiſcopo depoſito à Pontifice dantur quinquaginta ſolidi, in vitæ ſubſidium, vt Presbytero depoſito datur beneficium, de quo ſuſtentationis ſolatium habere poſſit

Epiſ 54 can. ſtudeat 50. diſt.

Mota autem nimis est vestra fraternitas, atque cum tumore cordis, quasi satisfaciens scripsit nobis, pallio te non nisi post dimissos de secretario filios Ecclesiæ, & Missarum tempore, atque in Litanijs vti, solennibus verbis, aliquid te vsurpasse, contra generalis Ecclesiæ consuetudinem apertissima veritate professus. Archiepiſcopus non poteſt vti pallio, niſi intra Eccleſiam ſuam, & intrà Miſſarum ſolemnia. Gregorius infr. lib. 4 ep. 51. ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem, *Singulis si quidem Metropolitis, secundum priscam consuetudinem proprio honore seruato, pallium quoque transmisimus, quo fraternitas tua intrà Ecclesiam ad Missarum solemnia vtatur.* Vnde ſumptus eſt can. pallium 100. diſt. & idem infr. lib. 7. epiſt. 112. ad Syagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem, *Proinde secundum postulationis tuæ desiderium, pallij te vsu quod intra Ecclesiam tuam habere debeas, ad sacra tantum Missarum solemnia celebranda, Deo auctore præuidimus honorandum.* Conc. Matiſcen. 2. can. 6. *Vt Archiepiscopus Missas sine pallio non dicat*, Ideo Gregorius hic Ioannem Epiſcopum Rauennatem acerbius redarguit, quod extrà Miſſarum ſolennia, & extrà Eccleſiam, puta in ſecretario

cretario Ecclesiæ, post dimissos de Secretario filios Ecclesiæ, & in Litanijs seu processionibus publicis, vti pallio præsumeret. Notatur Episcopus Rauennas, quod in Secretario Ecclesiæ post dimissos de Secretario filios Ecclesiæ, pallio vti præsumebat. Nimirum Episcopus Rauennas, diebus solemnibus procedebat ad Ecclesiam, prosequentibus filijs Ecclesiæ, id est nobilibus seu maioribus ciuitatis, vt infr. explanat ipse Gregorius his verbis, *Quod te agere in conuentu pauperum, nobilium, & in Secretario Ecclesiæ velut illicitum excusasti.* Ordo Romanus. *Sed dum venerit Pontifex propè Ecclesiam exeuntes Acolyti & Defensores ex regione illâ, cuius dies ad officium fuerit in obsequio præstolantur eum loco statuto, antequam veniat vbi descensurus est. Similiter & Presbyter tituli, vel Ecclesiæ vbi statio fuerit, vnà cum maioribus domus illius ciuitatis, vel patre diaconiæ &c.* Episcopus procedens ad Ecclesiam, non statim ingrediebatur Ecclesiam, sed prius considebat in Secretario. Hic locus est iuxta Ecclesiam, de quo Episcopus procedebat ad Ecclesiam, dimissis nobilibus, & eorum locum subeuntibus Diaconis. Et tunc primus Diaconorum Episcopum Rauennatem pallio amiciebat, vt ostenditur in epistola ipsius Ioannis ad Gregorium, quę extat infr. lib. 10. epist. 55. *Quoniam iam de Secretario descendentibus filijs Ecclesiæ, & ingredientibus Diaconis, vt mox procedatur, tunc primus Diaconus Episcopo Rauennatis Ecclesiæ, pallium consueuit induere, quo & in Litanijs solennibus vti pariter consueuit.* Secretarium vel Saluatorium seu Salutatoriũ Ecclesiæ, est ædes iuxta Ecclesiam de qua Episcopus procedebat ad altare & sacris peractis, recedens ab altari eodem se recipiebat, Greg. Tur. lib. *6.* cap. 11. *Dum diuersa inter se super altarium conferunt, recedentes ab altario Salutatorium ingrediuntur.* Ibidem orationis causa quandoque metatum seu mansionem ponebat Episcopus. Idem Turonens. lib. 1. cap. 21. *Ipsi Sa-*

cerdoti in ipso quod modo Saluatorium dicitur, mansio erat, atque ad gratias Deo nocturno tempore reddendas, ad altarium Ecclesiæ consurgebat. Seuer. Sulpit. epist. 1. ad Eusebium Presbyterum. *Cum ad diocesim quandam pro solenni consuetudine sicut Episcopis visitare Ecclesias suas moris est, mediâ ferè hyeme Martinus venisset, mansionem ei in Secretario Ecclesiæ Clerici parauerunt.*

Illud tamen tibi non putamus incognitum, quod penè de nullo Metropolitano, in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extrà missarum tempus vsum sibi pallij vindicasse. Archiepiscopus vsum sibi pallij vindicabat, extrà Missarum solemnia putà extra Ecclesiam in Secretario Ecclesiæ, & in Litanijs seu processionibus publicis, Gregorius ei obiicit hoc tentari contra consuetudinem generalem. Et quidem ex consuetudine generali Episcopus non potest pallio vti, nisi intrà Missarum solemnia can. pallium 100. dist. nec semper sed certis diebus. Singulare est in Romano Pontifice quod semper, & vbique pallio vtitur in Missarum solemnibus cap. ad honorem de auctor. & vsu pallij. Archiepiscopus Rauennas tuebatur se speciali consuetudine Ecclesiæ, vt ostenditur in epistola Ioannis Episcopi ad Gregorium infrà lib. 10. epist. 55. *Sed beatissimus Dominus meus, nihil me contrà priscam consuetudinem existimet attentasse, quod à multis & propè ab omnibus ciuibus huius vrbis atteſtatur &c.* Idem Rauennas tuebatur se priuilegio Ioannis Papæ, consuetudines, & priuilegia Ecclesiæ Romanæ confirmantis, sed ad hæc respondet Pontifex, *Si quod esset priuilegium circa pallij vsum, de eo non liquere, atque ita pallij vsum non intelligi concessum, nisi iuxta consuetudinem generalem aliarum Ecclesiarum.*

Scitote in nostro scrinio de priuilegio Ecclesiæ tuæ subtiliter perquisitum. Archiepiscopus Rauennas circa pallij vsum extrà Missarum solemnia, allegabat speciale priuilegium sedis Apostolicæ, sed Pontifex respondet, priui-

legium non esse inuentum in scrinio Ecclesiæ Romanæ, quod erat idoneum argumentum falsi. Quia priuilegia Ecclesiarum seruantur in scrinio seu archiuo Ecclesiæ Romanæ vt ostenditur hic & infrà lib. 7. ind. 2. epist. 104. *Quia & exemplaria sibi priuilegiorum Ecclesiæ de scrinio nostro ob hoc fecimus dari.* Et supr. eod. libr. ind. 1. epist. 25. *Præterea pariter hic portitor quædam Ecclesiæ vestræ priuilegia à nostris concessa prædecessoribus intimauit, de quibus scriptis charitatis vestræ, nos subtilius volumus informari, vel si qua ex eis scripta in* Ecclesiæ *vestræ scrinio reiacent.* Priuilegium est suspectum si non inueniatur in camerâ B. Petri id est in archiuo Sedis Apostolicæ cap. ad audientiam ex. de præscr. Hoc argumento vtitur Hieronym. lib. 3. aduers. Rufin. *Si à me fictam epistolam suspicaris cur eam in Romanæ* Ecclesiæ *Chartario non requiris.*

De Secretario autem quod fraternitas tua resedisse cum pallio, & filios Ecclesiæ *suscepisse, & fecit & excusauit, nunc interim nihil querimur, quia Synodorum sententiam sequentes, minores culpas quæ negantur, vlciſci recusamus.* Quia Ioannes Archiepiscopus Rauennas consuetudine se excusauit de vsu pallij extra Ecclesiam, nempè in Secretario Ecclesiæ, & in Litanijs, Pontifex ei veniam in præteritum concessit, & vlterius hoc fieri prohibuit. Postea Gregorius intercedentibus Romano Patricio, & Exarcho & alijs nobilibus viris ciuitatis, Ioanni ipsi Episcopo Rauennati concessit vsum pallij, etiam extra Missarum solemnia in Litanijs, in Natalitijs Beatorum Ioannis Baptistæ, Petri Apostoli, & Apollinaris Martyris, & in die anniuersario ordinationis suæ, eidemque permisit, ex pristino more in Secretario Ecclesiæ susceptis ac dimissis Ecclesiæ filijs pallium assumere, & inde cum pallio Missarum solemnia celebraturus ad altare procedere, & hoc tantum per modum prouisionis seu interim donec de eâre cognitum esset vt ostenditur infr. lib. 4. epistola 10. ind. 13.

post mortem Ioannis Gregorius Mariniano eius proximo successori, pallium dedit, quo vteretur cum procederet è Salutatorio, seu secretario ad Ecclesiam Missarum celebrandarum causâ, extra Ecclesiam vero non ampliùs quam quater in anno in Litanijs statutis vt ostenditur inf. lib.4.ind.13.epist.54. *Quo non aliter te vti memineris, nisi in propriâ tuæ ciuitatis, dimissis iam filijs* Ecclesiâ, *procedens à Salutatorio, ad sacra Missarum solennia celebranda, peractis ergo missis, id in salutatorio rursum curabis deponere. Extra* Ecclesiam *vero non amplius illo tibi, nisi quater in anno, in Litaniis quas ad decessorem tuum Ioannem expressimus, vti permittimus.*

Illud autem quod pro vtendis à Clero vestro Mappulis scripsistis, à nostris est Clericis fortiter obniatum. Quod Ioannes Archiepiscopus Rauennas petijt à Pontifice vt Clericis Rauennatibus, Mappulis quæ sunt linteola alba mappularum vice, vti liceret, contradictores habuit Clericos Ecclesiæ Romanæ, qui ægrè ferebant vsum Mappularum concedi aliis clericis, quasi proprius esset Clericorum Romanæ Ecclesiæ, sed tamen precibus Ioannis Episcopi Pontifex permisit primis Diaconis Rauennatis Ecclesiæ Mappulis vti dum essent in obsequio, seu ministerio Episcopi, vt subiungitur in hac epistola, vnde sumptus est can. illud autem 93. dist. Mappulæ hic sunt linteola alba quibus vtebantur Diaconi & Clerici ministrantes, in sinistrâ manu ea gestantes. Ordo Roman. *Presbyteris duobus qui* Episcopum *ducturi sunt Cappæ, Diaconis Stolæ, & Dalmaticæ, Subdiaconis vero sibi congruæ vestes, quæ apud quosdam Subdiaconales nominantur, & Mappulæ in sinistrâ manu ferendæ* Hinc Planetatorum & Mappulatorum appellatione Presbyteros, & Subdiaconos intelligit Io. Diacon. lib.2.cap.43. *Cumque magi ex Planetatorum Mappulatorumque processionibus magnum pontificem cognouissent.* Etiam Mappulis vsi sunt Pontifices, & Cardinales Anastas. in

Constantino. *Pontifex autem & eius primates cum Sellaribus Imperialibus, sellis & frenis inauratis, simul, & mappulis ingressi sunt ciuitatem* Alias Mappulæ sunt Sudariola Gregor. Dialog.lib.2. cap. 19. *Sed is qui missus fuerat Monachus, post admonitionem factam à sanctimonialibus faminis rogatus Mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu.* Et infr. *Nunquid ego illic præsens non eram, quando ab ancillis Dei Mappulas accepisti.*

Cosmas ex varijs periculorum necessitatibus multis se dicit debitis obligatum, ita vt pro eis à creditoribus suis, suos dicat filios detineri. Epist.55 Iure ciuili, non licet patri liberos obligare creditori, æris alieni causa. L. vlt.ff. quæ res pignor. l. qui filios. C.eod.l.1. C.de patrib. qui fil. distrax. Nou. Iustin. 134. cap.7. Moribus autem huiusce ætatis, liberi solebant pignori obligari & tradi creditoribus, quod ita durum visum est Gregorio, vt Cypriano Diacono præceperit vt cum creditoribus Cosmæ debitoris, qui non erat soluendo de rebus pauperum, id est de pecunia patrimonij Ecclesiæ componeret, ad liberandos eius filios è manu creditorum. Et hoc est quod ait his verbis sequentibus, *propter recolligendos eius filios,* id est reppetendos & vindicandos à creditoribus. Eadem significatione seruos fugitiuos recolligi, id est requiri dixit Gregor. infr.lib.8.ep.4.ind. 3.& lib.10. ind.5.epist.40. Moribus Iudæorum idem patri fas fuit, vt signant verba mulieris plangentis liberos tolli à creditoribus 4. Reg.cap.4. Ecce *creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.* Eiusdem Cosmæ Syri negotiatoris meminit infr.lib.3.epist.vlt.

Pridem præcipimus vt de Monasterio S. Andreæ, quod est super Mascalas, baptisterium propter Monachorum insolentias, debuisset auferri. Epist.56 Præcipit vt baptisterium tollatur de Monasterio, propter Monachorum insolentias vel molestias vt scriptum est in can. pridem 8. qu. 1. Vnde sumptus est hic locus. Baptisterium prohibetur in Monasterijs, qua

ratione in ijsdem prohibentur missæ publicæ, nè in seruorum Dei receſſibus popularis conuentus detur occasio vt ait Gregor. libr. 4. ind. 13. epist. 43. Vnde haustus est can. Luminoso 18. qu. 1.

Epist. 58 *In vico in quo Lampadius Monasterium ancillarum Dei constituit.* Monachi passim apud sacros scriptores dicuntur serui Dei, & Moniales ancillæ Dei, quia Dei obsequio penitus sese dicarunt vt infr. lib. 6. ind. 15. epist. 23. *Ancillis Dei quas vos Græca lingua Monastrias dicitis.*

Epist. 59 *Scripsisti si quidem nobis quosdam idolorum cultores, atque Anglorum dogmatis, in ijs in quibus constitutus es partibus inueniri.* Erant in Sicilia quidam idolorum cultores, Anglorum dogmatis id est erroribus imbuti, de quibus tollendis implorato auxilio Prætoris Siciliæ scribit Episcopo Tridentino. Etiam in Gallia ea ætate non desierant idolorum cultores, & cultores arborum quasi numinum, qui vt tollantur scribit Brunichildi Reginæ infr. lib. 7. ind. 2. ep. 5. *Vt idolis non immolent cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant &c.* Idem vetat Synodus Antissiodor. can. 3. *Nec licet inter sentes, aut arbores sacriuos, vel ad fontes vota exoluere.*

Epi. 61. *Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione neque vt Episcopus, neque vt seruus iure reipublicæ, sed iure priuato loquor.* Hæc ep. scripta est ad Mauritium Augusti. in qua remissionem & humilitatem causatur quia non vt Episcopus, nec vt seruus iure Reipublicæ, sed vt priuatus scribit.

Longino viro clarissimo Stratore veniente, Longinus ex Stratore successit Romano in exarchatu Rauennę. Strator est Præfectus Equisonibus Imperatoris. Spartian. in Caracall. *Quum illum in equum Strator eius leuaret.* Ammian. lib. 30. *Dexteram Stratoris militi iussit abscindi, quæ eum insilientem iumento pulserat consueto*, Græci προστράτωρα vocant

Zonar. in Michaël. Theoph. filio. τοῖς οἰκείοις ἱππονόμοις τοῦτον ἐπέστησε, πρωτοστράτορα τοῦτον εἶδεν ὀνομάζειν ἡ διάλεκτος ὁ κοινή. *Suis Equisonibus eum præfecit quo munere qui fungitur Protostrator vulgò dicitur*, Stratores suos habuére etiam Præfecti Prouinciarum l. vnic. C. de strator. Pontius Diacon. in vita Cypriani apud Surium 14. Sept. *Venerunt ad eum Principes duo vnus Strator officij Galerij Maximi Proconsulis, & alius equi Strator, è custodijs ejusdem officij.* Officium Stratorum huiusmodi erat probare equos vectigales qui conferebantur à Prouincialibus. d.l. vnic. Ammian. libr. 29. *Constantinus Strator paucos militares equos, ex his ausus mutare, ad quos probandos, missus erat in Sardiniam.*

Dominorum legem suscepi, in qua Dominorum pietas sanxit vt quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad ecclesiasticum officium venire non liceat. Constitutione Constantini ratiocinijs publicis obnoxij, & publicis officijs addicti, arcentur à sacris ordinibus, nisi consensu principis. L. Officiales. C. de Episc. & Cleric. l. 3. C. Th. eod. tit. hanc legem probauit Innocentius I. nè Ecclesia de his ad ordinem reuocatis tristetur. Can. aliquantos & seq. 51. dist. Eandem legem à Mauritio instauratam laudauit Gregorius, sciens quia plerumque secularis dum ecclesiasticum ordinem ambit, mutare vult seculum non relinquere, quod reppetijt infr. lib. 7. ind. 1. epist. 11. vnde sumptus est can. legum 53. dist.

Quod vero in eadem lege dicitur, vt ei in Monasterio conuerti non liceat, omnino miratus sum, Eiusdem Mauricianæ legis caput fuit, nè rationibus publicis obnoxij recipiantur in Monasterium, hanc partem legis ægrè tulit Gregorius, non volens, rationibus obnoxium temerè recipi in Monasterium, sed reputans fieri posse vt à Monasterio, in quo suscipitur rationes reddantur, vt reliqua præstentur. Tamen postea Gregorius assensit, nè rationibus publicis obligati ordinentur, vel in Monasterium re-

cipiantur priusquam rationibus soluti sint sentiens huiusmodi viros plerumque, non seculum fugere, sed mutare vt ait infr. lib. 7. ind. 1. ep. 11. can. legem 53. dist.

In qua lege subiunctum est, vt nulli qui in manu signatus est conuerti liceat. Alio capite legis Mauricianæ cauebatur nè manu signatis, id est militibus conuerti liceret, id est conuersionis causa, & mutationis morum ingredi Monasterium. Punctis signati sunt milites ordinibus & militiæ ascripti, quia Tyrones manu signari solebant, quo desertores agnoscerentur. L. stigmata. C. de Fabricensibus lib. 11. Veget. de re milit. lib. 1. cap. 8. *Sed non statim punctis signorum inscribendus est tyro,* Idem lib. 2. cap. 5. *Nam puncturis in cute punctis milites scripti & matriculis inserti iurare solent.* Idcirco militiæ signum, in desertoribus ad pœnam esse ait Augustin. contra Crescon. lib. 4. cap. 5. *Nè baptismum Christi non ad præmium, sed ad iudicium, non ad salutem sed ad perniciem, sicut est militiæ character, in desertoribus haberent.* Eodem se refert Augustin. de baptism. contra Donatist. lib. 1. cap. 4. *Intueantur etiam similitudinem notæ militaris, quia extra militiam à desertoribus & haberi, & accipi potest.* Idem ep. 50. *Neque enim si quisquam regio charactere à signato desertore signatur.* Idemque in psalm. 39. *Baptismus ille tamquam character infixus est, ornabat militem conuincit desertorem.* Hoc caput legis exhorruit Gregorius, quia vt subiungit per eam via cœlorum multis clauditur, & legi modum imponendum esse duxit, quo via cœlorum laxius pateat. Postea legi Mauricij hic modus impositus est à Gregorio, nè publicis actionibus impliciti ordinentur, nec in Monasterium recipiantur, nisi prius ab his absoluti fuerint, ac nè milites in Monasterium suscipiantur, priusquam per triennium in suo habitu probati fuerint vt traditum est infr. libr. 7. epist. 11. ind. 1. vnde sumptus est d. can. legem 53. dist.

Epist. 62 *Imperatorem vero Persarum etsi non fuisse conuersum doleo,*

vos

vos tamen ei Christianam fidem prædicasse omnimodo exulto. Gratulatur Domitiano Metropolitano, is fuit Episcopus Melitinæ, quæ est Metropolis Armeniæ quod Christianam fidem prædicasset Chosroé Regi Persarum licet incassum, ex quo falsi euincitur quod tradit Paulus Diac. lib. 4. de gest. Longob. cap. 27. de conuersione Chosroé Regis Persarum. Mauritius Chosroen Persarum Regem à suis pulsum in filium adoptauit, & Regno restituit, & ad eum misit Domitianum Melitines Episcopum sanguine sibi coniunctum. Theophan. Eundem Mauritius liberis tutorem designauit. Theophilact. Simocatt. lib. 8. cap. 11.

In hoc tamen ei credimus, quia eius vobis animam sacramenta & obsides ligant. Domitiano Episcopo scribit in fine huius epist. se in quibusdam credere Mauritio Imperatori, quia fidem obligauerat Episcopo sacramentis, & obsidibus datis. Obsides dari solebant etiam in pactis & contractibus priuatorum, & in conpromissis cap. ex rescripto de iureiurand. cap. exposita de Arbitr. Cæsarius Heisterbachsens. de miracul. lib. 2. cap. 34. de Theobaldo fœneratore Parisiensi. *Ecce iste est ille, quem pro suis pecuniis principatus honorabat, qui filios nobilium obsides tenebat.* Hoc distabant obsides à fideiussoribus, quod hi se & ad corpus obligabant, obsides se ipsos tradebant d. cap. exposita. d. cap. ex rescripto.

Quod autem charitas vestra rescripsit mihi, vt filio meo Domino Theodoro Archiatro, & Expræfecto gratias agerem. Epis 63. Ad eum scriptæ extant plures epistolæ vt prox. infr. hoc libr. & 40. libr. 4. ind. 13. & 25. libr. 6. ind. 15. Theodorum Archiatrum Expræfecti honore illustrat. Archiatri seu Medici Palatini Comitiuâ primi ordinis nobilitati fuère. L. 1. C. Th. de Comitib. & Archiatr. Ijdem inter amicos principis ascripti, de Cæsario fratre & Archiatro sacri palatij testatur Gregor. Nazianz. in eius funebri orat quę est 10. Τάττεται μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ ἐν ἰατροῖς τάξιν ἡ

τοῖς φίλοις τῶ Βασιλέως ἐυθὺς ἀριθμούμενος, *primum statim inter medicos dignitatis gradum obtinuit atque in amicorum numero apud Imperatorem habitus.* Et Archiatri dignitas ab Imperatore per codicillos dabatur Symmach. lib. 10. epist. 40. *Cum ab eo Palatini honoris officia poscerentur, vt codicillorum prærogatiuâ monstraret, quis illi inter Archiatros ordo competeret.*

Domnæ Dominicæ salutes meas dicite, cui minimè respondi, quia cum sit Latina, Græcè mihi scripsit. Domna Dominica illustris fœmina fuit vna ex his qui Constantinopolim secessére, metu Longobardorum. Cum ea scripsisset, Pontifex offensus quod Latina mulier, græcè ei scripsisset ei non respondit, offensioni potuit & accedere difficultas scribendi, quia Gregorius nesciuit græcas literas, vt non diffitetur ipse infr. lib. *6.* ep. *29.*

Epi. 64. *Quam legem primum sicut ij dicunt, qui leges veteres nouerunt Iulianus protulit, de quo scimus omnes quam Deo aduersus fuerit.* Mauritius instaurauit legem Iuliani, nè qui milites in Monasterium recipiantur priusquam stipendia implessent de quo supr. epist. *61.* h. libr. & inf. libr. 7. epist. 11.



AD LIBRVM TERTIVM.

PRÆTEREA pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia vtendum ex more tranſmiſimus. Conſtantio Mediolanenſi Archiepiſcopo tranſmittit pallium, quo vtatur ex more intra Miſſarum ſolemnia, eadem lege Virgilio Arelatenſi Epiſcopo pallium vtendum intra Eccleſiam ad Miſſarum ſolemnia tranſmiſit Pontifex infr. libr. 4. epiſt. 51. 52. Archiepiſcopus enim pallio non vtitur, niſi intra Eccleſiam ſuam, & ad Miſſarum ſolemnia can. pallium 100. diſt. nec id ſemper, ſed certis & ſtatutis diebus cap. ad honorem. de auctor. & vſu pallij. Epiſt. 1.

Sed peto vt dum hoc ſuſcipitis eius honorem ac genium ex humilitate vendicemus. Petit à Conſtantio Mediolanenſi, vt honore & genio pallij cum humilitate vtatur. Honorem & genium pallio tribuit, quia pallium eſt inſigne, cum quo plenitudo Pontificalis officij & Archiepiſcopale nomen confertur cap. niſi extr. de auctor. & vſu pallij cap. ſignificaſti in antiq. de elect. Archiepiſcopus ſc. antè ſuſceptionem pallij, non poteſt conuocare Concilium prouinciale, chriſma conficere, dedicare baſilicas, ordinare Clericos, nec Epiſcopos conſecrare d. cap. ſignificaſti cap. quod ſicut §. ſuper eo. eod. tit. Idcirco Malachiam Archiepiſcopum Hyberniæ, cum animo ſcrupulum concepiſſet, an hæc omnia perfungi valeret, ſine pallio, animo deliberauit Romam proficiſci, vt pallium ſuſciperet Bernard. in eius vit. cap. 9. *Viſum tamen ſibi non tutè ſatis aditari iſta, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Romam proficiſci deliberat, maximèque quod Metropolitica*

Sedi deerat adhuc, & defuerat, ab initio pallij vsus, quod est plenitudo honoris.

Epist 2. *Tres se Episcopi fraternitatis vestræ communione separauérunt, dicentes vos in damnationem trium Capitulorum consensisse, atque cautionem feciſſe.* Post mortem Laurentij Constantio Episcopo Mediolanensi electo, tres Episcopi Prouinciæ Mediolanensis, vnà & Theodelinda Regina Longobardorum, à communione Constantij sese segregarunt, hoc colore quasi damnasset tria Capitula Chalcedonensis Synodi, & hac de re cautionem id est chirographum tradidisset Pontifici, hac de re præter hanc epist. scripsit & 3. 4. & 33. infr. hoc lib. vt falsa suspicio concepta de Constantio, & de se ipso tolleretur.

Inter quos ego quoque, tunc vrbanam Præturam gerens pariter subscripsi. Gregorius ante conuersionem Præturam vrbanam gessit de quo Io. Diac. lib. 1. cap. 4. *Et cum esset Prætor Vrbanus vnà cum alijs nobilibus viris subscripsit cautioni, quæ Sedi Apostolicæ emissa est à Laurentio Episcopo Mediolanensi de tuenda fide Chalcedonensis Concilij.*

Subtiliter autem mihi & breuiter indicastis, vel de Agone Rege, vel de Francorum Regibus quæ gesta sunt, Quæsierat à Constantio Episcopo Mediolanensi vt notum faceret quid gestum esset inter Agonem Regem Longobardorum, & Reges Francorum. Per hoc tempus bellum gestum à Buccelino Duce Francorum, aduersus Longobardos de quo meminit ipse Gregor. dialog. lib. 1. cap. 2. eiusdem expeditionis in Italia aduersus Gothos meminit Anastas. in Ioanne 3. de Agone infr. lib. 9. epist. 28. Hic est Agiulfus Rex Longobardorum qui & Ago dictus Paul. Diac. de gest. Longob. lib. 4. cap. 43. *Igitur Agilulfus Rex qui & Ago est appellatus.*

Si autem videritis, quia cum Patricio nihil facit Ago Longobardorum Rex de nobis ei promittite, quia paratus sum in causa eius impendere. Gregorius sollicitus de pace sancien-

da cum Longobardis, ait se paratum de ea tractare, cum Agone Rege, si nihil faceret id est non conueniret cum Patricio id est cum Romano Patricio, & Exarcho Rauennate de quo supr. lib. 2. ind. 10. epist. 32. Romanus Patricius & exarchus multas ciuitates recepit à Longobardis de quo Anastas. in Gregorio.

Subdiaconis vero tuis hoc quod de Siculis statuimus decernimus obseruari. Epis. 5. Bonifacio Episcopo Rhegiensi præcipit, vt quod ab eo statutum est, de Subdiaconis Siculis, in Rhegiensibus obseruetur, nimirùm nè Subdiaconi ordinentur nisi prius castitatem promiserint, quod in Siculis statutum est supr. libr. 1. epist. 42. vnde desumptus est can. nullum 28. dist. quem coniunge cum can. Subdiaconis 32. dist. qui haustus est ex hac epist.

Sed cum propter irruentem Italiæ cladem, ad Siciliam refugissent. Epis. 6. Metu Longobardorum plures ex Italia recesserunt, alij Constantinopolim alij in Siciliam vt Petronilla Conuersa, quæ hac occasione ab Agnello stuprata. Hac occasione quamplurimi Italię Sacerdotes in Siciliam fugâ factâ ministeria id est vasa sacra Ecclesiarum asportarunt, quæ recolligi iubet Gregorius libr. 3. epist. 15. Epis. 7. ind. 12.

Ad nos fuisse perlatum plura in Concilio Numidiæ contra Patrum tramitem, atque canonum statuta committi. Concilium Numidiæ celebratum est à Columbo Episcopo, & primate Numidiæ, de quo supr. lib. 2. epist. 47. verum quia audiuit Pontifex in eo Concilio multa statuta, contra Canones, & Patrum disciplinam, de eo inquiri iubet hac epist.

Quia igitur in alienis hoc fundare rebus, licet possessor permitteret, Dominus tamen videtur cum ratione refugere. Epis. 8. Stephanus testamento, Theodosiâ vxore suâ hærede scripta, eodem testamento cauit vt in prædio cui nomen erat Piscinas, quod post testamentum alienatum est, &

peruenit ad ius & dominium Xenodochi Thomę quondã Episcopi, Monasterium constrúeretur quia id non licebat in alieno prædio, inuito domino, licet cõsentiente possessore, Pontifex iussit vt Monasterium constrúeretur in proprio fundo defuncti, de quo etiam agetur infr. epist. 10. hoc libr. & libr. 4. epist. 2. ind. 13. Emphiteuticarius non potest alienare fundum, sine consensu Domini. L. vlt. C. de iur. emphiteutic. eadem ratione Monasterium non potest fundari in alieno prædio, inuito Domino, licet consentiente possessore, id est emphiteuticario, nè facto emphiteuticarij deterior fiat conditio domini. Emphiteuticarij non habent proprietatem in fundo, sed ius in re l. si domus §. vlt. de legat. 1. Idcirco non dicuntur domini, sed possessores. Augustin. homil. 7. *Nolt timere nè angustet te possessor.* Idem lib. 8. qu. qu. 79. *Aliter enim cogitur possessor equum dare militi, aliter eum tradit emptori.* Idem lib. cont. Petiliani epist. de verit. Eccles. cap. 17. *Et seruum de Domino, & colonum de possessore.* Et prædium emphyteuticum dicitur possessio emphyteutica. Idem lib. 1. contra lit. Petiliani cap. 82. *Cum emisset possessionem & hoc emphyteuticam,* & hæc tria Dominum, possessorem, & colonum seu conductorem distinxit Gregorius Moral. lib. 14. cap. 21. *Quia enim vt Dominus auditus non est non possessor agri sed colonus creditus est.*

Reliquias vero quas ibidem postulat collocandas, volumus vt à fraternitate tuâ, sub debita veneratione condantur. Ecclesia vel oratorium non potest dedicari, sine reliquijs Sanctorum, idcirco iniungit Ianuario Episcopo Caralitano, vt in dedicando Monasterio postulante Theodora fœmina, quæ erat fundatrix Monasterij, reliquiæ Sanctorum ibi sub debita veneratione condantur, quia reliquiæ collocantur sub altari.

epist. 9. *Peruenit si quidem ad nos, minus te Monasterijs ancillarum Dei, in Sardinia sitis, tuitionis impendere.* Ianuarium

Episcopum Caralitanum arguit, de remissione in tuitione & curâ Monasteriorum Sardiniæ, Episcopi est tueri & obseruare Monasteria Virginum diœcesis suæ vt infr. lib. 4. epist. 4. ind. 13. de medico stupratore Virginum, *qui si quando in Monasterium Virginum, seu ipse seu alius fuerit ingressus, fraternitatem tuam culpa respiciet, quæ gregem commissum tenet, & custodire dissimulat.*

Hanc post competentis seueritatem vindictæ, in aliud districtius Virginum Monasterium in pœnitentiam redigi volumus. Translatio in aliud districtius Monasterium pœnitentiæ causâ est pœna regularis. Vt supra obseruatum est lib. 1. epist. 42. vnde sumptus est can. de lapsis 16. qu. 6.

Episcoporum etiam concilia, sicut tam tuæ mos dicitur fuisse Prouinciæ, quam quod sanctorum Canonum auctoritate præcipitur, bis in anno celebrare te volumus. Concilium Prouinciale, bis quot annis celebrari statuit Synod. Nicen. can. 5. Antiochen. can. 20. Calced. can. 19. Synod. 6. in Trull. can. 8. quod confirmauit Leo I. epist. 62. & Gregorius in hac epist. de quo can. de Concilijs & dd. seqq. 18. dist.

Seruos ancillasque Iudæorum, fidei causa ad Ecclesiam refugientes, Vetat nè serui & ancillæ Iudæorum fidei causa ad Ecclesiam perfugientes dominis restituantur sed in libertatem vindicentur. Quia Iudæo non licet Christianum mancipium habere cap. 2. de Iudæis, & infr. h. libr. epist. 21. ind. 12.

Presbyteri baptizatos infantes, signare bis in fronte chrismate non præsumant. Vetat nè Presbyteri Sardiniæ baptizatos in fronte liniant chrismate. Ad Episcopum solum pertinet consignatio seu confirmatio baptizatorum in fronte adhibito chrismate, can. Presbyteris de consecr. dist. 4. can. de his. can. manus. can. nouissimè & seqq. de consecr. dist. 5. est enim ordinis Episcopalis quia per eam confertur plenitudo gratiæ Spiritus sancti per chrisma d. can. nouissimè can. peruenit. 30. qu. 1. Ita vero confirmatio

baptizatorum propria est Episcoporum, vt Corepiscopis non liceat baptizatos confirmare, quia non habent apicem Pontificij can. quamuis 68. dist. postea Gregorius ex dispensatione permisit Presbyteris baptizatos chrismate linire in fronte deficiente Episcopo infr. lib.3.epist. 26. vnde haustus est can. peruenit 95. dist. Hac de re plura lib.2. de iurisd. eccles.tuend.cap.4.

Admonere te volumus, nè piæ viuorum, aut defunctorum voluntates tuâ quod absit, remissione cassentur, Præcipit Ianuario Episcopo Caralitano, nè piæ voluntates defunctorum destituantur, ipsius negligentiâ vnde sumptus est can. admonere 16. qu. 1. executio piarum voluntatum pertinet ad Episcopum, si intra annum non impleantur l. nulli. C.de Episc.& Cleric. Nou. Leon.68. cap. nos quidem de testam.cap.final.eod. tit.in 6.

Epi. 10. *Quod ad imminentiam expletionis piarum rerum, ipse te tuus satis ordo compellat.* Ordo Episcopalis, seu officium Episcopi, satis eum sollicitat ad imminentiam, id est instantiam, ad hoc vt piæ voluntates defunctorum impleantur. Imminentia idem sonat ac instantia, vt suprà libr. 2. ind. 11. epist. 29. *Vt electum vestrum sua imminentia faciat Episcopum consecrari* Imminere passim apud Gregorium pro instare, & apud Tertull. de pœnit. cap.6. *Sed præcipuè nouitiolis istis imminet.* Papias. *Imminet instat.*

Epi. 11. *Cognouimus namque de reditibus Ecclesiarum, nouiter acquisitis, canonicam dispositionem quartarum minimè prouenire.* Redituum Ecclesiæ tres vel quatuor fiunt portiones, pro consuetudine regionum, in Italia & Gallia quatuor portiones vna Episcopo, alia Clericis, tertia pauperibus, quarta fabricæ. Can. vobis.can. Vulteranę. can. mos est. 12. qu.2. in Hispania tres fiebant portiones, vna Episcopo, alia Clericis, tertia pauperibus, & sartis tectis. Concil.Emerit. can. 16. Toletan. 16. can.4.can. priscis. can. vnio 10.qu.3. & quarta decimarum, quæ addicta est Episcopo

copo, vacante Sede ascribitur Visitatori in fr. lib. 4. epist. 11. & 42. sed quia in diuisione quartarum, fraus fiebat ab Episcopis, & ea fiebat tantum de antiquis reditibus, ita vt recens quęsitorũ in totum reseruarentur Episcopis, Gregorius statuit vt in distributione quartarum omnes reditus Ecclesiæ, tam noui quam antiqui conferrentur quia vna & eadem Ecclesiæ substantia non debet diuerso iure censeri, id est vsurpationis & canonum vt ostenditur in hac epist. quæ ratio repetitur cap. cum in tua de decim.

Presbyteros Diaconos, cæterosque cuiuslibet ordinis Clericos, qui in Ecclesijs militant, Abbates fieri per Monasteria, non permittas. Abbas regularis non potest eligi ex Presbytero, Diacono, vel Clerico seculari. cap. cum causam, cap. cum ad nostram. cap. cum in magistrum, extr. de elect. & hoc est quod vetat Gregorius, nè Clerici qui ordinati sunt in Ecclesijs secularibus, non professi Monachos, Abbates in Monasterijs eligantur. Vnde sumptus est can. Presbyteros 16. qu. 1. Abbas tamen non vetatur, imò debet esse Presbyter, & olim in Monasterijs plerumque Abbas solus erat Presbyter. Augustin. de morib. Eccles. Catholic. cap. 33. *Vidi ego diuersoria sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat*, Extatque Augustini epist. 81. scripta Eudoxio Abbati & Presbytero Insulæ Capratiæ. Paphnutium & Isidorum Abbates & Presbyteros Scythi, quod Monasterium est in Ægypto commemorat Cassian. collat. 18. cap. 15.

Iunenculas Abbatissas fieri, vehementissimè prohibemus. Vetat nè iunior, & minor sexagenariâ Abbatissa eligatur. Vnde sumptus est can. Iuuenculas 20. qu. 1. Abbatissa non debet eligi, nisi maior sit triginta annis & tacitè, vel expressè professa ordinem regularem. cap. indemnitatibus de elect. in 6. Conc. Trid. sess. 25. de regul. cap. 7.

Et si manifestè ægritudinis sicut dicitur causa, Ecclesiæ eum defuisse repereris, nullum ei ex ordinatione alterius Presby- Epis. 13.

teri permittas præiudicium generari. Absens ægritudinis causa non est deponendus, quia ægritudo est iusta causa absentiæ, infirmitatis ratio habetur. L. si cui §. vlt. ex quibus caus. maior.

Epis. 14. *In tua Ecclesia Syracusanâ, eum præuidimus cardinandum siue vt officium Diaconatus expleat.* Diaconi æquè ac Presbyteri non ordinantur sine certo titulo, id est certa Ecclesia Conc. Chalced. can. 6. can. neminem 70. dist. Vnde Diaconus semel ordinatus, in quapiam Ecclesia non potest ab ea recedere sine consensu Episcopi. Idcirco Theodulfus Diaconus Ecclesiæ Parisiensis à Ragnemodo Parisiensi Episcopo sæpius excommunicatus id est comminatione excommunicationis sæpius tentatus, quod è Parisiensi Ecclesia, in qua Diaconus ordinatus fuerat in Andegauensem transijsset, & Audoeno Episcopo sese tradidisset de quo Gregor. Tur. libr. 10. cap. 14. Felicem Diaconum Maximiano Syracusano Episcopo commendat Gregorius hic vt in ipsius Ecclesia cardinetur, vt Diaconi officio fungatur, id est vt in ea vice tituli ordinetur.

Epis. 17. *Qualiter succurrendum sit, redemptionibus captiuorum & & sanctorum Canonum, & mundanarum legum sanctio euidenter edocuit*, Nimirum distractione sacrorum vasorum sacra enim vasa & vestes, & donaria distrahi non possunt, nisi pro redemptione Captiuorum, & alimonia pauperum, tempore famis L. sancimus C. de SS. Eccles. Idem Gregor. infr. libr. 6. ind. 15. epist. 13. *Sicut reprehensibile & ratione dignum est, sacrata quemquam vasa, præterquam in his quæ lex & sacri Canones præcipiunt, venundare, ita nulla est obiurgatione, vel vindicta plectendum, si pietatis causa pro captiuorum fuerint redemptione distracta.*

Nam valdè durum est, si de Ecclesia cui militat, nullum remedium veniat, Clericum captum ab hostibus redimi vult, sumptu Ecclesiæ in quâ militat, quia est filius Ecclesiæ.

Quoniam vero Ecclesiam sancti Pancratij, quæ erat commissa Presbyteris. Epis.18. Basilicam S. Pancratij martyris quæ erat penes Presbyteros propter negligentiam eorum, in celebrandis Missarum solemnibus transtulit ad Monachos cœnobij continentis S. Pancratij, ita vt peregrinum, id est non Monachum illic adhiberent Presbyterum, qui ibi Missarum solemnia celebraret. Ecclesia transfertur de secularibus ad regulares, propter negligentiam priorum cap. inter quatuor de religios. domib. de quo plura in Asceticis.

Sed & hoc præ omnibus curæ tuæ sit vt ibidem ad sacratissimum corpus Beati Pancratij, quotidie opus Dei procul dubio peragatur. Ecclesia S. Pancratij remotis Presbyteris transfertur ad Monachos, qui ad sacratissimum corpus Martyris, quotidie opus Dei peragerent. Nimirum ibi quiescit corpus Beati Martyris. Ibidem homeliam 27. in Euangelia habuit Gregorius, quo pertinent hæc verba quæ sunt in fine. *Ad Martyris tumbam consistimus, qui ad cœleste regnum, ex qua morte peruenerit scimus.* De consecranda Ecclesia in honorem S. Pancratij & aliorum Martyrum infr. libr. 8. epist. 63. Huius basilicæ Pancratij Martyris conditorem Honorium Pontificem laudat Anastas. in eius vit. *Eodem tempore fecit basilicam Beato Pancratio Martyri, viâ Aurelia, miliario secundo à solo, & ornauit sepulchrum eius ex argento pensan. libras centum viginti.* Eiusdem basilicæ meminit idem in Leone III.

Quia ergo Ecclesia sanctæ Agathæ sita in Suburra, quæ spelunca fuit aliquando prauitatis hæreticæ, ad Catholicæ fidei culturam Deo propiciante reducta est. Epis.19. Gregorius Ecclesiam sanctæ Agathæ sitam in regione vrbis, quæ Suburra dicitur, à Gothis qui erant Arriani olim occupatam, Catholicæ fidei cultui restituit, de quo præter hunc locum Gregor. dialog. 3. cap. 30. Ioan. Diacon. lib. 2. cap. 31. & Anast. in Gregorio. *Eodem tempore dedicauit Ecclesiam Go-*

thorum quæ fuit in Suburra, in nomine Beatæ Agathæ Martyris, & pensiones ædium Vrbanarum quæ huic Ecclesiæ deberentur dum erat in potestate Gothorum, annis singulis colligi iussit in sarta tecta & luminaria, alioqui sumptus Ecclesiæ. Suburra regio vrbis Romæ. Io. Diac. lib. 3. cap. 58. *Quæ in Oratorio Domus meæ in Subura positæ per eas Deus omnipotens fecerit non celabo.* Olim notissima
Epist. 20. incolatu meretricum Martial. libr. 6. epigr. 66. *Quales in media sedent Suburra.* Idem libr. 11. ep. 79. *Ergo Suburranæ tyronem trade magistræ.* Ecclesiam sanctæ Agathæ martyris quæ erat in Suburra demutatam in Monasterium indicat Anast. in Leone 3. *Et in Monasterio sanctæ Agathæ martyris super Suburram fecit vestem rubeam &c.* Eiusdem meminit idem infr. *Immò vero & sarta tecta basilicæ beatæ Agathæ martyris sita super Suburram, quæ præ nimia vetustate iam emarcuerant, nouiter reparauit.* Idem in Gregorio 4. *Sed & in Monasterio sanctæ Agathæ martyris quæ ponitur super Suburram fecit vestem de olouero.*

Quia serenissimi Domini Imperatoris, animum non ignoramus, quod se in causis Sacerdotalibus, miscere non soleat. Vacante sede Salonitana Gregorius Maximum exclusit ab Episcopatu, ob vitium ambitionis, de quo supra ep. 16. hoc lib. Sed quia cognouit eum ad Episcopatum prorupisse elicito Mauritij Augusti rescripto per subreptionem, facilè id credidisse se ait, quia Imperator rebus Ecclesiæ se immiscere non soleret. Principes non debent falcem mittere, in messem alienam & electioni Episcoporum se ingerere, nec aliis rebus ecclesiasticis. Nicolaus I. ep. 8. ad Michaël. Imperatorem. *Vbi nam legistis Imperatores antecessores vestros, Synodalibus conuentibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est.* Can. vbi nam 96. dist.

Epi. 21. *Quæ cuncta de colonis, vel originarijs iura præcipiunt peragant.* Iudæis nos licet habere Christianos seruos, sed

non vetantur habere Christianos colonos propriorum prædiorum, qui pensionem certam prædiorum nomine soluant quales solent præstare coloni & originarij. Coloni sunt rustici liberi, qui colendos suscipiebant alienos agros, sub certâ pensione, in perpetuum, vel ad tempus L. cum satis. §. cum autem. C. de Agricol. & censit. Inde colonos à seruis distinguit Augustin. in psalm. 34. *Vt omnes qui nascuntur coloni tui aut serui tui sint.* Originarij sunt serui adscripti glebæ, è parentibus seruis nati L. originarios. C. eod. tit. Originales seruuli Ambros. de Ioseph. cap. 5. *Habent igitur, vnde glorientur originales seruuli, seruiuit & Ioseph.* Inde Originalis inquilinatus Sidon. lib. 5. epi. 19. *Si stupratorem pro Domino iam patronus, originali soluas inquilinatu.* Originarios memorant etiam posterioris ævi scriptores Flodoard. hist. Rhemens. lib. 1. cap. 18. ex testamento B. Remigij *Innocentium seruum, quem accepi, à Profuturo Originario meo.* Cæsarius de mirac. lib. 4. cap. 88. *Habentes autem seruum quendam Originarium Steinhardum nomine, fidei eius claues munitionis commiserunt.*

Quamquam igitur fraterna dilectio, hoc à te & sine nostris scriptis debeat exigere. Epist. 22 Gregorius Venantio Lunensi Episcopo mandauit curam emendandi Clericos, & Religiosos Laudenses, sed eo postulante ei adiunxit Constantium Mediolanensem Episcopum, quamquam vt ait sine scriptis id est sine mandato Pontificio haberet potestatem eos coërcendi quia Laudensis Ecclesia est in Prouincia Mediolanensi. Cum Pontifex mandat ordinario correctionem Clericorum, vel Religiosorum, qui ipsius iurisdictioni subiecti sunt, mandato huiusmodi, non derogat iurisdictioni ordinarij, quia mandasse videtur, tanquam ordinario non tanquam delegato. cap. quanto cap. licet in corrigendis de offic. ordinar. cap. cum aliquibus de rescript. in 6. §. sed hoc iure instit. de Attil. tutor. mandatum huiusmodi non tribuit iurisdictionem, sed excitat sopi-

tam, & magis est admonitio quam mandatum, nec non iurisdictio delegata, potest concurrere cum ordinaria cap. significauit de corp. vitiat.

Epis. 23 *Quia scio quod subiectorum culpa, præpositorum deprimit vitam.* Gregorius hortatur nobiles Sardiniæ, vt rusticos ab errore idolatriæ compescant, quod subiectorum culpa præpositis imputetur. Ea ætate Rustici nondum Gentilium seu Ethnicorum superstitione erant detersi, vnde Gentiles Pagani dicti, quasi Pagenses & Rustici. August. de ciuit. Dei lib. 9. cap. 19. *Eorum etiam qui Pagani appellantur, & Deos multos ac dæmones colendos esse contendunt.* Et ætate Augustini Pagani erant viles & contempti. Idem lib. 20. contra Faustum cap. 9. *Proinde nos Paganis istis, qui vulgò noti sunt, & antiquitus fuerunt, & in reliquijs suis iam nunc erubescunt, prorsus deteriores estis.*

Epis. 24 *Hortamur vt tibi singulis quibusque temporibus, rationes suas Xenodochi, qui in eis sunt constituti, vel fuérunt subtiliter reddant.* Monet vt Xenodochi id est curatores Xenodochiorum, quæ erant sita in Caralitanâ Diœcesi, quot annis rationes reddant Episcopo. Xenodochia, & alia pia loca pertinent ad curam & sollicitudinem Episcopi Diœcesani cap. de Xenodochijs, de Religios. domibus Concil. Aurel. 5. can. 19. quo Xenodochij Lugdunensis fundati à Childeberto & Vltrogotho coniuge cura tradita est Episcopo Lugdunensi. Et Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 8. Ad Episcopum pertinet & ordinatio Xenodochi. Eustathius Sebastiæ Episcopus quæ est in Ponto Aërium Presbyterum ordinauit, & Ptochotrophio, quod erat in Ponto eum præposuit de quo Epiphan. hæres. 75. ἀυτίκα ὕστερον καθίστᾶ τοῦτον πρεσβύτερον, τότε ξενοδοχεῖον ἀυτῷ ἐμπιστέυει, ὅπερ ἐν τῷ πόντῳ καλεῖται πτοχοτροφεῖον. *Nam & Presbyterum hunc postea creauit, & Xenodochij, quod Ptocotrophium in Ponto vocatur, curam ei commisit.* Xenodochos creatos ex ordine Presbyterorum indicat & Pallad. hist.

Lausiac. cap. 1. Ισιδώρῳ πρεσβυτέρῳ ὄντι ξενοδόχῳ τῆς ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας, *Isidoro Presbytero, & Xenodocho Alexandrinæ Ecclesiæ.*

De ordinationibus vero, vel de nuptijs Clericorum, aut de ijs quæ velantur virginibus, nullus vt nunc fieri dicitur quicquam præmij præsumat accipere. Vetat nè quid exigatur pro ordinationibus vel nuptijs Clericorum, vel pro velatione Virginum, vel receptione Monachorum. Idem vetuit Synod. 7. can. 19. Vrbanus 2. in can. nullus Abbas. 1. qu. 2. Conc. Lateranense habitum sub Alexandro 3. in cap. Monachi de stat. Monach. & Alexander ipse in cap. non satis cap. Veniens de Simon, quod si quid vltrò offeratur non prohibet recipi. vt hic. & d. c. veniens. Nè quid exigatur pro nuptijs Clericorum vetatur, idem nè pro nuptijs rusticorum quid exigatur vetitum supr. lib. 1. ep. 42.

Scripserunt etenim mihi quod eo pacto cum Barbaricinis facere pacem disponitis, vt eosdem Barbaricinos ad Christi seruitium adducatis. Epist 25 Gratulatur Zabardæ Duci Sardiniæ quod his conditionibus, cum Barbaricinis pacem inire disponat, vt Christi fidem suscipiant. Barbaricini dicti sunt Afri qui occupatâ à Vandalis Africa in Sardiniam, aliasque Insulas profugerunt. De quo Procop. de bel. Vandalic. lib. 2. cap. 23. Barbaricini dicti vel quod profugi essent ex Africa, quæ Barbaria dicta est tempore Vandalorum, quia erat extra orbem Romanum. Barbaria est quicquid est extra metas Imperij Romani. Hieronym. ad Damasum. *Et quia pro meis facinoribus, ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat.* Vel forte Barbaricini dicti, quod essent cultores idolorum, de quo notantur hac epist. & 27. infr. hoc libr. *Dum enim Barbaricini omnes vt insensata animalia viuant, Deum verum nesciant, ligna autem, & lapides adorent.* Idolorum cultores ob rusticitatem scriptores eius æui Barbaros dictitarunt Gregorius Turonensis libr. 3. histor. cap. 14.

Erat autem intra Treuerici territorium cuidam Barbaro seruiens. Barbaricinos Sardiniæ postea ad fidem conuersos indicat Gregor. lib.9.epist.17. *Quia ergo multi de Barbaris, & prouincialibus Sardiniæ, ad Christianam fidem dicuntur Deo propitio deuotissimè festinare*, Inde Barbaricina mancipia infr.epist.18. eiusd.libr. Sic & nummi cusi à Sarracenis in Hispania quorum vsus fuit in Gallià dicti Barbarini. Gofrid. Vindoc.lib.1.ep.20.*Mille solidos Barbarinorum.* Afri exulantes in Sicilia Sardinia & alijs insulis dicti Barbaricini. Vt & Mauri qui transfretarunt in Hispaniam Mauriſci vulgò *Moriſques* quasi minores Mauri, inde equi Mauriſci pro Hispanicis. Ioannes 8. ep. ad Aldefonsum Regem. *Huius rei gratia rogamus dilectionem vestram, & animum d precamur vt quia valde à Paganis opprimimur, aliquantos vtiles & optimos Mauriſcos cum armis, quos Hispani Cauallos Alpharacos vocant, ad nos dirigere non omittatis.* Roderic.Tolet.lib.4. cap.17.

Epiſ. 26 *Dumque solum simplicitati à vobis studetur, quatenus videmus disciplina negligitur.* Notat Ianuarium Episcopum Caralitanum, de studio simplicitatis, & negligentiâ in tuenda disciplina Clericali. Idem Gregor. infr.lib.11.ind. 6.epist.56. *Vnde reuerendissimus Frater, & Coëpiscopus noster Ianuarius, vehementissimè fuerat obiurgandus, nisi nos eius senectus, ac simplicitas, & superueniens ægritudo suspenderet,* Homo simplex est imperitus rerum agendarum, vt miles vel rusticus. Paulus in L. cum de indebito de probat. *Sed miles vel agricultor, & forensium rerum expers vel alias simplicitate gaudens & desidiæ deditus*, Et hoc vitium simplicitatis reprehenditur in Episcopo Gregor.lib.8. ind.3. epist.40. *Petrus autem idem Diaconus, quem à vobis electum esse asseritis, omnino quantum dicitur simplex est, & nostis quia talis hoc tempore, in regiminis debeat arce constitui, qui non solum de salute animarum verum etiam de extrinseca subiectorum vtilitate, & cautelâ sciat esse sollicitus,* can.Petrus

39. dist. Inde se à Mauritio Augusto simplicitatis id est stultitiæ redargui queritur Gregorius infr. lib. 4. ind. 13. epist. 31. *Nam in eis vrbanæ simplicitatis vocabulo me fatuum appellat.*

Nam si cuiuslibet Episcopi in Sardinia Insula Paganum rusticum inuenire potero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo, Officium Episcopi est, Diœcesim purgare, à Paganis & Hæreticis. Et si quis Episcopus à vicinis Episcopis conuentus, intra sex menses à die conuentionis, loca ad sedem suam pertinentia Deo lucrari neglexerit, post triēnium constabunt eis, qui ea lucrati fuerint, nisi probet magis illius electam negligentiam ab Hæreticis, vt impunè eis esset, & suam diligentiam callidè præuentam Conc. African. canon. 88. can. placuit. 16. qu. 3. Concil. Carthagin. can. 122. apud Balsamon. Mileuit. 2. can. 24. 25. Idem est officium Domini principalis. Auth. si vero. C. de Hæretic. & Man. Ideo se fortiter vindicaturum in quemlibet Episcopum Sardiniæ, si quem paganum rusticum inuenerit in eius Dioceſi, sentiens rusticos Paganos facilè posse ad fidem conuerti, si Episcopi darent operam eis instruendis, in his quæ pertinent ad fidem.

Iam vero si rusticus, tantæ fuerit perfidiæ, & obstinationis inuentus, vt ad Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus, vt ipsa exactionis suæ pœnâ compellatur ad rectitudinem festinare Rusticos Paganos, qui erant in Sardinia, primum prædicationis vi, ad Christi fidem sollicitandos, quod si non sint audientes, durioris pensionis seu census onere compellendos monet Gregorius. Vnde sumptus est can. iam vero 23. quæst. 6. Eodem consilio Hæretici multis & exilio coguntur redire ad vnitatem, & iussus principis multis prodest ad salutem. Augustin. contra Gaudent. epist. lib. 2. cap. 17. *Ista igitur iussione regiæ potestatis, contra quam voluntarius fit vester occasus, multis ad salutem quæ est in Christo præstatur occasio.*

Peruenit etiam ad nos, quosdam de sacris ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante ad ministerij sui officium reuocari. Pœnitentes non sunt ordinandi. ex hac epist. Vnde sumptus est can. peruenit. 50. dist. Idem Conc. Carthag. 4. can. 68. & 69. & Siricius ad Himerium epist. 1. cap. 15. can. ex pœnitentibus. can. quicumque ead. dist. quod propter disciplinam statutum ait Augustin. epist. 50. *Vt constitueretur in Ecclesia nè quisquam post alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed vigore factum est disciplinæ.*

Videndum etiam nè sine literis, aut obnoxius curiæ compellatur, post sacrum ordinem ad exactionem publicam redire. Illiteratus non est promouendus ad clericatum, quia sacris non est aptus officiis can. illiteratos 36. dist. can. pœnitentes 55. dist. Idcircò Clerici sine examine non sunt ordinandi Conc. Nicen. can. 9. can. si qui sine examinatione 81. dist. can. quando. can. si quis Presbyter 24. dist. Item obnoxius curiæ non est ordinandus, nè post ordinationem reuocetur, ad sustinenda onera curiæ ex hac epist. & can. aliquantos 51. dist.

Epi. 27. *Benedictionem vero sancti Petri Apostoli vobis transmisimus.* Id est particulam de catenis B. Petri, vel de earum limatura, quæ assumpta de corpore Apostoli benedictionis nomine dabatur, vnde Benedictionem vocabant. Idem de catenis Pauli infr. h. lib. epist. 30. *Dum frequenter ex catenis eisdem multi venientes, benedictionem petunt,* Alias Benedictio sancti Petri est munusculum Pontificium Gregor. lib. 6. ind. 15. epist. 27. *Duas autem Camisias & quatuor oraria vobis transmisi, quæ prædictis viris ex benedictio-*
Epi. 30. *ne sancti Petri, peto humiliter offerri.*

Caput eiusdem S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius, suis ad se iussionibus à me præcipit debere transmitti. Constantia Augusta coniux Mauritij suasu Ioannis P. C. petijt à Gre-

gorio caput vel aliud membrum Pauli Apoſtoli, quod collocaret in Eccleſia Pauli quæ Conſtantinopoli in Palatio ædificabatur, Pontifex hac epiſt. reſpondit, ſe quod petebatur nec facere poſſe nec audere. Primum quia non ſine metu & periculo corpora Apoſtolorum tangi poſſunt, & hoc eſt quod ait his verbis. *Nam corpora Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, tantis in Eccleſijs ſuis coruſcant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum ſine magno illuc timore poſſit accedi.* Frequens concurſus plebis Romanæ ad ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum quæ in Cryptis non ſine religione & horrore viſuntur. Hieron. in Ezechiel. lib. 12. cap. 40. *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis & propoſiti, diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum, & Martyrum circuire, crebroque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex vtraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum, & ita obſcura ſunt omnia, vt raro deſuper lumen admiſſum horrorem temperet tenebrarum.* Et Imperatores, vrbem ingreſſi ſtatim properant ad memoriam Petri Apoſtoli orationis cauſa Auguſt. in pſalm. 63. *Sed melius eſt vt Romam cum venerit Imperator, depoſito diademate ploret ad memoriam piſcatoris, quam vt piſcator ploret ad memoriam Imperatoris.* Idem in pſalm. 140. *Modo iam ſaginata inde terra, exurgente ſegete Eccleſiæ, ecce quod eſt nobile & præcipuum in mundo, Imperator venit Romam? quo feſtinat ad templum Imperatoris, an ad memoriam Piſcatoris.* Et vt religio loci probetur, non impunè fuiſſe ait his qui corpora Petri & Pauli, & Laurentij martyris attingere auſi ſunt, quod varijs probat exemplis. Secundo vt ſe excuſet apud Auguſtam aſſerit Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem eſſe, nè corpora Sanctorum de loco moueantur, nec ſine periculo moueri. Et hoc eſt quod ait his verbis, *In Romanis namque, vel totius occidentis partibus, omnino intolerabile eſt, atque ſacrilegum eſt, ſi Sanctorum corpora*

tangere quisquam fortasse voluerit, quod si præsumpserit certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Et ante vt idem probet dixit Romanos Pontifices cum Sanctorum reliquias dant, non quicquam de corpore Sanctorum, sed Brandeum, id est velamen Sanctorum corporibus ad motum pro reliquijs dare consueuisse, cuius virtus eadem erat, ac ipsorum corporum. Vnde contigit vt cum quidam Græci talibus de reliquijs dubitarēt. Sanctus Leo Papa Brandeum forcipibus inciderit, ex quo sanguis effluxit. De quo Ioannes Diaconus lib. 3. cap. 57. Sigib. ad ann. 441. Brandeum est velamen quo corpus Domini consecratum super altari inuoluitur Sigibert. loco mox laudato *Et sic brandeum altaris, quo consecratum corpus Domini inuoluerat, particulatim diuidebat*, Vel velum quo corpus defuncti tegitur Flodoard. histor. Rhemens. libr. 1. cap. 20. *Corpus eiusdem rubeo constat brandeo inuolutum.* Hac occasione, vt persequar omnia capita huiusce epistolæ, Gregorius damnat facinus quorumdam Græcorum Monachorum, qui antè biennium Romæ de nocte prehensi sunt, cum iuxtà Ecclesiam Pauli corpora mortuorum effoderent, & ossa reconderent, quæ vt confessi sunt pro reliquiis in Græciam essent exportaturi. Tum vt animo Augustæ religionem induceret, narrat post mortem Petri & Pauli quosdam fideles ex Oriēte sublatis corporibus Sanctorum, non vltra secundum ab vrbe milliarium in locum qui dicitur Catatumbas, ea deportare potuisse, tonitruum & fulgurum metu perterritos. Denique in fine epist. inuidiam praui consilij reiicit in quosdam, qui malo animo hoc desiderium suggesserant Augustæ, vt haberent occasionem re non impetratâ, eam commouendi in Pontificem, quo pertinent hæc verba quæ Ioannem Patriarcham subnotant. *Non vestrum est, sed quidam homines contrà me pietatem vestram excitare voluerunt, &c.* Idem de Sudario Pauli subiungit Pontifex, quod cum eius corpo-

re, conditum esset, sed nè Augusta contempta videretur, spondet se ei missurum aliquid de catenis Petri vel limatura ipsarum, si lima tolli possit, quia quandoque contingit vt nonnullis petentibus nihil lima proficiat vetante numine. Idem tamen postea reliquias Petri & Pauli Brunichildi Reginæ concessit, vt ostenditur libr. 5.

Monachi & mansionarij, qui corpus eiusdē Martyris viderunt, Ep. 51. Mansionarij Ecclesiæ, sunt æditui, & custodes Ecclesiæ, quia muneri annexum est onus perpetuæ mansionis Gregor. dial. l. 1. cap. 5. *Iuxtà eam namque ciuitatem Ecclesia B. Martyris Stephani sita est, in qua vir vitæ venerabilis Constantius nomine qui Mansionarij functus officio deseruiebat,* & infr. *Quadam vero die dum in eadem Ecclesia oleum deësset, & prædictus Dei famulus vnde lampades accenderet omnino non haberet &c.* Eundem Abundium Custodem mox Mansionarium vocat Idem lib. 3. dialog. cap. 25. *Custos Ecclesiæ Abundius dictus.* Et infr. *Vnde ad Abundium Mansionarium.* Io. Diacon. lib. 3. cap. 58. *Completis matutinalibus hymnis, Mansionarius candelam extinxit.* Græcis παραμονάριος Con. Chalced. can. 2. Dionysius exiguus vertit Mansionarius can. si quis Episcopus 1. qu. 1. In seculari militia Mansionarij sunt Maiores, seu Custodes villarum fiscalium Regino 2. chron. ad ann. 895. *Cum in Regnum Otto Imp. reuerteretur, Felicem Episcopum, & Adalongum Comitem, sui mansionarij ad Arnulfum Xenijs à Carolo missis venientes in media via offenderunt.*

Ad secundum vrbis miliarium, in loco qui dicitur Catatumbas. Catatumbas est locus secundo ab vrbe miliario, vbi condebantur corpora Martyrum, malè Catacumbas. Anast. in Cornelio *Hic temporibus suis rogatus à quadam matronâ Lucina, corpora Apostolorum Petri & Pauli, de Catacumbis leuauit noctu.* Idem in Damaso. *Hic fecit basilicas duas, vnam iuxta theatrum, sancto Laurentio, & aliam via Ardeatinâ, vbi requiescit in Catacumbis.* Sic dictus à Latino

tumba quod idem sonat ac tumulus quod tumeat, seu emineat. Sigibert. ad ann. 709. *Childeberto Monarchiam Regni Francorum tenente, Archangelus Michaël apparens Auberto Abrincatensi Episcopo, monuit semel & iterum, vt in loco maris, qui propter eminentiam sui tumba vocatur, fundaret Ecclesiam in memoriam sui*, Aldhelmus de laudib. Virginitat.

Ad quorum tumbas solidæ post funera mortis.

Gregor. ipse homil. 27. in Euangel. *ad Martyris tumbam consistimus.*

Epi. 33 *Sicut enim rami sine virtute radicis arefiunt, ita opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt si à soliditate fidei disiungantur.* Theodelindam Reginam Longobardorum quæ Schismaticorum erroribus decepta, lapsa erat, vt ad vnitatem Ecclesiæ Romanæ redeat hortatur, nè fructum bonorum amittat, quæ sine fide nulla & inania sunt, Idem Gregor. in Ezech. lib. 4. homil. 9. Idem moral. lib. 20. cap. 7.

Epis. 34. *Speciosus tunc Subdiaconus hac pro re, ab administrationis se suspendit officio, & vsque in obitus sui tempus Notarij quidem gessit officium.* Subdiaconi adnexum habent officium Notariorum Ecclesiæ. Clemens primus instituit Notarios per septem regiones Vrbis, qui gesta Martyrum singuli per regionem suam exciperent, Fabianus creauit septem Subdiaconos, qui septem Notarijs à Clemente institutis imminerent, vt gesta Martyrum in integro, id est in vnum colligerent, testis Anast. in Clement. & Fabian. Idcirco Regionarij dicti sunt quia distributi erant per regiones vrbis. Anastas. in Syluerio *Adhuc eo loquente Ioannes Subdiaconus Regionarius primæ regionis tulit pallium de collo eius* & infr. *Tunc Sixtus Subdiaconus Regionarius regionis sextæ, videns eum iam Monachum, egressus foras nunciauit ad Clerum dicens.* Pace reddita Ecclesiæ etiam minores Clerici functi sunt officio Notariorum Ecclesiæ.

Gelas in can. Monachus 77. dist. *Monachus vero Nouitius si morum honestate fulcitur continuo Lector vel Notarius aut certè Defensor effectus, post tres menses existat Acolythus.* Ætate Gregorij, Subdiaconi Ecclesiæ Romanæ officium Notariorum Ecclesiæ, simul gerebant, ex quo vero constitutione Pelagij præceptum, vt Subdiaconi deinceps abstinerent officio ordinis, nisi ab vxoribus continerent, Speciosus Subdiaconus ab his quæ erant ordinis vltrò se suspendit, & contentus fuit officium Notarij gerere. Quod tulit Gregorius.

Proinde & de rebus paternis, quas antè Episcopatum di- Epist.36.
noscitur habuisse, si eas in ius Ecclesiæ suæ quodammodo transtulit, ei quantum portioni eius legaliter scit competere vt satisfieri possit immineat. Episcopus potest testari de bonis hæreditarijs, quæsitis ante Episcopatum, vel post Episcopatum, de bonis vero quæsitis post Episcopatum de rebus Ecclesiæ, nihil alienare potest testamento vel inter viuos. Gregor. lib. 10. epist. 41. *Nulli dubium est, quia sicut Sacerdotibus res in Episcopatu acquisitas, nulla est alienandi licentia, ita de his quas ante habuerint quicquid iudicare voluerint non vetantur.* Can. nulli 12. qu. 2. Sed si Episcopus, liberos habuerit de rebus ante Episcopatum quęsitis, non potest testari, in fauorem Ecclesiæ, nisi saluâ legiimâ liberorum ex hac epist.

Quia scandalizantur plurimi, quia fratrem & Coëpisco- Epist.37
pum nostrum Ioannem Rauennatis Ecclesiæ inter Missarum solemnia nominetis, requirenda vobis consuetudo antiqua est. Ex consuetudine antiquâ nomen Episcoporum tam superstitum, quam defunctorum refertur in diptychis Ecclesiæ, & eorum nomen memoria celebratur in publicis precibus, inter Missarum solemnia. Inde inter iura Episcopalia memoratur ἀναφορὰ τῦ ὀνόματος τότε Balsam in can. 1. Syn. Constantinopolit. 1. & 2. Et in pœnis canonicis, si Episcopus extraneos, vel hæreticos hæredes in-

stituerit, nomen eius de Episcoporum memoriâ tollitur Syn. Carth. can. 84. apud Balsamo. African. canon. 48. Ioannis Chrysostomi in exilio defuncti, nomen, tabulis Ecclesiæ reponi iussit Atticus C.P. Socrat. lib. 7. cap. 25. μνεῖαν Ἰωάννου ἐν ταῖς εὐχαῖς ἐκέλευσε ποιεῖσθαι, ὡς δὲ τῶν ἄλλων ἐπισκόπων τῶν κεκοιμημένων ἐιώθεν γίνεσθαι, *Præcepit vt Ioannis memoria fieret in precibus, sicut de alijs Episcopis solet*, In quaque Ecclesia nomen proprij Episcopi referri inter Missarum solemnia moris erat, sed nouum, & insolens erat nomen extranei Episcopi referri, Ideo multis scandalo fuit quod Constantius Episcopus Mediolanensis nomen Ioannis Archiepiscopi Rauennatis inter Missarum solemnia, memoriâ recolere solebat, de quo consultus Pontifex à Mediolanensi respondit perquirendam esse consuetudinem, & si consuetudo non probaretur abstinendum esse, quo inclinare videtur ex eo quod subiungit Archiepiscopum Rauennatem Mediolanensis nomen silere his verbis *Tamen sollicitè perquirere studui si idem Ioannes frater & Coëpiscopus noster, vos ad altare nominet, quod minimè dicunt fieri.*

Nam audio eum cum decessore vestro Laurentio ad mensam Ecclesiæ per annos plurimos nunc vsque consedisse. Inter nobiles consedisse & subscripsisse. Fortunatum commendat Constantio Episcopo Mediolanensi, nè temerè de status sui, id est ingenuitatis conditione pulsetur, quia audiuit eum per multos annos, cum Laurentio decessore ad mensam Ecclesiæ cibum sumpsisse, inter nobiles consedisse, & subscripsisse nimirum gestis, & instrumentis ecclesiasticis. Domus Episcopi erat hospitium non modo Clericorum, sed etiam nobilium vnde ἀσπάσικον, id est Salutatorium dicebatur. Theodosius senior ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo excommunicatus, Episcopum conuenit in Aspastico. Theodorit. libr. 5. cap. 17. πρὸς δὲ τὸν ἀρχιερέα παραγενόμενος, ἐν δὲ τῷ ἀσπασικῷ οἰκῷ ἔτος καθῆστο,

Sed

Sed ad Episcopum qui in Salutatorio sedebat accessit. Iisdem μιτατόριον seu hospitium. Cedren. in Leone ὅθεν διὰ τῆς δεξιᾶς μέρους διήρχετο εἰς τὸ μιτατώριον *Coactus est per dexteram partem in Metatorium ire.* Et idem infr. in eodem τῆ δὲ Βασιλέως δημοσίαν πρόοδον ἐν τῆ μεγάλη ἐκκλησία ποιησαμένου, καὶ τῶ μιτατωρίω εἰσελθόντος. *Imperator publicè in magnum templum progressus, cum in Metatorium venisset.*

Per hominem nostrum scripta transmittemus. Homo pro seruo, vel famulo scriptoribus labentis ævi, Latin. Pacat. in Panegyric. Theodos. *E proximo accipis vota hominum tuorum.* Auson. epist. 22. *Concesso ab hominibus tuis vsus hospitio, immaturè periclitatur expelli.* Symmach. libr. 2. epist. 30. *Si placet vt homines mei hæreditariâ possessione decedant.* Cassiodor. 10. Var. 5. *Theodosio homini suo Theodahaldus.* Greg. lib. 6. ind. 13. epist. 9. *Lator præsentium homo vester.* His adde L. 1. C. de commerc. l. 4. Cod. de dignit. Alias homo pro marito. Gregor. libr. 6. ind. 13. epist. 27. *Et magnificis earum hominibus.* Epis. 38

Nè non rectitudini, sed indisciplinationi quod absit, videamini consentire. Rectitudini opponitur indisciplinatio quę est relaxatio & dissolutio disciplinæ id est rectæ viuendi rationis. Eadem voce vsus est Gregor. lib. 4. ind. 13. epist. 7. *Nec tantæ nos indisciplinationis ecclesiasticam cognoscas dissimulare, vel differre vindictam.* Euagr. in vita S. Antonij latinè versa. *Calcitrantium mulorum indisciplinatio.*

Peruenit ad nos Monachos suos, mulieres sibi commatres facere. Epis. 40 Vetãtur Monachi infantes suscipere ex fonte baptismi, & commatres sibi facere, nè detur occasio prauæ consuetudinis, ex hac epist. vnde desumptus est can. peruenit 18. qu. 2. Idem vetat Conc. Antisiod. can. 25. can. non licet can. Monachi. de consecr. dist. 4. Conc. Aquisgran. anno Christi 817. can. 16. Idem interdictum Clericis, & commatres epulis curare, Auctor Sermon ad fratres in erem. sermo. 36. *Non enim debet qui animarum curam gerit transire*

de domo ad domum, non commatres procurare.

Epist. 41 *Hortor autem, vt dum vitæ spatium supereſt, ab eiusdem beati Petri Eccleſia, cui claues cœleſtis regni commiſſæ ſunt, & ligandi, ac ſoluendi poteſtas attributa, veſtra anima non inueniatur diuiſa.* Hortatur Bonifacium Prȩfectum Africę, nè ſe diuidat à communione Eccleſiæ Romanæ, quæ habet claues Regni Cœlorum, ligandi, & ſoluendi poteſtatem. Eccleſia Romana Princeps omnium Eccleſiarum Hieronym. ad Damaſum *Ego autem primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Auguſtin. epiſt. 161. *Romanæ Eccleſiæ, in quâ ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.*

Epiſ. 43. *Lator præſentium Coſmas Syrus, in negotio quod agebat debitum ſe contraxiſſe perhibuit.* Commendat Coſmam Syrum negotiatorem, qui ære alieno laborabat. Syri negotiatores in occidentis partibus, ſummam commercij exercuére. Hieronym. in Ezech. libr. 8. cap. 26. In illa verba *Syrus negotiator tuus. Vſque autem permanet in Syris ingenitus negociationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate diſcurrunt, & tantam mercandi habent veſaniam, vt occupato nunc orbe Romano inter gladios, & miſerorum voces, quærant diuitias & paupertatem periculis fugiant.* Idem ad Lætam *Negotiatoribus auidiſſimis mortalium Syris.* Sidon. l. 1. epiſt. 8. de peruerſione rerum omnium quæ erat Rauennæ, *Fœnerantur Clerici, Syri pſallunt.* Gregor. Turo. hiſt. l. 10. c. 25. *Euſebius quidam negotiator genere Syrus, datis muneribus in loco eius ſubrogatus eſt.* Eiuſdem Coſmæ meminit ſupr. lib. 2. ind. 11. epiſt. 55.

Quoniam & lex habet, vt homo liber, pro debito nullatenùs teneatur. Ob æs alienum debitor teneri non poteſt, id eſt incarcerari vice pignoris. L. æs alienum. Cod. de oblig. & act.

Hic tamen ſolerter age, vt acceptis ſolidis, ei plenariam

munitionem scripto faciant, Munitio est apocha securitas, quæ debitorem munit, & securum facit à creditore. Gregor. infr. lib. 9. ind. 4. epist. 24. *Hac te munitione prosperimus fulciendum.* Epist. 44

Domnam vero illam nutricem meam, quam mihi per literas commendatis, omnino diligo & in nullo grauari volo. Affectum erga nutricem suam Domnam nomine significat, pro nutricis filia stuprata, à raptore in vxorem ducendâ scripsit Sidon. lib. 3. ep. 19.

AD LIBRVM QVARTVM.

PERVENIT ad me, quod in Ecclesijs fraternitatis tuæ, aliqua loca dudum Monasterijs consecrata, nunc habitacula Clericorum, aut etiam Laicorum facta sunt. Monasteria semel consecrata non possunt fieri habitacula Clericorum aut Laicorum, ex hac epist. vnde sumptus est canon. peruenit 18. quæst. 2. & hoc est quod ante constitutum est Monasteria semel Deo dicata, non posse fieri κοσμικὰ καταγώγια *secularia habitacula* Conc. Chalced. can. 24. can. quæ semel 18. qu. 3. Epist. 1. ind. 13.

Sententia namque à vobis prolata est, in conclusione gestorum, in quâ dum pro inuestigandis illis hæreticis admonetis, subintuliſtis eos qui negligunt substantiarum dignitatumque priuatione plectendos. Dominicus Episcopus Carthaginensis, Concilium celebrauit in quo actum est de inquirendis hæreticis, ita vt Episcopi negligentes eos ad Catholicam fidem perducere, bonis & dignitate multentur. Durior visa est Gregorio sententia Concilij, nè dare- Epist. 3.

tur occasio turbanda pacis Ecclesiæ Africanæ, sed tamen nihil noui adfert. Idem enim placuit veteribus Concilijs Africanis, vt African. can. 88. Mileuit. 2. can. 24. 25. Et Carthaginens. apud Balsamon. can. 121. *Quicumque Episcopi neglexerint loca ad suam Cathedram pertinentia ad Catholicam vnitatem lucrari, conueniendi sunt à viciniioribus Episcopis, vt id agere non morentur, quod si intra sex menses à die conuentionis non effecerint, conceduntur ei qui primus potuerit ea lucrari, nisi proprius Episcopus probet, ab hæreticis magis illius electam esse negligentiam, vt impunè ibi sint, & suam negligentiam callidè fuisse præuentam vt eius cura sollicitior vitaretur.* Can. placuit. 16. qu. 3. Idem præcipitur Dominis temporalibus constitutione Friderici 2. Auth. si verò C. de hæretic. Ait nisi diligentia præuenta sit, quia nemo debet præuenire diligentiam alterius captiosè l. 11. §. si mater ff. ad Tertull.

Epist. 4. *Ita tamen vt Vrbicus Monasterij mei Præpositus, dare aliquem de seruis Dei debeat, qui eius Præpositus fiat.* Gregorius Abbas & Presbyter Monasterij sancti Theodori, ob lapsum depositus, post diutinam pœnitentiam restitutus, ita vt ei daretur Præpositus, qui eius negligentiam suppleret. Regulariter depositus, etiam post pœnitentiam non est restituendus suo ordini, nè canonicæ disciplinæ vigor frangatur Gregor. infr. h. libr. ind. 13. epist. 17. *Si lapsis ad suum ordinem reuertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum pro reuersionis spe praua actionis desideria, quisque concipere non formidat.* Et hoc est quod ait Gregor. init huius epist. *Latorem præsentium Gregorium Abbatem, atque Presbyterum Monasterij sancti Theodori, nulla quidem ratio permittebat, vt post lapsum illius penè generalem, vltra ei præesse debuisset.* Sed ex gratiâ, & dispensatione Abbas depositus restituitur, adhibito hoc modo, vt ei Præpositus detur id est prior, qui eius incuriam, suâ curâ, & sollicitudine reparet.

Et Victoria, quæ locum illius sequebatur, sicut audio res Monasterij dispersit, vt ad prioratus locum pertingeret, & ipsa post Abbatissam, interim inueniri debuisset, Prioratus est proximus gradus ad Abbatiam, Prior est qui præest Monasterio sub Abbate, Priorem claustralem hodie vocant. Alius est Abbas, seu pater Monasterij, alius Prior seu Præpositus, eodem modo Græci distingunt πατέρα καὶ ἡγούμενον τῆς μονῆς Syn. Nicen. 2. can. 13. & 14. Ob id notatur Victoria, vna ex ancillis Dei, Monasterij sancti Martini in Diœcesi Panormitana in Sicilia, quod res Monasterij profligasset, vt Prioratum ambiret, & prima post Abbatissam interim fieret.

Multa autem mala in eodem Monasterio per Anastasium medicum audio contigisse. Notat Anastasium medicum de nefandis commissis, in Monasterio Virginum. Medici occasione artis dum contubernio fœminarum irrepunt, plerumque è medicis fiunt amici, & stupratores, Medicos clariorum fœminarum adulterio notos memorat Plin. lib. 29. in proëm. *Exortus deinde est Rectius Valens, adulterio Messalinæ Claudij Cæsaris nobilitatus* & infr. *Iam vero & adulteria etiam in principum domibus, vt Eudemi in Liuia Drusi Cæsaris, item Valentis in qua dictum est Regina*, De Eudemo idem Tacit. 4. Annal. *Eudemus amicus, ac Medicus Liuiæ, specie artis frequens secretis.* B. Benedicto dæmonem, specie Mulo Medici, seu Veterinarij, obuium factum, cornu id est corneum vasculum olei, & Trepedicam, quod est potionis, seu medicamenti genus gestantem refert Gregor. 2. dialog. cap. 30. *Quadam die dum ad Beati Ioannis Oratorium pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie obuiam factus est, cornu & Trepedicam ferens.*

Eum sacri corporis & sanguinis Dominici participatione priuatum, in pœnitentiam redigat, ita vt vsque ad diem obitus sui, in eadem excommunicatione permaneat, & viaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat. Saturninus Pres- Epist. 5.

byter ob lapsum, id est lapsum carnis ab ordine depositus, post depositionem ausus est ministrare, idcirco sacræ Eucharistiæ participatione priuatus, in diem obitus, reseruato viatico in extremo vitæ discrimine. Presbyter depositus ministrans excommunicatur in diem obitus, reseruato tantum viatico in vitæ exitu. Hinc sumptus est can. accedens 50. dist. Idem statutum Conc. Antiochen. can. 5. cap. 2. extr. de Cleric. excomm. ministrant, & hoc est quod prolixius anathema dicitur Conc. Ilerdens. can. 16. *Quod si quisquam post hæc cuiuslibet ordinis clericus, quacumque occasione de omni facultate quidpiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitan dolo aliquo suppressisse reus sacrilegij prolixiori anathemate condemnetur.* can. hæc huius. 12. qu. 2.

Sin autem eum fraternitas tua, talem pœnitentiam agere cognouerit, vt ei iustè ad recipiendam inter laicos communionem, & ante exitum debeat misereri, hoc in tua fraternitatis ponimus potestate. Saturninus Presbyter depositus, ad pœnitentiam redactus est, & communione priuatus, in diem vitæ, saluo viatico, in vitæ exitu. Pœnitentiæ tamen huiusmodi modus impositus est, vt si iustam pœnitentiam egerit, communio inter laicos ei non denegetur, imò & ante exitum restituatur suo ordini. Diuersum pœnæ genus erat redactio ad communionem laicam, & peregrinam. Communio laica est cum Clerici depositi rediguntur ad communionem inter laicos, id est recipiunt communionem sicut laici extra cancellos altaris, de hac Gregorius infr. hoc libr. epist. 16. *Subdiaconi quoque quos similis culpa constringit, ab officio suo irreuocabiliter depositi, inter laicos communionem accipiant.* Idem epist. seq. eius. lib. *Similiter etiam & tres Subdiaconos quos fraternitas vestra lapsos innotuit à suo semper vacare ac decernimus priuatos officio, quibus nihil aliud quam inter laicos, sacra est præbenda communio.* Syricius ad Himerium epist. 1. *Quisquis Clericus aut viduam, aut certè secundam coniugem duxerit omni ec-*

clesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur, laicâ sibi tantum communione concessâ. Can. quisquis 84. dist. Innoc. I. ad Rufum. epist. 22. *Sed nostræ lex Ecclesiæ est venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem, vel exiguum subrogare.* Can. ventum 1. quæst. 1. Conc. Agathens. can. 50. *Si Episcopus Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officij honore depositus in Monasterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.* Canon. si Episcopus 50. dist. Vtrumque pœnæ genus, retrusio in Monasterium, & ablegatio ad laicam communionem, familiare fuit in Galliâ. Carlomannus filius Caroli Calui Meldensis Ecclesiæ Diaconus ob varia latrocinia, & perduellionem, patris iussu depositus oculis orbatus, retrususque in Corbeiense Monasterium reseruatâ sibi laicâ communione Aimoin. libr. 5. cap. 27. 29. Flodoard. libr. 3. cap. 18. Annal. Pitheani ad ann. Christi 873. Capitul. Caroli Calui tit. 39. & ibi Sirmund. Hoc pœnæ genere Gunterius Archiepiscopus Colonienſis & Thietgaudus Treuirensis à Nicolao I. depositi & excommunicati ob causam soluti matrimonij Thietbergæ Reginæ, concessâ sibi tantum communione laicâ Regino 2. chronic. Sigebert. ad ann. Chr. 863. & Nicolaus ipse in can. scelus 2. qu. 1. & in can. Theugualdum can. ita corporis 11. qu. 3. & Ioann. Diacon. lib. 4. cap. 94. Mitior pœna erat addictio communioni peregrinæ, & erat magis correctio quam pœna, per quam Clerici remoti, à sacra communione, & expuncti de matricula, seu tabula Clericorum, redigebuntur ad solam communionem precum, & susceptionem alimoniæ & annonæ, quæ Clericis peregrinis de quorum fide non liquebat, per litteras quas vocant Formatas hospitalitatis & humanitatis causa offerebatur.

Conc. Agath. can. 2. *Contumaces Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur, & peregrina eis communio tribuatur, ita vt cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matriculâ, gradum suum dignitatemque recipiant.* can. Contumaces 50. dist. Idem Concil. can. 4. *Si quis autem Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Can. Clerici 15. qu. 2. Et licet peregrina communio, esset pœnitentiæ species, nonnihil solatij habuisse colligitur ex eo quod addictum peregrina communione, foueri id est sustentari dixit Concil. Regiens. can. 3. *Aut peregrina vt aiunt communione foueatur*, Huiusce communionis antiquior fuit vsus in Ecclesia, Monachi Ægyptij ob persecutionem Theophili Episcopi Alexandrini exulantes à Ioanne Chrysostomo Episcopo Alexandrino fugæ causâ nondum cognitâ & probatâ, ad communionem precum recepti. Socrat. lib. 6. cap. 7. Ἤυξησε δὲ πρῶτος, τὰς περὶ νυκτερινὰς εὐχὰς *primus amplificauit nocturnas preces.*

Epist. 6. *Onus possessionis eius, ex aliqua parte imminuetur.* Hebræi seu Iudæi erant in possessionibus seu prædijs Romanæ Ecclesiæ in Sicilia, Gregorius de eorum salute sollicitus, præcipit Cypriano Diacono, & Rectori patrimonij Siciliæ, vt eis qui conuersi fuerint, onus possessionis, id est census remittatur pro parte, ita vt si pensio fuerit solidi, tremissis, id est tertia pars solidi eis relaxetur, si pensio erat trium vel quatuor solidorum, vnus solidus relaxetur. Idem Gregor. lib. 12. epist. 30. *Quia autem multi Iudæorum in possessionibus Ecclesiæ commanent, volo vt si qui ex eis Christiani voluerint fieri aliquantulum eis pensi relaxetur, quatenus isto beneficio prouocati tali desiderio & alij assurgant.* Infideles puta Pagani Iudæi vel hæretici omni arte non modo pœnis ad fidem prouocantur, puta multis, exilijs vel grauioris pensionis onere vt supr. libr. 3. epist. 26. sed etiam præmijs vt remissione pensionis, vel partis tertiæ pensionis, nec hoc inutile duxit Pontifex,

quia

quia etsi suspecta & minus tuta esset conuersio illorum, spes est vt qui de his nati fuerint, fidelius baptizentur, atque ita vt ipsi vel eorum nati lucrifiant. Cum Iudæis mitius agi suasit Augustinus homil. 7. ex persona Christi, *Parce damnis meis, cum enim tu qui Christianus es, spolias Iudæum, impedis fieri Christianum.*

Scripseras enim vt mutui solidi rusticis per manus quorumdam debiti conductorum darentur, nè tollentes ab alijs, aut in angarijs, aut rerum pretijs grauarentur, Vt rustici, id est possessores prædiorum Ecclesiæ Romanæ subleuarentur, neuè pecuniam mutuam à fœneratoribus accipere cogerentur grauioribus vsuris, mandat vt mutui solidi rusticis dentur sine vsura sc. per manus conductorum prædiorum Ecclesiæ. Vsurę mutuæ pecuniæ vel frumenti à rusticis leuiores exiguntur, putà pecunia credita in singulos solidos siliqua vna vice vsurarum, frumento credito, in singulos modios, octaua pars modij id est duo sextarij Nou. Iustin. 34. cap. 1. vnde sumpta est auth. ad hæc. C. de vsur. Solidus constat siliquis 24. Modius sextarijs sexdecim alius erat Italicus, alius castrensis, castrensis erat duplo maior Hieronym. in Ezech. libr. 1. cap. 4. *Porro Hin duos χοᾶς Atticos facit, quos nos appellare possumus duos sextarios Italicos, ita vt Hin mensura sit Iudaici sextarij, nostrique Castrensis, cuius sexta pars facit tertiam partem sextarij Italici.*

Peruenit itaque ad nos, quod fraternitas tua Ioanni fratri nostro primæ Iustinianæ Episcopo, secundum morem parere despiciat, & nec decreto eius nec relationi, quam ad nos direxit, iuxta consuetudinem voluisse subscribere. Ioannem Episcopum Sirmij notat quod Ioanni primę Iustinianę Episcopo parere recusaret, nec decreto electionis eius, nec relationi Episcoporum de eius electione subscribere voluisset. Electione Episcopi facta in Prouincijs Italiæ, Sicilię & viciniorum Regionum, decretum electionis subscri- Epist. 7.

ptum, & relatio Episcoporum de meritis electi, transmittebatur ad Romanum Pontificem, vt electus ab eo, vel eius mandato ordinaretur. Vt ostenditur infr. h. lib. ep. 15. in eadem causâ *Quia igitur susceptа fratrum, & Coëpiscoporum nostrorum relatio, ad locum vos Sacerdotij, totius concilij vnito consensu, & serenissimi Principis voluntate declarat accersiri.* Sirmiensis Episcopus ægrè ferebat, se subiectum esse primæ Iustinianæ Episcopo, quia Sirmium erat Vrbs antiquior, quæ erat caput Illyrici seu Pannoniæ secundæ quæ hodie appellatur Bulgaria, vnde Pannonia Sirmiensis quondam Gothorũ sedes Cassiod. 3. variar. 23. Iustinianus Acridam patriam, & Pannoniam secundam de suo nomine primam Iustinianam appellauit & Præfecturâ Prætorij Illyrici simul & metropoleos honore donauit. Nou. 11. de quo Gregoras lib. 2. inde Sirmium reluctanter paruit primæ Iustinianæ Episcopo. Gregorius Ioanni eidem vt Metropolitano pallium transmisit, & vices Apostolicas ei commisit ex more infr. h. libr. epist. 9.

Ep. 10. *Et hac de re multis potius credendum est, quam vni pro sua Ecclesia aliquid attestanti.* Gregorius non credidit Adeodato Diacono Rauennatis Ecclesiæ asserenti moris esse Episcopum Rauennatem vti pallio, extra Missarum solemnia in litanijs in Natali Ioannis B. Petri Apostoli, & Apollinaris Martyris, quia eius fidem euertebat testimonium plurium Responsalium seu Procuratorum ipsius Episcopi Rauennatis, qui varijs temporibus fuerant in Vrbe, qui fatebantur se nihil tale vmquam vidisse. Clerici & Monachi tamen testes admittuntur in causis Ecclesiæ & Monasterij sui cap. insuper. cap. cum nuncius de testib.

Vsum pallij in Litanijs solemnibus, id est die natalitio B. Ioannis Baptistæ, & beati Petri Apostoli, & beati Apollinaris Martyris, atque in ordinationis vestræ celebratione concedimus. Idem infr. lib. 7. ind. 2. ep. 76. Ioanni Episcopo Ra-

uennati, donec de ea re plenius cognitum sit, permittit vsum pallij, extra Missarum solennia in Litanijs certis diebus, quos inter numeratur dies Natalis B. Apollinaris Martyris, is fuit primus Episcopus Rauennæ, qui à Petro Apostolo Romę ordinatus, & Rauennam missus in Aemilia, quæ est Regio Italiæ, cuius caput est Rauenna, Euangelium feliciter prædicauit, & tandem sub Vespasiano Martyrium passus est de quo Martyrolog. Roman. 23. Iul. Acta eius vitæ apud Surium tom. 4. Hier. Rubeus. hist. Rauennat. lib. 1. Obseruatione dignum est, quod eidem Episcopo permissum pallio vti in die anniuersario ordinationis suæ. Dies anniuersarius ordinationis ab Episcopis solemniter celebrari solebat Augustin. homil. 24. *Veruntamen cum dies anniuersarius nostræ ordinationis exoritur, tunc maximè honor huius officij, tamquam primo imponatur attenditur.*

Vt nihil de prouectionibus Clericorum, reditu ornatu, ministerijsque vel quicquid præfati loci esse patuerit, à quoquam præsumi patiaris. Visitatori iniungitur cura & custodia rerum vacantis Ecclesiæ vt hic. & infr. lib. 5. epist. 21. lib. 6. ind. 15. ep. 16. & supr. lib. 2. epist. 18. quia res vacantium Ecclesiarum solebant impunè diripi à plebe Pet. Damian. lib. 5. epist. 6. *Plebium consuetudinem famâ vulgante cognouimus, vt videlicet suo defuncto Episcopo domum Episcopi hostiliter irrumpentes inuadant facultates eius prædonum more diripiant, prædiorum domos incendant, vites insuper, & arbusta, bestiali immaniores feritate succidant quod nimirum nisi ecclesiastica fuerit censurâ correctum, haud dubium quin regionibus illis repentini furoris immineat gladius.* Idem prædationis genus in rebus Monasterij Cassinensis cum vacaret morte Abbatis fieri solebat quod Leuam vocabant, quodque à Victore 3. Papa districtius vetitum Leo Ostiensis chronic. Cassinens. lib. 2. cap. 97. *Seditiones quas dicunt Leuas, seu prædationes, quas hic in Abbatis dormitio-* Epist. 12.

ne fieri solere compererat (Victor Papa) *nè vltra fierent seuerisimè interdixit.*

Epis.13. *Clero Ecclesiæ Capuanæ degenti Neapoli.* Capuanâ Ecclesia vacante, morte Sixti Episcopi, Gregorius Gaudentium Nolanum Episcopum huic Ecclesiæ Visitatorem delegauit, de quo scripsit Clero Capuano, degenti Neapoli, nimirum propter hostilitatem Longobardorum. Quo pertinet & epist.26.infr.8.lib.

Epis.14 *Deinde graue mihi est, quia irrisiones illas, quas habere Notarij adhuc pueri solent, vsque hodiè frater meus Ioannes in lingua sua retinet*, Obiurgat Ioannem Episcopum Rauennatem, quod haberet ingenium dicax, & mores Notarij id est mores dicaces, & hoc est quod ait infr. *Emenda illos mores Notarij.* Notarij sunt iuniores Clerici, qui vitio ætatis notantur de sannis & derisione aliorum.

Quia seruis suis, quâ horâ furit, turpia crimina imponit vt effœminati, & adhuc grauiter hoc apertius vocentur. Redarguit Ioannem, quod seruos suos, effœminatos per maledictum vocitaret. Molles effœminati sunt masculi qui virilia patiuntur, Paul.1.Cor.6. ἔτε μαλακοὶ, ἔτε ἀρσενοκοῖται. *Neque molles, Neque masculorum concubitores.* Augustin. de ciuit.Dei lib.7.cap.26. *Itemque de mollibus eidem matri magnæ contra omnem virorum, mulierumque verecundiam consecratis nihil Varro dicere voluit.* Mollis vel effœminatus dicitur quasi mollis carne, & quasi mulier libidini seruiens.

Excepto si reliquiæ conderentur. Ioannem Episcopum Rauennatem coarguit de vsu pallij, extra Ecclesiam id est extra Missarum solemnia, puta in Litanijs seu processionibus solemnibus, quod ait à decessoribus eius numquam ante præsumptum esse, nisi cum reliquiæ conderentur, id est cum in dedicanda basilica, reliquiæ Sanctorum collocarentur sub altari, quia Ecclesia non consecratur, sine reliquijs, id est collocatione reliquiarum sub altari.

Recordare in Miſſarum Romanarum ſolennibus, vbi Rauennas Diaconus ſtabat, & require vbi hodie ſtat, Nè Ioannes Epiſcopus Rauennas crederet ſe infenſum habere Gregorium, monet vt meminerit, in ſacris ſolemnibus Romanis, quo loco Diaconi Rauennates olim ſtarent, & quo loco tunc ſtarent. Quo innuitur honoratiorem locum eis dediſſe Gregorium. Hanc epiſt. exſcripſit Ioann. Diaconus lib. 4. cap. 4.

Veſtem vero ei quæ baptizanda eſt, direximus. Baptizandis veſtis alba dari ſolebat Ambroſ. de ijs qui miſterijs init. cap. 7. *Accepiſti poſt hæc veſtimenta candida, vt eſſet indicium, quod exueris inuolucrum peccatorum, indueris innocentiæ caſta velamina, qui enim baptizatur, & ſecundum legem & ſecundum Euangelium videtur eſſe mundatus.* Greg. Tur. lib. 5. hiſt. cap. 9. *Renatuſque Deo per Baptiſmi Sacramentum cum albatis reliquis, in albis & ipſe procedit.* Idem lib. 2. cap. 20. *Baptizatus autem puer quem Ingomerem vocitauerunt, in ipſis ſicut regeneratus fuerat albis obijt.* Fortunat. lib. 4. cap. 4. de Iudæis baptizatis, per Auitum Epiſcopum Aruernorum. Epiſ. 16

Lacteus hinc veſti color eſt, hinc lampade fulgor
Ducitur & vario lumine picta dies.

Baptizandis veſtis dari ſolebat ſumptu Eccleſiæ Gregorius præter hunc locum infr. libr. 7. ind. 1. epiſt. 2. *Tranſmiſimus autem fraternitati tuæ quinquaginta ſolidos, pro veſtimentis eorum qui baptizandi ſunt comparandis.* In Baptiſmo Clodouei Eccleſia Rhemenſis cortinis albis adornata Gregorius Turonenſ. lib. 2. cap. 31. *Velis depictis adumbrantur plateæ Eccleſiæ, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur.* Idem Flodoard. hiſtor. Rhem. lib. 1. cap. 13.

Codicem vero regulæ paſtoralis domno Columbo Presbytero tranſmittendum per harum portitorem direximus. Gregorius ſub initia Pontificatus, librum de cura paſtorali ſcripſit

ad Ioannem Episcopum Rauennatem, hac occasione quod Ioannes literis eum sugillasset, quod Pontificatum latendo declinare voluisset de quo Ioannes Diacon. lib. 4. cap. 73. Hunc librum transmisit Venantio Lunensi Episcopo, vt ostenditur hic, & Leandro Hispalensi Episcopo infr. h. lib. epist. 46.

Quod cum factum fuerit, etiam frater & Coëpiscopus noster Leo, ei cessionem præstare debebit, vt liber ad ordinandum possit inueniri. Maximiano Episcopo Syracusano vita functo, cum nullus inueniretur in propria Ecclesia idoneus successor, Gregorius eligendum designauit Ioannem Archidiaconum Cathanensis Ecclesiæ, & ad hoc vt cessio ei præstetur à Leone suo Episcopo vt liber, id est solutus vinculo propriæ Ecclesiæ possit ordinari. Clericus alterius diœcesis, seu de aliena Ecclesia non potest consentire electioni de se factæ, sine cessione proprij Episcopi, nec Monachus alterius Monasterij potest eligi in Abbatem sine consensu proprij Abbatis can. quam sit necessarium 18. qu. 2. qui desumptus est ex Gregorio infr. l. 7. epist. 18. Hunc Ioannem ex voto & iudicio Pontificis, electum esse probat Gregorius infr. lib. 7. ind. 2. epist. 20.

Epis. 24 *Sed quoniam dicitur, eundem tutorem velle aliquid in diaconiâ quæ ibidem constituta est emere, summoperè ei solatiari festina.* Diaconiæ sunt loca pia, seu hospitalia in quibus annonæ & alimenta præstantur pauperibus in matriculâ positis per Diaconos his præpositos, inde nomen Diaconiæ. In vrbe plures huiusmodi diaconiæ, à Romanis Pontificibus statutæ fuére in solatium pauperum. Anastas. in Benedict. 2. *Hic dimisit omni Clero, Monasterijs Diaconiæ, & Mansionarijs, auri libras triginta.* Idem in Adriano *constituit Diaconias tres foras portam beatorum Apostolorum Principis.* Idem in Stephano 3. *Diaconiam SS. Sergij & Bacchi, concedens omnia, quæ in vsum Diaconiæ existunt, statuit perpetuo tempore pro sustentatione pauperum*

in Diaconiæ ministerio deseruire. De Vrbanis Diaconijs ni fallor est locus insignis Gregorij infr. lib. 9. epist. 24. *Quia igitur te Ioannem, religioso intentionis tuæ studio prouocati, mensis pauperum & exhibendæ Diaconiæ eligimus præponendum, nè qua tibi ex hac administratione nascatur dubietas, hac te munitione prospeximus fulciendum, constituentes vt de hoc, quod ad mensas pauperum, vel Diaconiæ exhibitione perceepisti, siue subinde perceperis erogandum, nulli vmquam hominum quolibet modo seu ingenio cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas molestiam sustinere.* Nec modo in vrbe, sed etiam in alijs ciuitatibus passim fuére Diaconiæ, in vsum pauperum, vt apud Pisaurum fuisse Diaconiam, quæ aucta est bonis Adeodati ciuis Pisaurienſis, pauperibus testamento substitutis filio, & vernaculo, id est seruulo hæredibus scriptis, in hunc casum, si in pupillari ætate decessissent, quod contigit. Neapoli quoque memoratur fuisse Diaconia. Greg. l. 8. ep. 20. ind. 3. *Fertur itaque quod annonas atque consuetudines Diaconiæ, quæ Neapoli exhibetur eminentia vestra subtraxerit,* Alias Diaconia accipitur pro annona vel stipe quæ conferebatur in alimoniam pauperum, vel persecutionem patientium Cassian. collat. 18. cap. 7. *Temporibus si quidem Lucij, qui Arrianæ perfidiæ Episcopus fuit sub Valentis Imperio, cum Diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Ægypto, ac Thebaida fuerant ob Catholicæ fidei perseuerantiam, metallis Ponti, atque Armeniæ relegati.*

Valerianum vero Monachum, quem emendatum in Monasterio Beati Ioannis in Classe posito tradidisti. Monasterium sancti Ioannis in Classe memoratur hic, & infr. libr. 7. ind. 1. epist. 18. id nomen oppido, quod est ditionis ciuitatis Rauennæ. Io. Diac. lib. 2. cap. 63.

Officium Ecclesiæ defensorum accipias. Defensores Eccle- *Epist. 25*
siæ sunt Clerici minorum ordinum, qui eliguntur æditui, & custodes Ecclesiæ. can. Saluator. 1. qu. 3. can. de præsentium 16. qu. 1. can. in singulis 77. dist.

Hanc autem epistolam Paterio Notario Ecclesiæ nostræ, subscribendam dictauimus. Notarij Ecclesiæ Romanæ, subscribebant epistolis, & rescriptis Pontificijs.

Epis.26 *Durum enim est, & procul à Sacerdotis officio, personam positam sub necessitate negligere*, Monet vt Festus Episcopus Capuanus decem solidos annuos, Rustico Archidiacono demptos restituat, nè egeat, quia Clerici honestè paupertatem ferre non possunt. De Episcopis idem dictitauit Iuo Carnot. ep.238. *Præterea cum dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honestè ferre non valeat prouidendum est nè ista diuisione vterque Episcopus fiat pauper.*

Epis.29 *Seuero Scholastico Exarcho.* Scribit Seuero Scholastico id est Consiliario & Assessori Romani Patricij & Exarchi Rauennatis, vnde & Scholastico Exarchi nomen ob participium dignitatis, & officium adsidendi Exarcho. Scribit inquam vt Exarchum prouocaret ad sanciendam pacem, cum Agilulfo Rege Longobardorum, quem ait paratum esse pacem facere æquis conditionibus.

Epis.30 *Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac Ecclesia ordinem acceperit, egrediendi ex ea vlterius licentiam non habet*, Pontifex rogatus ab Helia Presbytero & Abbate Isauriæ, vt Epiphanium Diaconum ordinaret, eumque ad se transmitteret, eum quidem Diaconum ordinauit sed ordinatum à se non dimisit, cuius rei rationem reddit hac epist. quia semel ordinatus in Ecclesia Romanâ, non potest ab ea discedere. Vnde sumptus est can. filium 1.qu. 1. quod cautè intelligendum est sine consensu summi Pontificis. Alias Presbyter vel Diaconus Ecclesiæ Romanæ, non prohibetur eligi in Episcopum alterius Ecclesiæ, & cum de ipsa quis assumitur in Episcopum alterius Ecclesiæ, ei obiici non potest, quod de alia Ecclesia eligatur, cum Ecclesia Romana sit caput omnium Ecclesiarum cap. cum nobis in antiq. de elect. Diaconi semel ordinati à Romano Pontifice, per hoc non eximun-

tur

tur à iurisdictione ordinarij. cap. per tuas. de maiorit. & obedient. tamen propter reuerentiam Sedis Apostolicæ, non possunt promoueri ad maiores ordines, sine licentia summi Pontificis cap. cum in distribuendis de temporib. ordinat, & ordinatis à Romano Pontifice, debetur conueniens honoris prerogatiua d. cap. per tuas, Hieronymus Presbyter Ecclesiæ Romanæ, se ab ea Christi vestimenta, id est sacrum ordinem accepisse non vno loco gloriatur, vt in epist. ad Damasum. *Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi.* Et idem in prox. ep. ad eundem. *Ego igitur, vt ante iam scripsi, Christi vestem in Romana vrbe suscipiens, nunc barbaro Syriæ limite teneor.*

Solidos autem à nobis voluistis pro necessitatibus Cellæ quinquaginta transmitti. Gregorius largior in pauperes & Monachos, qui nondum ditati, egestate laborabant Heliæ Presbytero & Abbati Isauriæ Prouinciæ petenti quinquaginta solidos in vsum Cellæ, id est Monasterij decem supra petita transmittit. Cella passim pro Monasterio apud Gregorium, & plerumque pro monasteriolo quod pendet è maiori Monasterio, tamquam membra à capite. Conc. Aquisgranens. ann. Chr. 817. *Abbatibus liceat habere Cellas, in quibus aut Monachi sint, aut Canonici, & Abbas prouideat nè minus de Monachis ibi habitare permittat quam sex.* Sic cella S. Iudoci, à Ludouico Pio vnita Monasterio Ferrariensi de qua Lupus Ferrar. epist. 11. ad Lotharium Regem. *Cellam S. Iudoci quam magnus Carolus, quondam Alcuino ad eleëmosynam exhibendam peregrinis commiserat, Beatæ memoriæ pater vester, nobis eâ ratione concessit, sicut edictum illius attestatur, vt quod eleëmosynæ supereset in nostrum vsum cederet.* C'est l'Abbaye S. Iosse les Monstrueil sur la mer. Eadem analogia & Cellula pro congregatiuncula, vel domicilio Monachorum Conc. Agath. can. 58.

Cellulas nouas, aut congregatiunculas Monachorum, absque Episcopi notitiâ prohibemus institui. Et Cella apud recentiores pro prioratu ad Monasterium spectante cap. priuilegium de V.S. in *6.*

Epis. 31 *Nam in eis vrbanæ simplicitatis vocabulo, me fatuum appellat.* Gregorius Romano Patricio & Exarcho Rauennate, pacis conditiones respuente, pacem inijt cum Agilulfo Rege Longobardorum, quæ postea corrupta seu infracta est, transgressione Romanorum militum. De pace facta simplicitatis, seu fatuitatis fugillatus Pontifex, à Mauritio Augusto, de quo Pontifex conqueritur hac ep. ad Augustum. Fatuus hic pro simplice & imperito rerum agendarum vt & infr. in hac epist. *Ego igitur qui in serenissimis Dominorum iussionibus, ab Arnulfi astutiâ deceptus, non adiuncta prudentia simplex denuncior, constat procul dubio, quia fatuus appellor.* Gregor. 1. Moral. cap. *16. In scriptura autem sacra boum nomine, aliquando hebetudo fatuorum, aliquando bene operantium vita designatur.* Inde fatuitas pro simplicitate & stultitiâ. Idem libr. *26.* cap. 28. *Fatuitas quippè stultitia est, quod illos sic iniquitas obligat, vt à culpâ eos, nec pœna compescat.*

Leoni amplius est creditum quam mihi, & nunc eis, qui esse ad medium videntur, plusquam meis assertionibus credulitas impenditur. Queritur magis credi eis qui ad medium esse videntur, id est qui erant mediatores & interpretes pacis cum Longobardis. Sic Visitator datus Ecclesiæ vacanti Græcis μεσίτης dicitur Synod. Carthag. can. 77. apud Balsamon. latinè intercessor Synod. Carth. v. can. 8. can. constitutum 7. qu. 1. quia est mediator & promotor electionis faciendæ.

Et quidem si terræ meæ captiuitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione meâ atque irrisione lætus tacerem. Gregorius à Mauricio Imp. irrisus, quasi simplex, & fatuus, quod sine indignatione legi non potest, vel audi-

ri, ait se facilè laturum despectum & risum sui, nisi cerneret inminere vniuersæ cladem Italiæ, Longobardorum occupatione. Quod & significat his verbis sequentibus *Inde Italia quotidie ducitur, sub Longobardorum iugo captiua.* Italiam videtur vocare terram suam spectato affectu, & protectione quam precibus, & armis impendebat, & desidia Mauricij Imperatoris & Romani Exarchi Rauennatis, qui nec eam bello tueri valebant, nec pacis conditionibus, saluam & incolumem facere satagebant, vel potius terram suam vocat ditionem propriam Ecclesiæ Romanæ, & Pontifex videtur vindicare sibi vrbem Romam, & eius territorium aduersus Græcum Imperatorem, ad quem scripta est hęc epistola. Quo argumento vti possumus ad probandam donationem Constantini, quam agnoscit glossa, & Bart. in l. legatus de offic. præsid. de qua etiam Augustinus Steuchus librum edidit.

Post hac plaga grauior fuit aduentus Agilulfi, ita vt oculis meis cernerem Romanos, more canum, in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Ruptâ pace à Gregorio, cum Longobardis inita, culpa Romanorum militum, Roma capta & direpta ab Agilulfo Rege Longobardorum, & quod triste spectaculum fuit Pontifici optimo, Romani collo vincti vt canes venales ducti in Franciam. Ea ætate nondum desierant iura captiuitatis, & bello capti vt serui venibant. Ait captiuos ductos in Franciam. Iam à Clodoueo qui in acie sua manu cæso Alarico Rege Gothorum in prælio Vogladensi Gallia vniuersa potitus est, Gallia mutato nomine dicta est Francia, & falsum omnino est quod ait Lupoldus Babenberg. tractat. de iurib. Imp. Galliam occidentalem à Carolo Martello, primum Franciam appellatam.

Ossa ieiunijs atteruntur & mente turgemus. Notat hypocrysim Ioannis P. C. qui dictus est νηστευτὴς ieiunator quod ieiunijs corpus attéreret, & vili veste tegeretur. Idem *Epist. 32*

infr. epist. 34. & 36. h. lib. Io. Diac. lib. 3. cap. 5. Nicephor. lib. 18. cap. 34.

Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus Consacerdos meus Ioannes vocari vniuersalis Episcopus conatur. Ioannem Episcopum Constantinopolitanum arguit quod se Oecumenicum, seu vniuersalem Patriarcham diceret, hoc argumento, quod Romanus Pontifex humilitatis studio vniuersalis nomen respuit. Tempore Pelagij in Synodo Constantinopolitana Ioannes Patriarcha, vniuersalem se dici molitus est, Pelagius Synodi acta cassauit vt ostenditur infr. epist. 34. & 36. h. lib. & Pelagij ep. 1. In Chalcedonensi Synodo Romanus Pontifex oblatum nomen vniuersalis respuit vt ostenditur infr. h. libr. ep. 38. *Numquid nam per venerandum Chalcedonense Concilium, huius Apostolicæ Sedis Antistites, cui Deo disponente deseruio, vniuersales oblato honore vocati sunt, sed tamen nullus vmquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, nè si sibi in Pontificatus gradu gloriam, singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Ioan. Diac. libr. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 50.

Epist 33. *Quia hi qui in ea* (Insula Sardinia) *idolis immolant Iudici præmium persoluunt, vt eis hoc facere liceat.* Ea ætate in Sardinia multi erant Gentiles, qui sacrificabant idolis, & vt hoc impunè liceret, censum præstitabant Iudici seu Præfecto Sardiniæ. Olim & Christiani vectigal pendebant, persecutionis redimendæ causâ Tertull. de fuga in persecutione. *Massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi erogauerunt, nescio dolendum an erubescendum sit, cum in matricibus Beneficiariorum & Curiosorum, inter tabernarios & lanios, & fures balnearum, & alcones, & lenones Christiani quoque continentur.*

Quem cum prædictus Episcopus increparet, tantum se suffragium permisisse respondit. Id est Iudex Sardiniæ increpa-

tus ab Episcopo missо à Pontifice, quod pensionem reciperet à gentilibus insulanis, quò eis liceret sacrificare idolis, se excusauit se suffragium tantum eis permisisse, id est flexionem genuum. Suffragines sunt poplites, inde suffragium precum cap. vlt. de sepult. quod preces fiant flexis genibus, seu suffraginibus.

In Sicilia autem Insula Stephanus quidam marinarum partium Chartularius, tanta præiudicia, tantasque oppressiones operari dicitur, inuadendo loca singulorum atque sine dictione causarum per possessiones, ac domos titulos ponendo. Queritur de Stephano Chartulario, quod in Siciliâ nomine fisci, indictâ causâ alienis prædijs titulos imponebat, pignoris causa. Nè alienis prædijs tituli fiscales imponantur, sine auctoritate iudicis vetat l. 1. & 2. vt nemo priuatus titul. præd. suis vel alien. impon. Idem voluit Synodus Romana, habita à Gregorio nè Rectores patrimonij Ecclesiæ alienis prædijs, fiscali more titulos imponant causâ non cognitâ, infr. hoc libr. epist. 44. vnde desumptus est can. consuetudo 16. qu. 6.

Viginti autem iam & septem annos ducimus, quod in hac Epis. 34
vrbe, inter Longobardorum gladios viuimus, quibus quam multa hac ab Ecclesiâ, quotidianis diebus erogantur vt inter eos viuere possimus suggerenda non sunt. Gregorius pacis amans, quæ est altrix Ecclesiæ, & religionis, & osor sanguinis, à Longobardis pacem redemit licet non impos esset Longobardos bello & armis in ordinem redigendi vt ipse non dubitauit dicere infr. lib. 7. ep. 1. ind. 1. *Si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodiè Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa.* Vnde sumptus est can. si in morte 23. qu. 8.

Sicut in Rauennæ partibus, Dominorum pietas, apud primum exercitum Italiæ Sacellarium habet, qui causis superuenientibus quotidianas expensas faciat, ita & in hac vrbe in

causis talibus eorum Sacellarius ego sum. Rauennæ Imperator habuit Sacellarium id est custodem, & dispensatorem pecuniæ fiscalis, quæ erat comparata in sumptum belli Longobardici, & in vrbe Gregorius fuit Sacellarius, id est dispensator & erogator pecuniæ Ecclesiæ, in sumptum eiusdem belli, vel pacis redimendæ potius. Sacellarius erat Præfectus ærarij fiscalis. Gerardus Episcopus Cameracensis epist. ad Henricum III. Imp. apud Baldricum chronic. Camerac. libr. 3. cap. 60. *Et sicut liberalitas vestra Sacellarium habet, qui causis superuenientibus quotidianas expensas faceret, ita & ego Sacellarius eorum sum, vt dilatio mortis, nè dicam vitæ requies eorum qui mecum sunt, acquiri valeat.* Ecclesia Romana etiam habuit Sacellarium, id est custodem pecuniæ Ecclesiæ. Ioan. Diacon. libr. 2. cap. 23. *Alio quoque tempore idem Gregorius iuxta consuetudinem suam præcepit Sacellario, vt duodecim peregrinos ad prandium inuitaret*, & infrà *& accersito Sacellario, cur contra iussionem suam tertium decimum inuitare præsumpserit, inquisiuit.* Ordo Roman. *post equum vero hi sunt qui equitant Vicedominus, Vestiarius Nomenclator, atque Sacellarius.* Anast. in Theod. *Misit Donum magistrum militum, & Sacellarium suum ad ciuitatem Romam cum exercitu.* Annales Fuldens. ad ann. 801. *Huius factionis fuêre principes Paschalis Nomenclator, & Campulus Sacellarius.* Idem Anastas. in Leone 3. Sacellario nomen quasi sacculario à sacco vel sacello, pecunia enim fisci & Ecclesiæ custodiæ causâ reponebatur in sacculis seu saccellis Isidor. Origin. libr. 20. cap. 9. *Fiscus saccus est publicus*, Vnde sacculus Ecclesiæ pro ærario Ecclesiæ. Gregor. supr. libr. 1. epist. 42. *Quia nos sacculum Ecclesiæ, & lucris turpibus nolumus inquinari.*

Salonitanæ vero ciuitatis Episcopus me ac Responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anteriaribus principibus euenit. Queritur Maximum Salonita-

num electum, ordinatum insciente se, & Sabiniano Diacono suo Apocrisiario, seu responsali qui erat tum in Comitatu Constantinopolitano, de quo & libr. 3. supr. ep. 19. & 81. Querelæ ratio est quod Episcopi Italiæ Siciliæ Dalmatiæ, non solebant ordinari, nisi à Romano Pontifice, velut Patriarchâ occidui orbis vel de eius consensu vt ostenditur infr. lib. 5. epist. 13.

Etsi Episcoporum causæ mihi commissorum, apud pijssimos Dominos, aliorum patrocinijs disponuntur, infelix ego in Ecclesia istâ, quid facio. Queritur Maximum electum Salonitanum, se & Responsali suo inscio ordinatum, iussu Mauritij, & Theodosij eius filij, quos semper pijssimos Dominos vocat etsi ab his iniuriam pateretur. Vt supra epist. 31. ad Mauricium h. libr. *In serenissimis iussionibus suis Dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minimè percercit nam in eis vrbanæ simplicitatis vocabulo me fatuum appellat.* Infœlix ego inquit in Ecclesia quid facio si causæ Episcoporum apud pijssimos Dominos, secularium patrocinio & gratia disponuntur, causa enim ordinationis Episcoporum propriè pertinet ad summum Pontificem.

Laudaui vehementer, & vos fœlices, me infœlicem esse deputaui, qui hoc tali tempore regimen Ecclesiæ suscipere consensi. Epist. 35 Gregorius inuitus & animo reluctans suscepit Pontificatum, seque infœlicem putauit, qui malis temporibus, regimen Ecclesiæ susceperit. Sebastiano Episcopo Rhizinensi gratulatur, quod ab Anastasio Patriarcha Antiocheno in vna ciuitatum suarum oblatum Episcopatum detrectauerit. Variè nec sibi constans Ioann. Diacon. qui vsus est hac epist. lib. 3. cap. 49. legit Sebastiano Episcopo Sirmiensi. Et eod. lib. cap. 13. legit Sebastiano Episcopo Smirnensi.

Sunt enim in Sicilia Insula Ecclesiæ vacantes Episcopis & si vobis placet auctore Deo, Ecclesiam regere iuxta beati Petri

Apostoli limina, cum eius adiutorio melius potestis. Laudauit Sebastianum Episcopum Rhizinienſem, quod respuerit episcopatum oblatum ab Anastasio Patriarcha Antiocheno, postea tamen eum inuitauit vt susciperet vnam ex Ecclesiijs vacantibus in Sicilia, inuitauit non coëgit suscipere Episcopatum, Gregorius neminem inuitum promouit Io. Diacon. lib.3. cap.8. *Cumque Gregorius percepta occasione suæ Ecclesiæ Cardinales, si tamen consentirent satis voluntariè proueheret, neminem prorsus quantacumque necessitate coactus, violenter promouere curabat, nè sub huiusmodi occasione quemquam eliminando, deponere videretur.* Sebastianum Episcopum inuitauit ad suscipiendum Episcopatum in Sicilia, quia erat vnus ex Episcopis vacantibus, quos in suæ Diœcesis Episcopatus inuitabat. Ioan. Diacon. lib.3.cap.137.

Fœliciter insta, vt ista in vobis intentio permaneat. Id est inceſſanter ora, eadem voce vsus est Martialis 1. epigramm. 11.

Petit Gemellus nuptias Maronillæ
Et clepit & instat, & precatur, & donat.

Papias *Instare, imminere, vrgere, premere.*

Epiſ. 37 *Anastasio Episcopo Antiocheno.* Anastasius qui dictus est Sinaita, Episcopus Antiochenus Sede sua pulsus, Gregorio in eius locum submisso, de quo supra lib.1.epist.25. sed instante Gregorio nostro tandem restitutus, cui de reditu gratulatur Pontifex hac epist. Gregorius enim summoperè curam habuit Episcoporum, & Clericorum persecutionem patientium testatur ipse supr. h.libr. epist. 35. *Et vno tempore curam Episcoporum atque Clericorum Monasteriorum quoque, atque populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare contra ducum fallacias, atque malitias, suspectum semper existere, cuius laboris, cuius doloris sit, vestra fraternitas tanto verius pensat, quantò me qui hæc patior purius amat.*

Amen

Amen gratia, quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, vt de sancto Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solum vester est, sed etiam noster. Hoc signo Amen gratia salutationis vice in epistolis vtebatur Ignatius Antiochenus Episcopus, vt suppositiæ literæ, quæ aliquando submittebantur ab hæreticis, deficiente proprio signo loci reiicerentur. Pari consilio, Augustinus literas obsignabat annulo cui insculpta erat imago viri spectantis seu inclinantis corpus in latus, testis ipse Augustin. epist. 15. in append. *Hanc epistolam signatam misi annulo, qui exprimit faciem hominis attendentis in latus.*

Charissimum autem filium meum, susceptum vestrum Domnum Narsetem gloriæ vestræ commendo. Theodoro medico commendat Domnum Narsetem, quem ipsius susceptum vocat, Medici ægrotos suos vocant susceptos id est clientes Augustin. in Psalm. 45. *Ægrotat nescio quis, adhibetur medicus, susceptum suum dicit medicus ægrotum.* Æquè & Aduocati susceptos vocant clientes. Idem epist. 59. *Tunc enim Antistites velut Aduocati susceptos suos, per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati.* Idem quæst. vtriusque testam. 102. *Numquid si malæ vitæ sit aduocatus, contra susceptum eius pronunciabitur. Hoc est officium aduocati, vt secundum iuris ordinem, susceptum sui causam peroret, numquid poterit vita eius si turpis est, obesse causæ susceptum.* Et patroni susceptos etiam vocant clientes. Seruius in illum locum 6. Æneid. Epist. 40

Et fraus innexa clienti

Vult autem intelligi præuaricatores, qui patroni sunt clientium quos nunc susceptos vocamus.

Vnam vero Anatem, cum duobus paruulis Atticis, pro vestri amoris gratia transmittere præsumpsi. Theodoro medico benedictionis seu muneris causa transmittit Anatem cum duobus paruulis Atticis, vt horum aspectus, apud eum

foueat memoriam sui. Locus est corruptus ego legendum puto Anacem quod est vrcei genus, vulgò hanap. Gregor. Turon. de mirac. lib. 2. cap. 8. *Quatuor ex his per fugam lapsi, pateram & vrceum qui Anax dicitur in patriam deferunt.* Inde restituendus locus Anastas. in Gregor. 4. *Vela modica vbi supra de olouero, decem habens vnumquodque eorum Anates.* Attica sunt vasa fictilia, sic dicta ab Attica regione in qua fiebant, quæ vulgò ab Italis porcellana vocantur. Inde restituendus deprauatus locus Corippi libr. 3. *Fusca dabant fuluo Risattica vina metallo* Et sic legendum *Attica fusca dabant, fulgenti vina metallo.*

Epis. 41 *Et Castorio siquidem fratri & Coëpiscopo nostro nostra præceptione transmissa est epistola.* Conquerente Luminoso Abbate Monasterij sancti Thomæ Ariminensis, de varijs grauaminibus quæ ab Episcopis inferrentur, quampluribus Monasterijs, constitutione generali ea absoluit à iurisdictione & potestate Episcoporum, ita vt nec publica illic fiat processio, id est ne missæ publicæ, & solemnes illic cebrentur, quæ celebrantur hora tertia can. & hoc de consecr. dist. 1. nè in seruorum Dei secessu, vlla popularis conuentus præbeatur occasio, nec ibi cathedram collocet Episcopus Episcopalium defungendorum causa, nisi ab Abbate fuerit rogatus. Can. Luminoso 18. qu. 2. & inf. epist. 43. hoc libr. quia cathedra est insignè iurisdictionis Episcopalis. Augustin. epist. 203. *Transit honor huius seculi, transit ambitio, in futuro Christi iudicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium, atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, quæ hic honorant, ibi onerant.*

Illa videlicet ei iurisdictione relicta, vt in defuncti Abbatis locum, alium quem dignum communis congregationis consensus elegerit, debeat ordinare. Olim ordinatio Abbatum pertinebat ad Episcopum, sed postea electio ipsorum relicta congregationi fratrum can. congregatio 16. quæst. 7.

regul. Bened. cap. 64. & constitutione Gregorij concessa Monachis exemptione à iurisdictione Episcopi, libera electio Abbatis Monachis specialiter tradita est, saluâ Episcopo electi ordinatione, seu institutione. Et hoc est quod ait Gregorius in epistola scripta Castorio Episcopo Ariminensi quæ est 43. infra h. libr. *Abbatem vero eidem Monasterio non alium, sed quem dignum moribus, atque actibus disciplinæ Monasticæ, communi consensu congregatio tota poposcerit, te volumus ordinare.* Idem infr. libr. 7. ep. 18. *Defuncto vero Abbate, non extraneus nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur.* Can. quam sit necessarium 18. qu. 2.

Et assiduè operam orationi date. Gregorius exemit Monachos à potestate Episcoporum; vt consuleret eorum quieti, & in secessu liberi, assiduè orationi operam darent. Officium Monachi est incessanter orare. Inde officium regulare cursum vocabant, quia diem & noctem implebat. Vt in vita S. Vvalerici apud Surium 1. April. *Cursum tam Monasterialem quam Gallicanum*, & in vita S. Rictrudis apud eundem 12. Maij. *Cursum vero suum, id est pensum precum canonicarum.*

Comperimus præterea aliquid te annonæ, de publico conse- Epist. 42
qui. Leontio Episcopo Visitatori dato Ariminensi Ecclesiæ vacanti exprobat, quod annonam acciperet de publico, id est de fisco, quia Visitator Ecclesiæ vacantis stipendijs suis, quæ accipit de Ecclesia contentus esse debet vt ait in calce huius epist. *Et stipendijs quæ de Ecclesia consequeris, debes esse contentus.* Et ex eo sequebatur quod segnior fieret in causis Ecclesiæ, & defensione pauperum. Pari consilio quadringenti & amplius Episcopi interfuére concilio Ariminensi, sub Constantio, qui oblatas ab Augusto annonas & cellaria id est hospitia respuére, exceptis tribus tenuioribus Episcopis. Sulpit. Seuer. hist. sacr.

lib.2. *Itaque missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispaniam, Galliasque, magistris officialibus acciti, aut nacti quadringenti, & aliquanto amplius occidentales Episcopi Ariminum conuenére, quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat, sed id nostris, id est Aquitanis Gallis ac Britannis indecens visum, repudiatis fiscalibus proprijs sumptibus viuere maluerunt. Tres tantum ex Britannia, inopiâ proprij, publico vsi sunt, cum oblatam à cæteris collationem respuissent, sanctius putantes fiscum grauare, quam singulos.*

Epis. 44 *Gregorius Papa coram sanctissimo Beati Petri corpore, cum Episcopis omnibus, ac Romanæ Ecclesiæ Presbyteris residens, astantibus Diaconis, & cuncto Clero dixit.* In concilio Episcopi & Presbyteri sedent, Diaconi stant Conc. Nicen. can.14. Laodic.can.20. Arelat.2.can.15. Syn.6. in Trull. can. 7. can. peruenit. can. non oportet. can. præcipimus 93. dist. Auctor. quæst. vtriusque testam. 99. *Quamquam Romanæ Ecclesiæ Diaconi, modico inuerecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt.* Ioann. Chrysostom.in Mattheum homil.33. *Διὰ σὲ κάθηται ὁ πρεσβύτερος, διὰ σὲ ἕστηκεν ὁ διάκονος, πολλῶν, ἢ ταλαιπωρούμενος Causa tui Presbyter sedet, causâ tui rectus stat Diaconus laboribus & afflictione affectus.*

Vt in sede hac sacri altaris Ministri cantare non debeant, solumque lectionis Euangelicæ officium, inter Missarum solemnia exoluant. Ante Gregorium multæ prauæ consuetudines irrepserant in Ecclesiâ Romanâ, vna inter cæteras, vt Diaconi cantorum Ecclesiæ officio fungerentur. Hac de re Gregorius anno Christi 595. Synodum Romæ habuit, in qua huiusmodi consuetudines damnauit ac inter cætera vetuit nè Diaconi cantorum officio addicantur, sed solum inter Missarum solemnia Euangelium ab his legatur. Diaconis cantorum officio interdicitur, explosâ prauâ consuetudine, quia Diaconorum non est canere, sed prędicare Euangelium, & eleëmosynas pauperibus ero-

gare. Hinc sumptus est can. in sancta 92. dist. Diaconorum proprium munus est Euangelium legere vt signatur hic. Chrysostom. de diuers. vtriusq. testam. loc. serm. de Circo. Diaconis in Gallia, si Presbyter prædicare non posset licebat tantum, sanctorum Patrum homilias recitare Concil. Vasens. 2. canon. 2. in alijs Ecclesijs Diaconorum fuit etiam prædicare can. perlectis 25. dist.

Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per Subdiaconos, vel si necessitas fuerit per minores ordines exhiberi. Diaconorum est Euangelium inter Missarum solemnia legere, Subdiaconorum epistolam.

Vt quidam ex Clericis vel etiam ex Monachis electi ministerio cubiculi pontificalis obsequantur. Quia consuetudo irrepserat in Ecclesia Romana, vt Romani Pontifices vterentur pueris laicis ad secreta seruitia cubiculi, ad obsequium priuatum, in eadem Synodo à Gregorio statutum, nè laici pueri admittantur ad obsequium Pontificum, verum vt Clerici vel Monachi electi, sint in obsequio Pontificis, vt semper testes idoneos habeat priuatæ conuersationis, ac nè Clerici Pontificis vitam nesciant, quæ eis debet esse exemplo. Hinc sumptus est can. cum pastoris 2. qu. 7. Et ante Gregorium in Synodo Romana habita in causa Symmachi cautum est Episcopos & Presbyteros secum semper cõcellaneos, seu cellulanos habere oportere, nè deessent idonei testes conuersationis. In hanc rem memorabile est quod narratur de Etherio Lexouiensi Episcopo, eum circa lectulum suum habuisse lectulos quamplurium Clericorum Greg. Tur. lib. 6. cap. 36. *In stratum suum quiesit, habens circa lectum suum, multos lectulos Clericorum.*

Huius sedis rectoribus mos vltra meritum erupit vt cum eorum corpora humanda deferuntur, & hæc Dalmaticis contegant, Mos inoleuerat vt pheretrum Romanorum Pontificum Dalmaticis quæ sunt vestes Diaconorum contegere-

tur, & huiusmodi Dalmaticas è feretro abreptas plebs loco reliquiarum per particulas scinderet, quod vetitum in hac Synodo his verbis *De qua re præsenti decreto constituo vt feretrum quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur.* Id est dalmaticis pro vt moris erat. Io. Diac. lib. 2. cap. 5.

Et cum adsint multa à sacris corporibus Apostolorum Martyrumque velamina, Tumulis Apostolorum Martyrum, & Sanctorum palla seu velamen, reuerentiæ causâ imponi solebat. Gregor. Tur. lib. 5. cap. 49. *Sed post illata damna, iterat iterum sacramenta, pallamque sepulchri beati Martini, fideiussorem donat, se nobis numquam aduersaturum.* Idem de glor. Confess. cap. 79. *Adsumpta igitur palla de beati sepulchro componunt in modum feretri.* Lectulum Nicetij Episcopi Lugdunensis reuerentiæ causa palla tectum lychno iugiter accenso appositio refert idem de vit. Patr. cap. 8. *Pallâ etiam speciosâ tegitur, lychnique in ea iugiter accenduntur.* Flodoard. hist. Rhemens. lib. 4. cap. 48. *Introspicienſque videt corpus integrum Sacerdotalibus infulis redimitum, recomponensque sepulchri pallam, non ausus est hanc amplius violare sepulturam.* Sepulchro Diocletiani Imperatoris velamen purpureum impositum refert Ammian. lib. 16. *Suasitque consarcinatis mendacijs, læsæ maiestatis arcessere maritum insontem & fingere quod velamen purpureum, à Diocletiani sepulchro furatus, quibusdam conscijs occultabat.* Nè palla altaris, vel opertorio Dominici corporis, corpus defunctorum, etiam Sacerdotum obtegatur vetuit Concil. Aruernens. 1. can. 3. *Obseruandum nè pallis, vel ministerijs diuinis, defunctorum corpuscula obuoluantur*, & idem can. 5. *De opertorio Dominici corporis seu pallâ altaris, numquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur.* Synod. Antissiod. can. 12. *Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo, nec pallis corpora eorum inuolui.* Nè feretrum Apostolicum dalmaticis obtegatur vetuit

Gregorius, nè honor qui erat proprius Apostolorum & Martyrum, videretur fieri communis peccatoribus, id est Pontificibus, de quibus Ecclesia nondum quidquam decreuerat.

Nihil vmquam de ordinationibus accipiendum esse constituo neque ex datione pallij, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam noua per ambitionem simulatio inuenit appellatione pastelli. In eadem Synodo vetitum, nè pro ordinatione, id est consecratione Episcoporum, vel datione pallij, quid exigatur chartæ, vel pastelli nomine, hinc sumptus est can. nullus Abbas 1. qu. 2. qui ex Vrbano II. refertur penè ijsdem verbis. Ratio Pontificis fuit, nè vitium simoniæ nomine pastelli vel pastellatici, quod est diminutiuum pastus contegeretur. Ioan. Diacon. libr. 3. cap. 5. *Cum vero quosdam cognosceret, ad euitanda Simoniacæ hæresis crimina pestiferæ negociationis munera pastellaticum callidè vocitare, ac huiusmodi mutato nomine, suæ cupiditatis, auaritiam velle contegere, prudentissimus doctor egregius, sententiam quam in primordio sui Pontificatus coram Synodo promulgauerat, iterato protulit dicens &c.*

Vt quisquis ex iuris ecclesiastici seruitute, ad Dei seruitium conuerti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus. Quia passim serui Ecclesiarum, tædio seruitutis, monachismum expetebant, non sine graui damno Ecclesiarum, in eadem Synodo statutum est, nè serui de familia Ecclesiæ ad Monasterium recipiantur, priusquam in laico habitu probati fuerint, idem statuit Nou. Iust. 5. cap. 2. & Nou. 123. cap. 35. Regul. Benedict. cap. 58. expresso tempore probationis, nimirùm triennio. De militibus non recipiendis in Monachos, priusquam per triennium in laico habitu probati fuerint idem cauit Gregor. infr. lib. 7. ind. 1. epistol. 11. Vnde desumptus est can. legem 53. dist.

Sed nec Ioannem Presbyterum, psalmorum nescium præ-

epis.45 *sumpsimus ordinare.* Gregorius Ioannem Presbyterum repulit à Rauennati Episcopatu, quod psalmos nesciret, id est memoriter non teneret, eandem ob causam ab Anchonitano Episcopatu repulsus Rusticus Diaconus infr. lib.12.epist.6. *Rusticus autem Diaconus eiusdem Ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur, sed quantum asseritur psalmos ignorat. Sed & de rustico Diacono quantos psalmos minus teneat, perscrutandum est.* Can. Archidiaconum 85. dist. Sacerdotes ordinandi, modis omnibus psalterium tenere debent ex Synodi 7. can.2.can. omnes 38. dist. & ex Augustino loco non citato can. quæ ipsis ead.dist. Idem Synod. Tolet.8.can.8. *Proinde sollicitè constituitur, atque decernitur, vt nullum cuiuscumque dignitatis ecclesiasticæ percipiant gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum vsualium, & hymnorum siue baptizandi perfectè nouerint supplementum*, id est rituale ecclesiasticum. Libellum officialem vocat Syn. Tolet.4. can 26. *Quando Presbyteri in Parrochijs ordinantur, libellum officialem à suo Sacerdote accipiant, vt ad Ecclesias sibi deputatas instructi succedant*, Can. quando 38.dist. Gennadius. C. P. nullum Episcopum ordinauit qui non prius Psalterium sedulò in ore habuisset. Nicephor. libr. 15. cap. 23. Monachis quoque primum studium erat psalterium ediscere Hieronym. ad Rusticum *Numquam de manibus & oculis discedat liber, discatur psalterium ad verbum.* Idem ad Lætam *discat primo psalterium, his se canticis auocet.*

Tandem venerabilem fratrem Presbyterum Marinianum quem diu mecum didicere, in Monasterio conuersatum communi concordantique voce, atque consensu, sæpius petiuerunt. Marinianus ex Monacho inuitus electus in Archiepiscopum Rauennatem, tamen postea Clericorum artibus, à se ipso longè mutatus, suique immemor, Monachis nimium infensus fuit, de quo ei succenset Gregor. infr. l.5. ind.14.epist.28. De eodem meminit Paul. Diac. de Gest. Longob.

Longobard. lib.4. cap.11. Sæpius magni Monachi minores Epiſcopi. Non omnes qui magni & boni Monachi bonos æquè Epiſcopos eſſe obſeruat Ioan. Chryſoſt. de Sacerd.lib.3.

Librum Regulæ paſtoralis, quem in Epiſcopatus mei exordio ſcripſi. Gregorius ſub initia Pontificatus ſcripſit librum de Cura Paſtorali, hac occaſione quod Ioannes Rauennas Epiſcopus literis eum arguiſſet, quod Epiſcopatum latendo fugere niſus eſſet. Hunc librum Anaſtaſius Epiſcopus Antiochenus è latino Græcum fecit in vſum orientalium Eccleſiarum. De quo Gregor.ipſe infra l.10. epiſt.22. Io. Diac.lib.4.cap.73. Hunc librum ſimul & libros in Iob Pontifex tranſmittit Leandro Epiſcopo Hiſpaniarum id eſt Epiſcopo Hiſpalenſi. Idem tamen ægrè tulit quod Anatholius Diaconus Apocriſiarius librum regulæ paſtoralis iubenti Mauricio Auguſto dediſſet teſtem ipſum habemus d.lib.10. epiſt.73.

In Monaſterio ſancti Andreæ, quod iuxta Vulcanum eſt poſitum. Scribit Ioanni Abbati de Regio quod eſt oppidum Brutiorum, ad fretum Siculum de reformatione Monaſterij ſancti Andreæ, quod eſt iuxta Vulcanum. Vulcani appellatione intellige Vvlcanias inſulas quæ Rhegio obiacēt in freto Siculo ſic dictas quod per tempora ignem ſulfure mixtum è ſinu velut è caminis ardentibus euomunt. Plin.lib.3.cap.8. Lipara vna eſt ex his inſulis in qua eſt locus flammas & ſulfurem ſpirans, ollam Vulcani vocant, in quam Theodoricus Rex Gothorum ſubita morte præreptus, à quodam eremita viſus eſt diſcinctus diſcalceatus, & manibus vinctus à Ioanne Papa, & Symmacho Patricio iactari Gregor.dialog. lib.4. cap.30. Sigibert.ad ann. 523.

Sed quia cunctis liquet, vnde in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit. Gallia fidem accepit à Trophimo B.Pauli diſcipulo, qui fuit primus Arelatenſis Epiſcopus. Vnde Epi. 51.

Arelatensis Episcopus obtinuit primatum Galliarum Zozim. epist. *6. Sanè quoniam Metropolitanæ Arelatensium vrbi, vetus priuilegium minimè derogandum est, ad quam primum ex hac sede Trophimus summus Antistes, ex cuius fonte totius Galliæ fidei riuulos acceperunt.*

Quibusdam namque narrantibus agnoui quod in Galliarum, vel Germaniæ partibus, nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat, Ea ætate simoniæ vitium Germaniam & Galliam valde fœdauit. Hac de re Pontifex præcipit Vergilio Episcopo Arelatensi, de admonendo Childeberto Rege vt hanc labem è Regno suo depellat. Eadem de re scripsit Pontifex epistolam ad Theodoricum & Theodebertum Francorum Reges quæ est 114. libr. 7. *Fertur autem Simoniacam hæresim in Regni vestri finibus dominari, cum in Sacerdotibus fides sit eligenda cum vita.* Can. fertur 1. qu. 1. Et idem scripsit Childeberto Regi epist. 53. infr. hoc libr. *Simul autem & illud valdè execrandum nobis est nunciatum quod sacri ordines per Simoniacam hæresim, id est accepto pretio conferantur* & infrà *Hortamur vt tam detestabile facinus de regno suo excellentia vestra prohiberi præcipiat.* Nec dum exempta labes è Galliæ & Germaniæ finibus, Ioannes 8. epist. 94. ijsdem verbis *Quibusdam namque narrantibus agnoui &c.* In Gallia huiusmodi facinus defendi consuetudine Romanæ Ecclesiæ scribit Iuo Carnot. epist. 133. *Si qua autem adhuc sunt, quæ pro consuetudine antiquâ publicè exigant Decanus & Cantor, & alij ministri ab his, qui Canonici fiunt, me contradicente & persequente, Romanæ Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in qua dicunt Cubicularios & Ministros sacri palatij, multa exigere à consecratis Episcopis, vel Abbatibus, quæ oblationis, vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus nec charta gratis ibi vt aiunt habentur.* Eodem vitio simoniæ laborasse Helladem id est Peloponessum refert Gregorius infr. hoc libr. epis. 56. *Quibusdam namque narrantibus agnoui, quod in illis*

partibus nullus ad sacrum ordinem, sine commodi datione perueniat. Can. quibusdam 1. qu. 1. idemque epist. 55. h. libr. iisdem verbis.

Lætos nos excellentiæ vestræ vehementer fecit epistola quæ pia vos affectione de honore & reuerentia Sacerdotali testatur esse sollicitos. Epis. 53 Init. huius epist. gratulatur Childeberto Regi Francorum, quod esset sollicitus de honore & cultu Sacerdotum, nimirum hac occasione quia petierat pallium ex more concedi Virgilio Arelatensi Episcopo vt indicat ipse Gregorius epist. 51. supr. h. libr. *Libenti ergo animo postulata concedimus, nè aut vobis quicquam de debito honore subtrahere, aut præcellentissimi filij nostri Childeberti Regis petitionem contempsisse videamur.* Pallium non solebat concedi nisi fortiter, id est instanter postulantibus Gregor. lib. 7. ep. 5. ind. 1. *Prisca consuetudo retinuit vt honor pallij, nisi exigentibus causarum meritis & fortiter postulantibus dari non debeat,* Can. Prisca consuetudo 100. dist. Ob id adhibebantur regiæ preces vt hic petente Childeberto Gregorius concessit pallium Virgilio Arelatensi Episcopo, & petente Brunichilde Regina idem concessit pallium Syagrio Augustodunensi Episcopo. d. epist. 5. l. 7. *Susceptis itaque Epistolis vestris, valdè nobis excellentiæ vestræ studium placuisse signamus, atque fratri & Coëpiscopo nostro Siagrio pallium dirigere secundum postulationem vestram voluimus.* Et pallij impetrandi causa Metropolitani solebant Romam proficisci, addebatur & legatio Ecclesiæ Iuo Carnot. epistol. 250. de Radulfo Archiepiscopo Cantuariensi. *Hic in propriâ personâ, Sedem Apostolicam visitare secundum maiorum instituta deliberauit,* & infr. *Mittit itaque prædicta Ecclesia, vice electi sui religiosas personas & dictis & scriptis enixè postulantes, vt prædictum electum Cantuariensi Episcopatui confirmetis, & dignitatem ei pallij concedatis.*

Vniuersis Episcopis per Helladem Prouinciam constitutis.

Editio Romana per Helladiam. Hellas fuit duplex Prouincia Græciæ prima & secunda. Prima est Bœotia vbi Thebæ, secunda Peloponessus quam hodie Moream vocant vbi Corinthus quæ est Metropolis secundæ Helladis Isid. 14. Origin. cap. 4. Papias *Hellas Regio apud Isthmum, à nostris Græcia dicitur.* Hinc est quod Episcopis Helladis Gregorius significat se pallium transmisisse Ioanni Corinthiorum Episcopo.

AD LIBRVM QVINTVM.

Epist. 1. *VT ea quæ de Ecclesia sua, vel de acquisitis in Episcopatu rebus, contra legum fieri statuta dispossuit fraternitas vestra nec auctoritatem præbeat, nec aliqua ratione consentiat.* Clerici Rauennatis Ecclesiæ conquesti sunt de Ioanne Episcopo, quod testamento condito multa in grauamen Ecclesiæ conscripsisset, nimirum Ecclesia hærede scripta, multa legata reliquisset, quibus exhausta erat hæreditas. Hinc hæreditate repudiata Gregorius respondit testamentum à Ioanne Episcopo conditum non valere, quatenus disposuit de his quę de fructibus Ecclesiæ, vel post Episcopatum quæsita sunt, idem vero firmum & ratum esse quatenus disposuit de proprijs rebus, quas ante Episcopatum habuit. Episcopus quidem potest testari de tebus proprijs, & antè Episcopatum quæsitis, de rebus vero post Episcopatum quæsitis, non aliam nisi Ecclesiam habere hæredem. Concil. Carthagin. 3. can. 49. can. placuit. 12. qu. 3. Synod. Carth. can. 35. apud Balsam.

Conc. Agath. can. 48. can. Episcopi. 12. qu. 1. Conc. Tolet. 9. can. 4. can. Sacerdotes 12. qu. 4. & Conc. Altheens. can. statutum 18. qu. 1. & hoc est quod Gregorius repetit infr. lib. 9. ind. 4. epist. 14. *Quia & sacris Canonum legibus noscitur esse definitum, vt in his quæ Antistes Episcopatus tempore acquisierit, non alius nisi sola succedat Ecclesia.* Hoc iure Remigius Ecclesiæ Rhemensi reliquit res omnes, post Episcopatum quæsitas, de quo Hincmar. in eius vit. apud Sur. 13. Ian. Flodoard. hist. Rhem. lib. 1. cap. 18.

Sciendum vobis est, non ea nos ideo confirmasse, quoniam supremam eius sequimur voluntatem, sed quia ei hoc viuenti promisimus. Gregorius confirmauit testamentum Ioannis Episcopi Rauennatis, circa ea quæ ab ipso collata erant Monasterio à se condito, iuxta Ecclesiam sancti Apollinaris non secutus voluntatem defuncti, quasi legitimam, sed fidem promissionis, quam superstiti fecerat. Episcopus non potest donare Monasterio, pro constructione vltra quinquagesimam partem rerum Ecclesiæ, & vltrà centesimam pro honore sepulturæ can. bonæ rei 12. qu. 2. ex Concil. Tolet. 9. can. 5. Episcopus non potest donare in ædificationem Monasterij ἐπὶ καταλύσει τῆς ἐπισκοπῆς ἰδίας, *In euersionem propriæ Ecclesiæ.* Synod. Constant. 1. & 2. can. 7. & hoc verum est nisi ex dispensatione summi Pontificis, qui habet plenitudinem potestatis, in rebus ecclesiasticis. Canones modum imposuére donationibus, quæ ab Episcopo fierent Monasterijs, sed tamen Episcopus modum donationis excedere potest, dispensante Pontifice, vt hoc casu legitur dispensasse Pontificem, propter promissionem, quam Ioanni Episcopo fecerat dum viueret.

Vnde non immerito contigit, vt cuncta gentium regna præcelleret, quippè qui earumdem gentium Creatorem, & purè colit, & veraciter confitetur. Laudat Brunichidem Reginam Francorum, viduam Sigeberti Regis de educatione filij (is fuit Childebertus iunior) in fide Catholica, pro- Epist. 5.

pter quam ait præpollere Regibus gentium. Eodem nomine Gregorius extollit Regem Childebertum, & Regnum Francorum prox. epist. *Quanto cæteros homines* inquit *Regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna, regni vestri profecto culmen extollit. Esse autem Regem quia sunt & alij, non mirum est, sed esse Catholicum quod alij non merentur hoc satis est.* Idem epist. 58. infr. hoc libr. *Postquam Deus omnipotens regnum vestrum fidei rectitudine decorauit, & integritate Christianæ religionis inter gentes alias fecit esse conspicuum.* Inde Reges Francorum, Reges Christianissimi dicti. De Carolo Caluo testatur Adreualdus de mirac. S. Benedict. cap. 41. *Sicque in virum perfectum sese quotidie extendens, ita Christianissimi, in ditandis Sanctorum cœnobijs strenuè exercebat deuotionem.* Christianitatis titulum Brunichildi Reginæ tribuit Gregor. infr. hoc libr. epist. 59. *Excellentiæ vestræ Christianitas ita nobis olim innotuit.* Et infr. *& Patrimoniolum Ecclesiæ nostræ, quod illic constitutum est vestræ Christianitati commendantes petimus vt fruitionis vestræ gratiam in omnibus consequatur.* Antiquam fidem Galliarum laudat Ambros. epist. 32. ad Valentinianum iuniorem, de fide Nicena, *Hanc fidem Galliæ tenent hanc Hispaniæ, & cum pia diuini spiritus confessione custodiunt.* Galliam fontem veræ fidei vocauit Dux Andegauensis Gregorium 11. quo eum à proposito Auenione Romam discedendi amoueret affatus his verbis apud Io. Frossard. vol. 2. cap. 12. *Pere Sainct vous vous en allez en vn pays, & entre gens, où vous estes petitement aymé, & laissez la fontaine de foy, & le Royaume où l'Eglise à plus de foy & d'excellence qu'en tout le monde.*

Epist. 10 *Vestimenta pauperum, vel pueros Anglos.* Candido Rectori patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Gallia mandat vt è solidis quos acceperit, nimirum è reditu patrimonij ecclesiastici coëmat vestes pauperum, id est in vsum pauperum, vel pueros Anglos, qui cum Pagani essent, ab au-

nis decem & septem vel decem & octo annis, Monasterijs sunt dati, vt Deo proficiant, id est vt ibi in fide instruantur, *Quatenus solidi Gallicani, qui in terra nostra* inquit *in Italicis partibus expendi non possunt, loco suo vtiliter expendantur.* De quo Beda hist. Eccles. lib. 4. cap. 2.

Vt Gratianum Ecclesiæ Benafrenæ Diaconum, tuæ concedc- Epist 11
remus Ecclesiæ cardinandum. Gratianum Ecclesiæ Benafranæ Diaconum, quia nec Episcopum, nec propriam Ecclesiam habebat, hoste prohibente concessit Fortunato Episcopo Neapolitano, in eius Ecclesia cardinandum, & Diaconum ipsius Ecclesiæ constituit Cardinalem. Non modo Episcopi & Presbyteri, verum etiam Diaconi qui ob metum hostium, propriâ Ecclesiâ carebant, solebant incardinari in aliis Ecclesijs, vel constitui Diaconi Cardinales. Hinc sumptus est can. fraternitatem 71. dist. Idem lib. 3. infr. epist. 14.

Et neque Clericum tuum, neque Monachum, nec quamlibet ciuitatis aliam religiosam personam parrœciæ tuæ conueniri à quoquam, vel ad alterius volumus iudicium exhiberi. Clerici, & Monachi non conueniuntur apud alium, quam apud Episcopum, nisi Clericorum id est arbitrorum iudicium habere maluerint, nè Episcopus amittat iurisdictionem suam, cui non derogatur per arbitros, nec actor cogatur litigare apud suspectum iudicem, quia durum est coram suspecto iudice litigare, L. non distinguemus §. cum quidam de recept. arbitr. L. si pariter de liberal. caus. Clerici conueniendi sunt coram suo Episcopo, vt aut ipse cognoscat per se, aut iudices det, quod si ad arbitros eundum est, partes ad eligendos iudices, ab ipso executio deputata, id est executor datus compellat Greg. lib. 9. epist. 32. can. peruenit 11. qu. 1. Episcopus habet iurisdictionem ordinariam in Monachos & Clericos, sed si Episcopus dissimulauerit, id est moram fecerit in iure dicendo, eius iurisdictio deuoluitur ad Defensorem seu re-

ctorem patrimonij Ecclesiæ Romanæ, qui rem administrat in illis partibus. Et ita quod Pelagius in can. Probinum. & can. de præsentium 16. qu. 1. tribuit iurisdictionem Defensori etiam in Monachos, intelligendum est subsidiario, ob moram & defectum Episcopi, nè fraus fiat iurisdictioni Episcopi. Certè si Clericus vel laicus litem habuerit contra Episcopum, tunc Defensor se interponere debet, vt inter eos aut ipse cognoscat aut certè eo admonente iudices seu arbitros eligant ex Gregorio d. lib. 9. ep. 32. d. can. peruenit. de Defensorum officio plura infr. l. 7. epist. 17.

Epis. 12. *Montanum atque Thomam famulos sanctæ Romanæ Ecclesiæ, liberos ex hac die, ciuesque Romanos efficimus, omnéque vestrum vobis relaxamus seruitutis peculium.* Constitutione Iustiniani sublatâ latina libertate manumissi omnes ciuitatem Romanam adipiscuntur. L. vnic. C. de latin. liberr. tollend. Serui Ecclesiæ manumissi memorantur, concesso eis seruitutis peculio, id est peculio quod in seruitute habuerunt. Seruo inter viuos manumisso peculium tacitè concessum videtur, nisi ademptum sit, seruo testamento manumisso peculium non videtur concessum nisi speciater datum sit, L. vnic. C. de pecul. eius qui libert. mer. L. si sticho. ff. de pecul. L. pen. de manum. vindict.

Tibi autem Thomæ, quem pro libertatis tuæ cumulo etiam inter Notarios Ecclesiæ volumus militare. Notarij eligebantur è libertis Ecclesiæ, quasi pro cumulo, & auctiori beneficio libertatis vt ostenditur hic, vel è Clericis minorum ordinum can. Monachus 77. dist. vel è Subdiaconis qui adiectum habebant Notarij officium. Can. multorum 22. dist. qui desumptus est ex Gregor. lib. 3. ep. 34.

Iustitiæ ac rationis ordo suadet, vt qui sua à successoribus desiderat mandata seruari, decessoris sui procul dubio voluntatẽ, & statuta custodiat. Naturâ equum est vt qui sua à successoribus statuta seruari desiderat, decessoris sui statuta non

non temerè infringas. Reges tamen non tenentur pactis decessorum. Hinc Perseus Rex Macedonum conuentus à Legatis Romanorum, vt pacem cum patre ictam seruaret, respondit fœdus cum patre ictum ad se nihil pertinere, si nouum fœdus secum facere vellent, conuenire prius de de conditionibus deberent. Liu. lib. 42.

Qui reperientes Decium forensem Presbyterum, sibi eum consecrari multis precibus poposcerunt. Presbyteri vrbis quasi dignitate potiores, propter contubernium Episcopi distinguntur à Presbyteris forensibus, seu vicanis, qui non Presbyteri absolutè, sed Presbyteri forenses dicuntur vt hic. Græcis ἐπιχώριοι, quasi ἐν ταῖς χώραις in pagis vel vicis positi. Conc. Neocæsar. can. 13. Presbyteri ruris Dionysio exiguo can. vlt. 95. dist. Forastici Presbyteri. Martin. Bracharens. in collect. can. 56.

Sedis qui loca aliqua esse hæretica signo contra posito ostendit. Veterum ratio fuit locos librorum mendosos vel suspectos apposita nota signandi, Quintilian. instit. lib. 1. cap. 4. *Et mistum his omnibus iudicium est quo quidem ita seuerè sunt vsi veteres, vt non versus modo censoriâ quadam virgulâ notare &c.* In sacris libris & prophanis veteres notabant asteriscо seu stellulâ quæ deerant, obelo seu virga transuersa quæ addita erant. Hieronym. ad Augustin. *Et vbicumque virgulæ id est obeli sunt significatur quod septuaginta plus dixerint, quam habetur in Hebræo, vbicumque autem asteriscи, id est stellulæ prælucentes ex Theodotionis editione ab Origene additum est.* Idem iisdem penè verbis in præf. in libr. Paralipom. Epist. 14.

Romani autem Codices multo veriores sunt quam Græci, quia nostri sicut non acumina, ita nec impostoras habent. Hac epistola rogat Narsem Comitem, vt vetustos codices Ephesinæ Synodi perquirat, & ad se transmittat, neuè fidem habeat nouis Codicibus, quos à Græcis corruptos esse compertum est. Græci falsi artifices M. Tull. pro

Flacco. *Verumtamen hoc dico de toto genere Græcorum, tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam si qua sibi alia sumunt, non repugno, testimonium religionem, & fidem, numquam ista natio coluit, totiusque huiusce rei quæ sit vis quæ auctoritas, quod pondus ignorant, vnde illud est Da mihi testimonium mutuum.* Græci impostores, Hieronym. ad Marcellam *Si Tunica non canduerit, statim illud è Triuio Impostor & Græcus est.*

Epist. 15 *Maximè dum accusatores ipsius Marcianistarum, quam commemorabant hæresim, vnde eum reum moliebantur efficere, interrogati quæ esset, nescire se manifesta professione respondérunt.* Ioannes Chalcedonensis Presbyter damnatus hęresis Marcianistarum, in Synodo Romana absolutus est, postquam constitit, ipsius accusatores nescire, quæ nam esset hæresis Marcianistarum ex hac epist. & duab. prox. quę sunt eiusdem argumenti. Et in hac causa à Ioanne C.P. per Ioannem Presbyterum ad Sedem Apostolicam appellatum est, quod probauit Pontifex infr. h. libr. epist. 24.

Epist. 20 *Et quia in nouam Ecclesiam vadit, & suos illic proprios homines habere necesse est.* Ioannes Episcopus Syracusanus quendam proprium Presbyterum habuit, id est à se ordinatum qui tamen à Leone Episcopo Catinensi in propria Ecclesia est ordinatus, sed quia Ioannes recens ordinatus erat Syracusanus Episcopus, & par erat eum proprios homines habere id est Presbyteros à se ordinatos, in quibus fiduciam haberet, scribit Cypriano Diacono & Rectori patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia vt suadeat Leoni, vt præfatum Presbyterum cedat Ioanni. Proprius Presbyter vel proprius homo dicitur, Presbyter ordinatus à suo Episcopo, propter obedientiam, & reuerentiam quam in ipsa ordinatione promittit Episcopo Conc. Tolet. 11. can. 10. can. quamquam 23. dist. Alia si-

gnificatione proprius Sacerdos est Presbyter loci, in titulum ordinatus in Ecclesia, can.relatio 21. qu.1. qui desumptus est ex ipso Gregorio lib.2.ep.13.can. præcipimus ead.caus. quæst.2. cap. omnis vtriusque extr.de pœnit.

Basilicam cum baptisterio, Gregorius basilicam & bapti- *Epist.42.*
sterium in honorem Petri Principis Apostolorum, & Laurentij Martyris ædificari curauit, quam à Petro Episcopo consecrari iubet solemniter, adhibitis sanctuariis, id est reliquijs. Basilicam dixit Ecclesiam priusquam consecraretur. Basilica est Ecclesia nondum consecrata, ante consecrationem non dicitur Ecclesia, sed basilica. Gelasius in can.basilicas de consecr. dist.1. *Basilicas nouiter institutas, non positis ex more præceptionibus dedicare non audeant.* Annal. Fuldens. ad ann. 868. *In eadem nocte, quando basilica manè erat consecranda.* Gregor.infr.lib.7.ind.2.epist.11. *Basilicam proprijs sumptibus ædificare desiderat.* Inde Ecclesias seu latibula hæreticorum basilicas vocat Concil. Epaunens. can. 33. *Basilicas hæreticorum quas tanta execratione habemus exosas.* Basilicas hæreticorum dici maluit quam Ecclesias, quod consecrationis gratiâ carerent. Alias basilica pro maiori & augustiori Ecclesia. Gregor. Tur.libr. 5.cap.26. *Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus, vel iunioribus Ecclesiæ vel basilicæ bannos iussit exigi, pro eo quod in exercitum non ambulassent*, Idem eodem libr. cap.4. *Denique cum psallentes de Ecclesia egressi, ad sanctam basilicam properarent.* Idem de mirac. B.Martin. libr.2. cap.25. *Nam cum in venerabili Dominicæ Natiuitatis nocte sacrosanctis deductâ excubijs, procedentes de Ecclesia ad basilicam Sancti ire disponeremus.*

Spatam vero quam apud decessorem vestrum dilectissimus *Epist.24*
filius noster, Petrus Diaconus tunc illic Defensor reliquerat nobis per Secundinum seruum Dei, atque Castorium Notarium præsentium portitores transmittite. A Mariniano Episcopo Rauennæ repetit Spatam, quæ apud decessorem eius re-

licta erat à Petro Diacono tunc Defensore sacri patrimonij in illis partibus. De eadem spatha Gregor. infr. h. libr. epist. 33. *Spatham quæ illic dimissa est sicut iam pridem scripsimus tecum reuoca.* Fortè erat Spata dono destinata Exarcho, vel Imperatori C. P. Pontifex benedictionis causâ solebat mittere Spatham, vel hastam vel vexillum ad Principes. Ab Hierosolymitano Patriarchâ Carolus Magnus dono accepit vexillum & claues sepulchri Dominici & Caluariæ. Annal. Franc. ad ann. 801. *Eodem die Zacharias Presbyter, quem Rex Hierosolymas miserat, cum duobus Monachis quos Patriarcha cum eo ad Regem misit, Romam venit, ij benedictionis gratia claues sepulchri Dominici ac loci Caluariæ, cum vexillo detulerunt.*

Epist. 25 *Quod vero indicas Serenissimos Dominos, vt illic debeat esse cognitio præcepisse.* Maximus Episcopus Salonitanus, Romam vocatus à Pontifice, de simonia & alijs obiectis sese purgaturus, moras nectebat causatus iussum Imperatoris de cognitione habenda in partibus, sed Pontifex nihil motus his, à sacrorum celebratione eum suspendit dicens Imperatores disciplinam colere & causis Sacerdotalibus minimè sese immiscere.

Epis. 27 *Præsentibus vobis licentiam damus epistolis, Monachos de Monasterijs in tua paræciâ positis, cum consensu Abbatis sui tollere, & Presbyteros ordinare.* Monachi non sunt ordinandi ab Episcopo, sine consensu, & testimonio id est litteris Abbatis. Idem Gregor. infr. lib. 7. epist. 17. *Nullus ad ecclesiasticum officium ex Monasterio producatur, nisi quem Abbas loci admonitus, propria voluntate obtulerit Episcopo.* Inde sumptus est can. nullus 58. dist. Idem statuit Synod. Carth. 5. can. 13. can. si quis ead. dist. Syn. Agath. can. 27. can. Monachi 16. qu. 1.

Epis. 28 *Quia Monasteria quæ sub fraternitate tua sunt constituta, Clericorum importunitatibus, & diuersis eorum molestijs prægrauantur.* Est molestia, vel iniuria quæ grauior sit loco,

vel tempore. Gregor. infr. hoc libr. epist. 39. *Quid autem fraternitas vestra ex eius importunitate sit passura consideret.*

Romanum vero, atque Dominicum Clericos, qui de hac vrbe ausu temerario sine vestra præsumpserunt benedictione decedere &c. Adeuntes limina Apostolorum, non discedebant ab vrbe, sine benedictione apostolicâ Vvibert. vitæ Leonis 9. lib. 2. cap. 3. *Ecce adsunt legati nobilium Beneuentanæ Prouinciæ deferentes xenia apostolicæ congrua dignitati eius benedictionem, atque solatium suppliciter deposcentes promereri, quos Deo dignus Præsul, vt suam decebat beneficientiam suscepit, sacra benedictione roborauit*, & vitæ Thomæ Arch. Cantuariensis cap. 19. *Itaque per aliquot dies celebrato concilio, ad Archipræsulis nostri petitionem, nonnullis Ecclesiæ suæ priuilegijs renouatus vir apostolicus in osculo pacis dimisit eum cum benedictione sua & gratia.* Redeuntes è peregrinatione Hierosolymitana, palmam quod erat insigne adimpletæ peregrinationis reportabant. Vvillelm. Tyr. de bello sacro cap. 17. *His ita gestis dictus Comes cum Hierosolymis, quasi per quindecim dies fuisset, completis orationibus, & sumpta palmâ, quod est apud nos consumptæ peregrinationis signum, quasi omnino recessurus Neapolim adijt.* Inde peregrini Hierosolymitani Palmati dicti Abbas Vrspergens. *Nonnulli etiam Palmati de Hierosolyma redeuntes, Acris quæ & Accaron à nostris expugnatam nunciarunt.*

Secundino seruo Dei. Scribit Secundino Abbati, vt sol- *Epist. 29*
licitè curam adhibeat de pace fanciendâ cum Arnulfo Rege, is fuit Rex Longobardorum quem ante Ducem vocat. Secundini Monachi opera vsus est Pontifex in rebus publicis, hic est Secundinus de quo infr. libr. 7. epist. 53. & lib. 12. ep. 7.

Non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere. Marinianus ex Monacho electus Episcopus Rauennas, se totum dare volebat lectioni & orationi, vt in Monasterio factitare solebat, & nimis parcus erat in pauperes, de

quo valdè eum coarguit Pontifex, dicens nè credat Episcopus, satis sibi esse, lectioni & orationi vacare. Episcopi quidem munus est, lectioni & orationi, & prædicationis verbo vacare Conc. Carth. 4. can. 20. can. Episcopus 88. dist. sed non sufficit Episcopo lectioni & orationi, & verbo prædicationis vacare, ab eo quod est amplius desideratur, vt largam manum habeat, alienam inopiam suam credat, alioquin vacuum & inane nomen Episcopi tenet. Hinc sumptus est can. fraternitatem 86. dist. Laus Episcopi est curare pauperes Hieronym. ad Nepotian. *Gloria Episcopi est, pauperum opibus prouidere*, & infr. *sciat Episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum curæque præficiat.*

Sed tantum illa scripsi, quæ in causis terrenis Consiliarius dictare potuit. Dictare litteras dicitur, qui profert ea quæ scripta excipiuntur à Notario, seu scribâ, Hieron. in Esaiam lib. 13. in prolog. *Hanc præfatiunculam tumultuario sermone dictaui.* Idem in eund. libr. 5. c. 13. in prolog. *Dictamus hæc non scribimus, currente Notariorum manu.* Idem ad Pammach. *Accitoque Notario, raptim celeriterque dictaui.* Innoc. III. in Conc. general. cap. sententiam ne Cleric. vel Monach. *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat*, & infrà *Nec quisquam Clericus literas dictet, aut proferat pro vindicta sanguinis.* Eadem significatione preces id est libellum precum iurisperitus dictare dicitur Innocent. I. epist. 3. ad Exuper. Tolos. *Illud etiam sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum sit.* Can. illud 23. qu. 4. & dictare testamentum, qui ore proprio nuncupat hæredem & condit testamentum, quod dicitur nuncupatiuum l. dictantibus C. de testam. Inde Dictator qui profert literas vel alia quæ in scriptum rediguntur à Notario seu exceptore, Innocent. I. in d. cap. illud. *Et dum legum auctoritas in improbos exercetur erit dictator immunis.* Sangallens. de gest. Carol. M. libr. 1. cap. 4. *De pauperibus ergo supradictis quen-*

dam optimum dictatorem, & scriptorem in Capellam suam assumpsit. Vel iudex seu arbiter qui sententiam dictat, quę à scribis excipitur Roger. Honed. in Richard. 1. *Rex autem Franciæ duos elegit Dictatores, & Rex Angliæ similiter duos, quorum arbitrio, vel maioris partis, si alter Regum aduersus alterum, vel aliquis hominum suorum, inter se interciperet, emendatio hinc inde fieret, intra quadraginta dies.* Inde & dictatus est scriptura epistolæ vel alterius scripti quæ à Notario redigitur ex ore dictantis vt addit Gregor. hic. *Nam ego ad hominem non legentem, fatigari in dictatu non debui.* Et dictata sunt præcepta seu instituta Lanistarum quæ traduntur tyronibus Tranquill. in Iulio cap. 26. *Ipsique dictata exercentibus darent.* Tertull. ad Martyres. *Gladiatores perfectissimos, non tantum magistri, & Præpositi sui, sed etiam idiotæ, & superuacuè quique adhortantur de longinquo, vt sæpè de ipso populo dictata suggesta proficiant,* Hieronym. in Ezech. lib. 13. in proëm. *Facile est dare dictata de populo, & singulos ictus calumniari, & de alieno ridere sanguine, & vbi vulnus infligi debuerit, imperiti Lanistæ more differere.* Eodem sensu dictata gubernationis nauis. Idem ad Rustic. *Vt speculator doctus in summa mali arbore sedeat, & inde regendæ, & circumflectendæ nauis, dictata prædicet.*

Quidam maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium Notarium, ac responsalem nostrum, nocturno silentio in ciuitatis loco contestationem posuit, in eius crimine loquentem. Excommunicatur quidam, qui clanculum de nocte contestationem, id est libellum famosum deposuit, aduersus Castorium Notarium. Hinc sumptus est can. quidam. 1. qu. 1. Contestatio hic pro libello famoso. Contestatio propriè est protestatio, seu denunciatio, quam Latini testationem, quæ testato, id est coram testibus in scriptis fiebat L. si maior. C. de transact. L. metum. C. de his que vi metusu. caus. Epis. 30

Nec legum statuta subtili scientes, discretione pensare. Epis. 31

Gregorius anteà cauerat, nè liceret Iudæis, seruos Iudæos vendere, si Christiani fieri vellent, sed ex eo liberi fieri vellent. Iudæi voluntatem Pontificis, & legem sequiùs interpretantes, existimabant se lege non teneri in seruis Paganis, idcirco Pontifex statuit, *vt serui* Iudæorum, siue Iudæi, siue Pagani, si velint fieri Christiani, statim possint prouocare ad libertatem. Hinc sumptus est can. fraternitatem 54. dist. Imò Iudæi ægrè admisere leges Romanas de quo abundè rerum Aquitanicarum libr. 3. cap. 15.

Sub quolibet ingenio vel argumento. Nè serui Iudæorum siue Iudæi, sine Pagani, veneant à Domino, si desiderent fieri Christiani, sub quolibet ingenio vel argumento, id est ex qualibet causa vel obtentu vendendi. Ingenium est commentum vel artificium quodlibet Gregor. Tur. lib. *6.* cap. 22. *Proclamante Episcopo, & dicente quod sæpius hic ingenia quæreret, qualiter cum ab Episcopatu deïceret.* Gregor. noster lib. 10. epist. 28. *Nè filios suos quolibet ingenio, vel excusatione, foris alicubi in coniugio sociare præsumat.* Anast. in Leone IV. *Videntes itaque, quia in Anastasium Christi vnitas, almaque concordia, nullo flectebatur ingenio.* Argumentum est argutè inuentum cap. forus de verb. signific. idem Papias. Argutus est qui facilè inuenit argumentum, Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. *Interdum hoc & pontificum vitio accidit, qui non meliores, sed argutiores in clerum allegunt.*

Epist. 32 *Comperimus autem quod Samaræi, degentes Cathinæ pagana mancipia emerint, atque ea circumcidere ausu temerario præsumpserint*, Nè Samaræi seu Samaritani pagana mancipia emant, eaque circumcidant vetatur hic. Idem vetatur nè Samaræi Christiana mancipia emant, vel ex alia causâ puta donationis acquirant infr. libr. 7. epist. 22. quod sumptum est ex L. vlt. C. nè Christian. mancip.

Epist. 33 *Et veniant antè corpus sancti Apollinaris, & tacto eius sepulchro*

pulchro iurent. Vsum pallij Rauennatis Ecclesiæ vult probari iureiurando seniorum Clericorum Ecclesiæ, super reliquijs sancti Apollinaris Martyris. Super reliquijs Sanctorũ solemniter iuratum. Augustin. epist. 137. *Nam & nos nouimus Mediolani, apud memoriam Sanctorum vbi mirabiliter, & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, quia ad eum locum venerat, vt falsum iurando desiperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.* Greg. Tur. lib. 5. cap. 48. *Multis se nobis humilem subditumque reddebat, iurans sæpius super sepulchrum sancti Antistitis* (Martini) *numquam se contra rationis ordinem esse venturum.*

Pro remedio captiuorum, Transmittit pecuniam pro remedio, id est pro redemptione captiuorum, qui capti erant à Longobardis vt apertius exponitur illis verbis quę sequuntur, *Quos ad redemptionem suam sufficere non posse cognoueris*, Remedium pro solatio vel pretio redemptionis quod Græci λύτρον, vt passim in veterum testamentis pro remedio animæ id est pro solatio, & redemptione animæ, Gregorius infr. hoc libr. epist. 36. *Causæ remedium.* Quam sollicitus fuerit Pontifex noster pro redemtione Captiuorum, testatur varijs epistolis vt supr. lib. 3. epist. 17. ind. 12. & infr. lib. 6. ep. 15. & 17. *Epist. 34*

Alexandriæ relictæ quondam Vincomali. Alexandriam relictam seu viduam Vincomali Defensoris commendat viduæ sunt sub tuitione Ecclesiæ cap. ex parte dē foro compet. *Epist. 37.*

Vrbicus Abbas Monasterij sancti Hermæ quod Panormi situm est. Celeberrimum fuit Monasterium S. Hermæ vel Hermetis apud Panormum in Sicilia, quod eo tempore Vrbicum habuit Abbatem, cui scribit Gregor. infr. h. lib. epist. 49. *Vrbico Abbati Monasterij Hermetis quod in Panorma situm.* Hoc vnum fuisse è sex Monasterijs quæ à Gregorio, suis opibus condita sunt in Sicilia colligitur ex eo, *Epi. 41*

quod hic Vrbicum vocat Monasterij sui Præpositum libr. 4. epist. 4. ad Victorem Episcopum Panormitanum. Eidem scribit libr. 9. epist. 42. & 43. ind. 4. eiusdem meminit libr. 11. ep. 14. ind. 6.

Postulauit in eodem Monasterio Presbyterum, qui sacra Missarum solemnia celebrare debeat ordinari. Præcipit Victori Episcopo Panormitano, postulante Vrbico Abbate, vt vnum è Monasterio S. Hermetis apud Panormum Presbyter ordinetur, qui in eo Monasterio sacra Missarum solemnia celebret. Primis seculis Monachi fuére extra Clerum, primus Syricius permisit eos in Clericos ordinari canon. Monachos 16. quæst. 1. In singulis Monasterijs, vnus ferè erat tantum Presbyter qui sacra Missarum solemnia celebraret, qui ordinabatur postulante Abbate, nec sine testimonio Abbatis can. Monachi ead. caus. & quæst.

Ad peragendum sacrum opus. Postulante Vrbico Abbate præcipit vt vnus è Monachis Presbyter ordinetur ad peragendum sacrum opus, id est sacrificium Missæ, nè extraneo vti cogatur. Eadem analogiâ passim in Reg. Benedict. cap. 19. 22. 43. 44. 47. 50. 52. 58. Sacrum opus est Officium Diuinum, seu decursus horarum canonicarum. Vt infr. lib. 8. epist. 34. *Requirendum quoque est, si in opere Dei studium habuit vel psalmos nouit.* Id est an sit peritus in officio diuino, & an psalmos memoriter teneat.

Epist. 42 *Venantio Patritio, ex Monarcho.* Lege ex Monacho. Venantius hic Patricius fuit Monachus, sed in proposito defecit, habitu monastico abiecto, de quo eum increpat Gregorius lib. 1. ep. 23. vbi dixi.

Admonentes vt & oblationes vestras sicut ante susciperet & Missas in domo vestrâ, non solum celebrari permitteret, sed si velitis etiam ipse perageret, Mota discordiâ inter Venantium Patricium & Præfectum Siciliæ & Ioannem Episcopum Syracusanum, quæ eo eruperat, vt eius homines, id est

stipatores armati in Episcopum irruerent, Gregorius pacis inter Episcopum, & Præfectum fouendæ causâ, scripsit ad Ioannem, quæ est prox.epist. vt oblationes Præfecti, sicut ante susciperet & missas in eius domo, non modo celebrari permitteret, sed si vellet Præfectus etiam ipse perageret, de quo certum facit Venantium hac epist. Notandum est quod scriptum de suscipiendis oblationibus. Nimirum fideles, maximè Principes & Præfecti Prouinciarum non accedebant ad altare, absque oblatione. De Valente narrat Theodorit.lib. 4. cap. 17. quod ad Ecclesiam accessit, Basilium docentem audiuit, & dona ex more obtulit, ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ τὰ ἐιωθότα προσένεγκε δῶρα. Et Gregorius Nazianz. orat 20. narrat de eodem, quod vertigine correptus sit, dum in die Epiphaniæ coram Basilio, de more sacræ mensæ dona oblaturus esset ἐπὶ δὲ τὰ δῶρα τῆ θείᾳ τραπέζῃ προσενέγκειν ἔδει. De Constantino Anast. in Vitalian. *Et ipsa die ambulauit Imperator ad sanctum Petrum, ad orationem & donum ibi obtulit die Sabbathi ad sanctam Mariam itemque donum obtulit.* Idcirco Gregorius præcepit Episcopo, nè oblationes quas à Venantio accedente ad altare solebat susciperе de more, respueret occasione iniuriæ acceptæ ab hominibus Venantij, imò & vt in eius ædibus Missas celebrari permitteret, & ipse perageret si vellet Præfectus. In ædibus Principum & Præfectorum erant priuata oratoria, in quibus Missarum solemnia celebrari solebant. De his Nou. Iustin. 58. & 131.cap.8.

Oportet namque filijs Sacerdotalem nos amorem impendere Epis.43
& in causis prout ratio suffragantur, iurisdictionem Ecclesiæ vestræ minimè præterire. Episcopus non debet iurisdictionem suam præterire, id est indefensam relinquere, quilibet iudex potest, & debet defendere iurisdictionem suam, pœnali iudicio. L. 1. ff. si quis ius dicent. L. 2. si quis in ius voc. non ierit.cap.non solum de appellat. in 6.

Eadem significatione verbo præterire vsus est infr. libr. 7. ind. 2. epist. 36. *Et manumittentis voluntas nihilominus conseruata, aliqua præteriri excusatione non valeat.*

Epis. 44 *Massam Magulianensem cum appendicijs suis.* Appendicia sunt quæ prædio adiecta sunt, vnà coluntur, & destinatione patrisfamilias, vnum fundum constituunt, quia destinatione patrisfamilias fundus constituitur L. quod in rerum naturâ. ff. de legat. 1.

Tabernam in hac vrbe quæ est posita iuxta Palacenas, & Salgamum positum, ante domum suprascripti Monasterij. Eadem verba repetuntur infr. libr. 7. epist. 42. Salgami appellatione propriè significantur herbæ, sale & aceto conditæ, quæ ad esum seruantur. De quibus Columell. de re rustic. lib. 10.

Tempore non alio vili quoque salgama merce
Capparis, & tristes inulæ, ferulæque minaces
Plantantur.

Et hoc est quod hospitibus, id est militibus à Prouincialibus præstari vetat L. vnic. C. de salgam. hospitib. non præstand. Salgamum vero hic dictitari videtur, taberna, vel forum vbi Salgamum venit. Palacenas est locus in vrbe, vbi fuit Monasterium B. Laurentij martyris. Anastas. in Gregorio 4. *Fecit etiam in Monasterio Beatissimi Martyris Christi, quod dicitur Palacinis, canistra de argento sex.* Idem in Marco. *Hic fecit duas basilicas vnam via Ardeatina vbi requiescit, & aliam in vrbe Româ iuxta Pallacinis.*

Epis. 46 *Dum etiam in eodem præcepto, inter alia mandatum sit vt locum ipsum absque missis publicis dedicares, vt ad nos peruenit cathedra positâ illic publicè Missarum solennia celebrantur.* Gregor. succenset Felici Episcopo Pisaurienſi, quod spreto mandato Pelagij decessoris sui proximi Monasterium à Ioanne constructum dedicauerit, cum missis publicis, & quod cathedrâ positâ illic Missarum solennia celebrantur. Monasterium dedicari absque Missis publicis

iussum erat. Missæ publicæ ab Episcopo in dedicatione Monasterij, celebrari vetantur, nè in seruorum Dei recessu, popularis conuentus occasio præbeatur, can. Luminoso 18.qu.2. qui desumptus est ex epist. 43. supr. libr. 4. Item vetatur nè cathedra positâ, per Episcopum illic publicè Missarum solennia celebrentur. Episcopo non licet collocare cathedram in Monasterio, nè iniuria fiat libertati, & exemptioni Monasterij cathedra positâ, quę est insigne & argumentum iurisdictionis Episcopalis d. can. Luminoso.

Quia igitur Agatho in Monasterio dilectionis tuæ conuerti desiderat. Epist.49 Mandat Vrbico Abbati M. sancti Hermetis, vt Agathonem suscipiat in fratrem & Monachum in Monasterio suo. Hic Agatho ex Monacho electus est Presbyter Cardinalis, postea Roman. Pontifex. can. Agatho 63. dist. & apud Anast. & Platin. in eius vit.

Palladio Episcopo de Santonis. Epist.50. Mittit Palladio Episcopo Santonensi, reliquias Apostolorum Petri & Pauli, & Laurentij, simul Protasij Martyrum. Ea ætate in Gallia, vitæ sanctitate claruit Palladius Santonensis Episcopus de quo Gregor. Turon. hist. libr. 8. cap. 43. Idem de glor. Martyr. lib. 1. cap. 56. Fortunat. lib. 1. cap. 3.

Et Sanctorum beneficia cum reuerentia & debito honore condantur. Epist.51. Brunchildi Reginæ Francorum transmittit reliquias Apostolorum Petri & Pauli, quæ quia in maximo beneficio habebantur vocat hic beneficia Sanctorum, & rursus infrà, *Et iniuriam quod absit, neglectumque beneficia Sanctorum collata sustineant.* Pignora Sanctorum easdem vocant æui scriptores Adreualdus de mirac. S. Benedict. lib. 1. cap. 20. *Cum pignoribus Sanctorum, omnigena supplicantes prece, nè tantum incurrat piaculum.* Aimoin. Floriac. de mirac. eiusdem lib. 2. cap. 19. *Cum senioribus habito consilio deliberauit, vt sumptis Sanctorum pignoribus imminente vindemia ad locum, cum aliquibus è*

fratribus fructus eorum collecturus properaret.

Epist.53. *Nam valdè est execrabile, vt quod à Regibus gentium sertium seruatum est, ab Episcopis dicatur ablatum.* Virgilio Episcopo Arelatensi scribit, vt pensiones patrimonij Ecclesiæ Romanæ quod erat in illis partibus à decessore suo collectas restituat, nè patrimonium Ecclesiæ Romanæ, quod saluum & incolume fuit penes Reges gentium, id est Reges Gothorum, qui Galliam Narbonensem, & Aquitaniam occuparunt, ab Episcopis direptum dicatur. Eadem de re scripta est epist.55. infr.h. libr. ad Protasium Episcopum Aquensem.

Epist.55 *Qui in Ecclesia ipsa tempore illo, curam Vice domini gerebatis.* Scribit Protasio Episcopo Aquensi, vt moneat Virgilium Arelatensem Episcopum, de restituendis pensionibus patrimonij Ecclesiæ Romanæ à decessore eius collectis, quod ei notum erat, quia ea tempestate curam Ecclesiæ Arelatensis vice domini gerebat, id est fuit Vice-dominus & Vicarius Episcopi in temporalibus, officium enim Vice-domini versatur in curâ temporalium Gregor. infr. lib.9. epist. *66. Volumus vt frater noster Paschasius, & Vice dominum sibi ordinet & maiorem domus.* Inde sumptus est can. volumus 79.dist.

Epist.56 *Cocleares vero & circulos quos direxisti suscepimus.* Gratias agit Stephano Abbati de Cocleáribus & circulis dono missis in vsum pauperum. Coclheares sunt instrumenta quibus in vescendo pultis sumendæ causa vtimur. Circuli sunt scutellæ à forma rotunda in quibus pultes apponuntur. In his annonæ erogabantur Clericis Anast. in Bonifacio II. *Hic Presbyteris & Diaconibus, & Subdiaconibus atque Notarijs scutellam de adeptis hæreditatibus obtulit, & alimonijs multis in periculo famis Clero subuenit.*

Epist.58 *Peruenit ad nos Anglorum gentem, ad fidem Christianam Deo miserante desideranter velle conuerti, sed Sacerdotes tuos è vicino negligere.* Theodorico & Theodeberto Regibus

Francorum commendat Augustinum Episcopum quem cum aliis seruis Dei dirigebat in Angliam, ad gentis conuersionem, & Episcopos Galliarum, qui erant è vicino, perstringit quod insuper haberent conuersionem Anglorum, eiusdem culpæ Britannos seu Britones conscios fuisse credendum est qui ab Anglis Britanniâ ferè tota pulsi, in angulum Britanniæ, id est in Vvalliam redacti, exinde ita odio exarsere in Anglos, vt nè quidem postea Christianis factis communicarent, Beda libr. 2. c. 20. de Carduella Rege Britonum. *Sed nec Religioni Christianæ quæ apud eos (loquitur de Anglis) exorta erat, aliquid impendebat honoris, quippe cum vsque hodie moris sit Britonum, fidem religionemque Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo magis eis communicare quam Paganis.* Gregorius ineunte quarto Pontificatus sui anno, Augustinum cum alijs seruis Dei id est Monachis misit in Angliam ad conuersionem gentis, fœlici successu de quo Io. Diac. libr. 2. cap. 33. Beda histor. lib. 1. cap. 23. Hac occasione Augustinum per Galliam pergentem in Angliam commendauit, Theodorico & Theodeberto Regibus, nec non Brunichildi Reginæ ad quam scripta est prox. epist. in qua ijsdem fere verbis notat Episcopos Galliæ de inertia in conuersione Anglorum.

Excellentiæ vestræ Christianitas, ita nobis veraciter olim innotuit. Epis. 59 Brunichildi Reginæ Francorum tribuit titulum Christianitatis vt & infr, & patrimoniolum Ecclesiæ nostræ, quod illic constitutum est, vestræ Christianitati commendantes. Christianitas est professio seu institutum vitæ Christianæ, Auctor quæst. vtriusq. testam. cap. 114. *Si mundus ante Deum est quod absit, sic potuit & paganitas anteponi Christianitati, nemo miretur de nomine Christianitatis, est enim incolere vnum Deum in mysterio Trinitatis.* Inde bannus Christianitatis in c. 2. de purgat. canonic. pro excommunicatione, & interdictum Christianitatis. Matth.

Paris ad ann. 1164. *Si quis inuentus fuerit ferens litteras Domini Papæ, vel mandatum, aut Thomæ Archiepiscopi continens interdictum Christianitatis in Anglia.*

Epist.60 *Omnibus liquet quia Beatus Euangelista Marcus sancto Petro Apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus.* Marcus à Petro in Ægyptum missus Ecclesiam Alexandrinam fundauit Epiphan. hæres.51.art.6.

Nos vero quia videlicet peccatores sumus, ab Occidenti vobis ligna transmisimus, quæ construendis apta nauibus, Gregorius ab Eulogio Alexandrino Episcopo accepit muneris causa ligna beneolentia vt ait ante, id est ligna Arabica, & vicissim ei transmisit ligna idonea ad construendas naues. Muneris gratiam iuuat quod Ægyptus est expers ligni idonei ad ædificandas naues nec alio vtitur quam papyro, quæ est arbos palustris & fragilis, è quâ conduntur naues Ægyptiæ, vnde papyraceæ dicuntur de quibus Plin. libr. 5. cap.22. libr. 13. cap. 11. de his Esaiæ 8. *Et in vasis papyri super aquas.* Ob id Concilio Lateranensi excommunicatione damnati qui deferrent ad Sarracenos Ægypti accolas arma ferrum,& lignamina galearũ cap.ad liberandum extr.de Iudæis & Sarracen. quod comprobauit Gregorius 9. epistol. quæ extat apud Matth. Paris ad ann.1234. *Renouamus præterea, excommunicationis sententiam in Laterano Concilio promulgatam, aduersus eos qui Sarracenis arma ferrum, & lignamina deferunt Galearum.* Gregorium solitum fuisse Eulogio ligna transmittere ad parandas naues indicat & epist.36. lib.6. & ep.78.lib.7.

AD

AD LIBRVM SEXTVM.

FILIVS noster Gennadius Patricius, suum ad nos pro causa eadem Cancellarium destinauit. Gennadius Patricius fuit Præfectus Africæ vt ostenditur hic & prox. epist. & supr. lib. 5. ep. 61. Epist. 2.

Ruferius si quidem Comes cum alijs conciuibus suis. Ea ætate Comites fuérunt Præfecti singularum ciuitatum, Duces vniuersæ Prouinciæ. Gregor. infr. libr. 11. epist. 31. ind. 6. *Et si quid manifestè, de ipsis solidis cognoueris remansisse, Comitatio Comiti prædictæ ciuitatis, sub desuscepti illud pagina contradat.* Gregor. Turon. lib. 6. cap. 22. *Igitur peruasis Chilpericus Rex ciuitatibus fratris sui, nouos Comites ordinat.* Idem cap. 41. eiusd. libr. *Misitque ad Duces & Comites ciuitatum nuntios, vt muros componerent vrbium.* Comites ijdem erant Rectores, & iudices ciuitatum. Idem Turon. libr. 8. cap. 18. *Gundoualdus autem Comitatum Meldensem super Vverpinum competijt, ingressusque vrbem causarum actionem agere cæpit.* Idem de vit. Patr. cap. 8. *Nam vidi ego quodam tempore Basilium Presbyterum missum ab eo, ad Armentarium Comitem, qui Lugdunensem vrbem his diebus potestate iudiciaria gubernabat.*

Atque de hoc eodem lapide protinus subditur, hæc dies quam fecit Dominus. Arguit Clerum, & plebem C.P. quod in electione Cyriaci Patriarchæ acclamassent hæc dies quam fecit Dominus, quæ non alia est quam dies solennis Verbi Incarnati. In electione & ordinatione Episco-

porum plebs acclamare solebat. In ordinatione Euodij quem Augustinus sibi successorem designauit acclamatum est à plebe *Dignus & iustus est Deo gratias Christo laudes exaudi Christe Augustino vita.* Vt patet ex actis ordinationis quæ sunt apud Augustin. epist. 110. Sergio Papæ electo adclamatum Anastas. in eius vit. *Et exinde in Lateranense Episcopium cum laudum acclamationibus deduxerunt.*

Epist. 9. *Et nullius persona vos à vigore disciplinæ emolliat.* Vigor disciplinę non est remittendus propter personas. Eadē est sententia Gregorij lib. 7. ind. 2. epist. 79. *Et vigoris ecclesiastici genium vt oportet congrua dispensatione seruatis.* Eadem voce familiariter vtitur Gregor. vt infrà eod. libr. ep. 112. pro genio & honore Ecclesiæ. Idem epist. 36. ind. 2. eiusd. libr. *Nec disciplinæ vigor, aut frangi, aut ex indiscreta valeat præsumptione dissolui.* Genius & vigor ecclesiasticæ disciplinę est idem quod neruus ecclesiasticæ disciplinæ cap. cum inter. de consuetud.

Epis. 11 *A vobis inquisitus, vtrum sicut decet Clericum, literas didicisset, eas se ignorare respondit.* Episcopo commendat Clericum litteras nescientem, id est qui nesciebat legere, vt ostenditur his verbis *Vt qui nescit legere, lingua vestra illi sit codex.* Nimirum eum commendat vt verbo instruatur, & lingua Episcopi sit ei pro codice cuius compos non erat.

Epis. 12 *Proinde Monasterio quod in honorem sancti Cassiani est consecratum.* Postulantibus Dinamio, & Aureliano Patricijs concedit priuilegia Monasterio Virginum apud Massyliam, in honorem S. Cassiani consecrato. Cassianus regulam dedit, quam Monasterio à se condito in Lemouicum finibus imposuit B. Aredius Abbas. Gregor. Turon. lib. 10. cap. 28. *Cœnobium que fundauit in quo, non modo Cassiani, verum etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituérunt, celebrantur regulæ.* Regulæ Cassiani nomine, intelliguntur libri decem & duo in-

stitutionum quos scripsit suasu Castoris Episcopi cui eos dicauit, vt his vice regulæ informarentur Monasteria Galliæ, idem duo apud Massyliam condidit Monasteria, vnum virorum, alterum mulierum quæ suâ ætate extitisse scribit Gennad. de viris illustrib. cap. 71.

Die siquidem Natalis, vel dedicationis supradicti Monasterij Episcopo illic Missarum sacra conueniat solennia celebrare. Vnum è priuilegijs Monasterij prædicti fuit, vt die dedicationis, vel natalis, id est natalis Martyrum, quorum reliquiæ in eodem Monasterio collocatæ sunt, Episcopus illic Missarum solennia celebret, ita vt ibi cathedram non collocet, nisi dum Missarum solennia celebret, quo recedente Cathedra tollatur. Die dedicationis oratorij Monasterij vel natalis Martyrum, quorum ibi reliquiæ erant, Episcopus ibi solebat Missarum solennia celebrare, & eo nomine ferebat partem oblationum. Can. Eleutherius 18. qu. 2.

Nouit dilectio tua hanc olim consuetudinem tenuisse, vt fratres & Coëpiscopi nostri Romam semel in triennio de Siciliâ conuenirent. Moris antiqui erat vt Episcopi Siculi, semel quoque triennio Sedem Apostolicam visitarent, obsequij & reuerentiæ gratiâ, sed quia hoc visum est nimis onerosum, vt parceretur labori & sumptui eorum, à Gregorio statutum est vt semel in quinquennio Romam conuenirent. Et quia iam à multis annis Romam non venerant præcepit Cypriano Diacono Defensori patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia, vt eis diem indiceret Romam conueniendi, ad Natalem S. Petri. Ac nè fortè Prætori Siciliæ, cui nomen erat Libertinus vt subiungitur infr. in hac epist. & supr. lib. 2. ind. 11. epist. 37. Nè fortè Prætori inquam aliqua nasceretur suspicio de vocatione Episcoporum, iubet vt ex se, id est suo nomine eos euocet, nè qua Prætori inde detur occasio suspicionis. Moris etiam fuit vt Episcopi post consecrationem obsequij & reue- *Epist. 19*

rentiæ causâ adirent limina Apostolorum, sed id moris desijt paulatim Regum suspicionibus, qui non ferebant Episcopos, Regni sui finibus migrare, sine ipsorum licentia, nè quid obtentu Romanæ profectionis noui molirentur. Huiusce itineris diutinam moram tulit Anselmam Cantuariensis Episcopus, ob Vvillelmi 2. Regis Anglorum interdictum. De quo Vvillelm. Malmesbur. de gest. Pontific. Anglor. lib. 1. *Hæc* inquit *communicaturus cum Papa, rogauit licentiam pergendi Romam bis terque frustra. Intelligo enim atebat Rex interdicendam licentiam, cum eum nullo graui peccato sciam onerari, cuius à Roma petat absolutionem.* Et infr. *Insolitum est quippe mihi, vt quisquam procerum meorum eat Romam, nisi meo potissimum missu.* Idcircò de mora Romam proficiscendi se excusat Anselm. lib. 3. epist. 14. ad Hugonem Lugd. Arch. *Si Metropolitanus sacratus Episcopus, per totum primum annum, nec Papam viuentem nec pallium requiro, iustè ab ipso honore remouendus sum.* Idem eadem de re eod. libr. epist. 37. ad Vrbanum 2. Pontificem. *Nostri quippe fateor ordinis & officij intererat, & præsentiam vestram ex more visitare, & eam vt fieri decet, condigna reuerentia honorare, sed quia bellis vndique quatimur, hostiles impetus indesinenter & insidias aduersantium metuimus, Dominus noster Rex extra regnum me procedere hactenus non permisit, nec adhuc procedere posse vllatenus assentit.* Idcircò Gregor. 7. libr. 6. epist. 30. & lib. 9. epist. 20. Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum coarguit, quod à tempore ordinationis Sedem Apostolicam sæpius monitus non visitauerit, & si non adsit intra quatuor mensium inducias ab omni Episcopali officio eum suspendit. Idem lib. 7. ep. 1. queritur de Rege Anglorum quod Episcopos ditionis suæ, prohiberet à salutandis liminibus Apostolorum. Eodem iure vsi sunt Reges Anglici in Episcopos Normaniæ. Pro Gaufrido Rothomagensi Episcopo veniam moræ apud Paschalem 2.

deprecatur ob regiam vim Iuo Carnotens. epist. 254. *Rogamus enim paternam discretionem vestram pro Domno Gaufrido Rotomagensi Archiepiscopo, qui tunc tandem impetrauit à principe suo Rege Anglorum, vt posset in propria persona Sedem Apostolicam visitare, quam tamen non distulit visitare suis temporibus in persona alienâ.* Inter Capitula damnata quæ ab Henrico 2. Rege Anglorum indicta sunt Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, vnum fuit nè liceret Episcopis è regno exire, & Romam proficiscimandato Pontificis, sine licentia Regis vt legitur in actis vitæ ipsius Thomæ lib.1.cap.26. Io. Saresber epist. 159. Matth. Paris ad ann.1164. Moris fuit vt Episcopi Siculi semel per triennium, Sedem Apostolicam visitarent vel per quinquennium ex constitutione Gregorij. Episcopi vero qui Sedis Apostolicæ ordinationi subiacent, id est immediatè subsunt Romano Pontifici quos Rufinus vocat Suburbicarios, singulis annis circa idus Maias Apostolorum limina adire tenebantur can. iuxta.93.dist.

Decreta legalia, desponsatam si conuerti voluerit, nullo omnino censuérunt damno multari. Constitutione Iustiniani, si sponsa conuerti voluerit, id est conuersionis causâ ingredi Monasterium, impunè id potest, id est restituit arras sponsalitias, quas accepit, nec tenetur in duplum, quod si nupta nondum secutâ copulâ voluerit ingredi Monasterium, vnusquisque coniugum recipit res pro dote vel antenuptias donatione traditas, & hoc tantum lucratur, quod debuit consequi, à lege vel ex pacto, vel in casum mortis, L. Deo nobis. C. de Episc. & Cleric.

Peto autem vt paruulos Dominos, quos nutritis, præcipuè moribus instruere curetis, & glorioſos Eunuchos qui eis deputati sunt admonete, vt ea illis loqui debeant, quæ eorum mentes in charitate circa se inuicem & erga subiectos in mansuetudine compungant. Epiſ. 23 Theotisto Patricio & Andreæ commendat rectam educationem liberorum Mauritij Augu-

sti, & vt moneant Eunuchos de fouenda caritate inter eos, & in subditos. Pueris Regijs vel nobilioribus præponebantur Eunuchi, ob tutiorem custodiam castitatis. Eodem animo Eunuchi adhibebantur ministerio mulierum. Hieronym. ad Demetriad. *Eunuchorum quoque tibi & puellarum, ac seruulorum mores magis eligantur quam vultuum elegantia, quia in omni sexu & ætate, & truncatorum corporum violenta pudicitia, animi considerandi sunt qui amputari, nisi Christi timore non possunt.* Idem ad Lætam *Nè virgo Christi cum Eunuchis lauet, quia non deponunt animos virorum.* Eunuchi quoque visi sunt in obsequio Ascetriarum Virginum, inter cætera cum obiectum esset Abbatissæ Monasterij sanctæ Crucis Pictauiensis eam in ministerio habere virum qui mulieri veste amictus pro fœmina habebatur, re comprobatum est eum esse puerum eunuchum, qui ob infirmitatem exectus erat, de quo Gregor. Turon. lib.10. cap.15. Eunuchi quoque erant inter Palatina officia. Corrippus de Laud.Iustin.lib.3.

Adfuit obsequio castorum turba virorum
Illis summa fides, & plena licentia sacris
Deseruire locis, atque aurea fulcra parare
Regales mensas epulis onerare superbis
Conseruare domum, sanctumque intrare cubile
Internas munire fores, vestesque parare.

Theodorit.de vit. Patr.cap.8. de Eunuchis quibus adempta est spes liberorum ᾧ τούτου ἕνεκα εὖνοι εἶναι Βασιλεῖ νομιζόμενοι καὶ τὴν προτηγορίαν ἐντεῦθεν καρπούμενοι, *Eoque beneuoli Imperatori esse creduntur, indeque nomen accipiunt.* Euagrius lib.4. cap.21. ἐξ αὐτῶν γὰρ τὰ πολλὰ, οἱ τοῖς Βασιλικοῖς ἐξυπηρετούμενοι κοιτῶσι καθεστήκεσαν, ὃς ἐυνέχους ἡ συνήθεια καλεῖ. *Nam qui cubiculis Imperatoris inseruiebant quos vulgò vocant Eunuchos ex ea gente* (Abasgorum) *sumi consueuerunt.*

Ancillis Dei, quas vos, Græca lingua Monastrias dicitis, Lectisternia emere disposui. De triginta libris auri transmissis à

Theoctisto Patricio, quindecim libras distribuit in redemptionem captiuorum, quindecim libras in lectisternia sacrarum Virginum. Lectisternia sunt coopertoria quę lectis insternuntur Gregor. lib.11. ep.18. *Porcos decem, lectisternia.* Idem lib.12. epist. 16. *Cognouimus lectos, vel lectisternia in Gerontocomio deësse.* His vsi sunt & Monachi Benedict. regul. cap.22. *Lectisternia pro modo conuersationis, secundum dispositionem Abbatis sui accipiant.* Alibi lectisternia sunt lecti strati parati ad discumbendum. Sidon.lib.4. epist. 15. *Epulum multiplex & capacissima lectisternia para.* Lectos stratos simpliciter dixit Gregor. libr. 10. ind.5.ep. 12. pro lectulis instructis coopertorijs.

Octoginta annuas libras accipiunt. Tribus millibus ancillis Dei, quæ erant in vrbe octoginta libras annuatim dedit è censu B. Petri. Harum precibus vrbem, inter Longobardorum arma, tot annis saluam & incolumen stare credidit, vt mox subiungit, *Harum vero vita talis est atque in tantum lachrymis, & abstinentia districta vt credamus, quia si ipsæ non essent, nullus nostrum iam per tot annos in loco hoc subsistere, inter Longobardorum gladios potuisset.* Io.Diacon. lib.2. cap.27. Romani Pontifices Monasterijs pariter ac Clero annonas erogabant. Anast. in Conone, *Hic dimisit annuè Clero, & Monasterijs benedictionem in auro, sicut prædecessor eius Benedictus Papa.* Idem in Ioanne 5. *Hic dimisit omni Clero Monasterijs, Diaconibus & Mansionarijs solidos mille & nongentos.*

In hac vrbe, vbi omnia graui pretio emuntur. Tribus millibus ancillis Dei pro stipendijs annuis octoginta libras auri distribuit, sed quam impar summa tantæ multitudini, *Maximè* inquit in vrbe *vbi omnia carius veneunt.* Pretia variant pro diuersitate locorum & temporum L. pretia §.vlt.ff. ad l. falcid. Plin.lib.33. cap. 13. *Pretia rerum quæ vsquam posuimus, non ignoramus alia in alijs locis esse, & omnibus penè annis mutari, pro vt nauigationes constite-*

rint, aut vt quisque mercatus sit aut aliquis prævalens manceps annonam flagellet.

Epist. 24 *Et quidem in suscipienda fratris & Consacerdotis nostri Cyriaci Synodica epistola, dignum non fuit, vt pro causa prophani vocabuli moras facerem.* Cyriaci P.C. synodicam epistolam non respuit ob prophanam vocem id est quod vniuersalem Episcopum se dictitaret. Inde infr. epist. 28. h. libr. Eundem rogat vt scandali tollendi causa, verbum superbiæ, id est titulum Oecumenici Patriarchæ expungere festinet. Et rursum epist. 30. infr. h. libr. ait se eundem monuisse, vt à stulti vocabuli appellatione abstineret.

Epist. 26 *Cur enim magnificè fili non consideras, quia mundus in fine est.* Tot malis & cladibus increbrescentibus finem mundi imminere credidit Gregorius, de quo & ipse homil. 1. in euangel. quam ferè exscripsit Ioan. Diacon. lib. 4. cap. 63. & idem infr. lib. 9. epist. 60. *Appropinquante autem eodem mundi termino.*

Hoc ipsum vero esse in obsequio pijssimi Principis quanta est mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ. Hac de causâ vitam aulicorum deplorat Augustin. confess. lib. 8. cap. 6. *Quid quærimus cuius rei causâ militamus, maior nè esse poterit spes nostra in Palatio, quam vt amici Imperatoris simus, & ibi quid non fragile plenumque periculis, & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum.*

Benè scit dulcissima vestra magnitudo, quia hodie in Constantinopolitana ciuitate, qui de Latino in Græcum dictata bene trãsferant non sunt. Ea ætate non erant Constantinopoli, qui Latina in Græcum rectè transferrent. Tamen linguæ Latinæ scholam Constantinopoli fuisse tradit Agathias libr. 5.

Duas autem Camisias, & quatuor oraria, vobis transmisi. Camisia est linea interula, quæ corpori adhæret. Vulgo *Chemise*, his vsi viri militares vt expeditiores essent ad iter, & ad pugnam Hieronym. ad Fabiolam de veste Sacerdotali.

tali. *Solent militantes, habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris, & astrictas corporibus, vt expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia, dirigere iacula, tenere clypeum, ensem librare, & quocumque necessitas traxerit.* His vsi Franci Eginart. in Carolo M. *Vestitu patrio, hoc est Francico vtebatur, ad corpus camisiam lineam, & feminalibus lineis induebatur.* Eisdem vsi Vascones in vit. Ludouici P. *Cui filius Ludouicus, pro sapere & posse obedienter parens, occurrit habitu Vasconum, cum coæuis sibi pueris indutus, amiculo scilicet rotundo manicis camisiæ diffusis.* Camisiarum vsu, Monachis Benedictinis interdictum. Innoc. III. in cap. cum ad Monasterium de stat. Monach. *Firmiter inhibuimus, nè quis de cætero Monachorum lineis Camisijs vteretur.* Orarium variè accipitur, sæpius pro sudario, quo os subtergitur, vel quod collo circumponitur. Ambros. de excess. Satyr. *Satyrus in naufragio ab his quos initiatos esse cognouerat, diuinum illud fidelium sacramentum popposcit, non vt curiosos oculos inscereret arcanis, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium, etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare.* Hieronym. ad Nepotian. *Ridiculum, & plenum dedecoris est referto marsupio, quod sudarium, orariumque non habeat gloriari.* Augustin. de Ciuit. Dei libr. 22. cap. 8. *Tunc sicut potuit oculum lapsum, atque pendentem, loco suo reuocauit, ligauit orario.* Gregor. Turon. lib. *6.* cap. 17. *Cumque die sabbathi Priscus præcinctus orario, nullum in manu ferens ferramentum, Mosaicas leges quasi impleturus secretiora competeret.* Alia significatione orarium est stola Sacerdotalis in vit. S. Fulgentij Ruspensis Episcopi apud Surium 9. Ian. *Orario quidem, sicut omnes Episcopi nullatenus vtebatur.* Anastas. in Agathone *Ea hora sancta Synodus vna cum Principe eius, orarium auferri iusserunt à collo eius* (Macarij Antiocheni Episcopi) *Et exiliens Basilius Episcopus Cretensis Ecclesiæ, eius orarium abstulit.* Etiam Presbyteris & Diaconis cum Episcpo

commune fuit orarium, minimè Subdiaconis. Concil. Tolet. 4. can. 25. *Episcopus orarium annulum, & baculum recipiat coram altari de manibus Episcoporum, Presbyter orarium & planetam, Diaconus orarium & albam, Subdiaconus Patenam & Calicem.* Canon. Episcopus 11. quæst. 3. Idem Concil. canon. 39. *Vnum orarium oportet leuitam gestare in sinistro humero propter quod orat*, id est prædicat. can. vnum orarium 25. dist. Orarium hoc loco non potest intelligi de Sacerdotali, quia ex benedictione, id est munere beati Petri transmittitur laicis, secus de Pontificali orario intelligi debet alter locus epist. 36. infr. h. libr. *Sex Aquitanica pallia, & duo oraria transmisi*, quia mittuntur Eulogio Episcopo Alexandrino.

Epist. 29. *Quamuis Græcæ linguæ nescius, in contentione tamen vestra iudex resedi.* Gregorius etsi Græcæ linguæ imperitus, iudex resedit in lite, quæ erat inter Anastasium Presbyterum, & Hierosolymitanum Episcopum cuius acta Græcè conscripta erant, vniuersus enim oriens Græca lingua ferè vtebatur Hieronym. libr. 2. in epist. ad Galat. *Galatas excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eandem penè habere quam Treuiros.* Itaque Gregorium interprete vsum intelligendum est.

Sed quia inter patrem eiusdem Monasterij, & Pastorem Hierosolymorum Ecclesiæ, semper esse iurgia consueuerunt. Pater Monasterij est Abbas, quia officio patris fungitur in Monachos. Gregor. homil. in Euangel. 39. *Quidam Martyrius nomine vitæ valde venerabilis Monachus fuit, qui ex suo Monasterio visitationis gratia, ad aliud Monasteriam tendebat cui spiritalis pater præerat.* Idem dialog. libr. 1. cap. 7. *Idem vero Nonnosus sub asperrimo sui Monasterij degebat patre.*

Epist. 30. *Ego tamen inuenio, quia eorum iudicio, indiscretus esse ex tali admonitione reprehendor.* Discretus est qui ob merita, & dotes animi, vel corporis ab alijs discernitur. In-

de discretio, est genus dignitatis cap. vt officium de hæretic. in *6*. Eadem significatione persona egregia est quæ dignitate præstat, & selecta est è grege hominum L. ad egregias ff. de iureiur. Augustin. de verb. Domin. serm. 28. *Pharisæi isti, Iudæi erant, quasi egregij Iudæorum.* Indiscretus hic opponitur discreto, id est indiscreti appellatione intelligitur, is qui discretione caret.

Et mecum feci eos sacra Missarum solennia celebrare. Cyriacus C.P. & successor Ioannis post electionem de more misit Responsales ad Gregorium, & synodicam epistolam quo solemnis fidei professio, in signum vnionis cum sede apostolica continebatur, Gregorius eos perbenignè, & comiter suscepit, & præter priscum morem eos secum fecit sacra Missarum solennia celebrare id est fecit eos sibi ministrare in celebratione Missarum.

Eulogio Episcopo Alexandrino. Gregorij ad Eulogium frequentes extant epistolæ vt hic & infr. 37. h. libr. libr. 1. epist. 23. lib. 4. epist. 36. lib. 5. ep. 60. lib. 7. epist. 30. & 38. lib. 8. epist. 43. & lib. 11. epist. 46. & 47. Gregorius inter amicos habuit Eulogium Episcopum Alexandrinum iam sibi notum & familiarem ab eo tempore quo Apocrisiarij officio fungebatur in aula Constantinopolitanâ. Ioan. Moschus Limon. cap. 146. 147. Eulogius ex Monacho electus Episcopus Alexandrinus Euagr. libr. 5. cap. 16. Eiusdem meminit Photius in biblioth. è quâ excerptum eius scriptorum accepimus. *Epist. 31.*

Dinamio & Aureliæ per Franciam. L. Aurelio ad hunc scripta epist. 70. ind. 4. infr. lib. 9. *Epist. 33.*

Certamina eorum Agrimensoris definitione prospeximus finienda. Quæstionem de finibus exortam, inter Cæsarium Abbatem Monasterij sancti Petri, siti in loco cui nomen Baias, & Ioannem Abbatem Monasterij S. Luciæ apud Syracusas, per Agrimensorem terminari præcipit. Quæstio de finibus dirimitur per Agrimensorem, nec desi- *Epist. 36*

rat cognitionem Præsidis L. causas C. Th. de iurisdict. L. 1. C. Th. fin. Regund. L. ergo si insula §. pen. ff. de adquir. rer. Domin.

Sex minora Aquitanica pallia, & duo oraria transmisi. Bigerigas vestes intelligit, quas breues & villosas depingit Sulpit. Seuer. dialog. 2. de virtutibus B. Martini cap. 4. *Arctata demum Clericus necessitate compulsus, iamque felle commoto, à proximis tabernis Bigerrigam vestem, breuemque, atque hispidam, quinque comparatam argenteis rapit.*

Lucris tamen negotij vestri congaudeo. Negotium hic pro negotiatione L. cum pater §. mensæ negotium de legat. 2. l. testamento de manumiss. test.

Iuxta breue vestris epistolis insertum. Breuè est breuis & summarius libellus, continens descriptionem seu inuentarium rerum. Vt infr. lib. 12. epist. 9. *Nec non hortos atque terrulas, quæ superius continentur de breuibus suis deleri facias.*

Sed quia Collatum ac Iuritheum non libenter bibo præsumens Cognidium requiro. Gregorius ab Eulogio Episcopo Alexandrino accepit Collatum, & Iuritheum, quæ sunt quędam potionis genera, quæ erant in delicijs apud Ægyptios, sed quia huiusmodi potio ingrata erat, præsumens id est fiduciam habens in affectu Eulogij, Cognidium quod erat alterum potionis genus ab eo requirit, quod ante annum per eum Romæ innotuerat, *Nam nos* inquit *hic à negotiatoribus nomen Cognidij, & non substantiam comparamus.* Id est Cognidium quod venale habetur apud negotiatores, nomen Cognidij non substantiam habet. Collatum videtur esse genus potus ex vino, & alijs liquoribus vel mixtionibus quasi collatione confectum, veteres enim hoc genere potus delectabantur. Cassiodor. 12. Var. ep. 4. *Græcia vina sua aut odoribus condit, aut marinis permixtionibus insaporat.* Gregor. Turon. lib. 8. cap. 31. *Accepto poculo bibit absinthium cum vino & melle mixtum, vt mos*

barbarorum habet, Alijs Colatum est vinum merum. Papias *Colatum vinum purum, vel vas proprium in quo deponatur.* Iuritheum, coniecturis enim & diuinationi in his tantum mihi locus est, aliud potus genus est, quod ob saporis gratiã & suauitatẽ, pro diuino habebatur, composita voce à Latino ius & Græco θεῖον Cognidium erat tertium potus genus, Alexandrinum inuentum, quod Romæ forte dictum est Cognidium quod recens illic cognitum esset, vt profitetur Pontifex hic. Papias *Cognidium genus potionis ad bibendum.* Et hæc sunt munuscula quæ ante benedictionem sancti Marci vocat, quod ab Eulogio Alexandrino Episcopo accepta sint *Suscepi autem benedictionem sancti Euangelistæ Marci, iuxta breue vestris epistolis insertum.* Et idem infr. lib. 11. epist. 47. *Eulogias vero sancti Marci à beatissima fraternitate vestra transmissas, cum ea charitate qua sunt directæ secundum notitiam earum suscepimus.*

Comperimus Cornelienſis Eccleſiæ filios. Cornelienſis Ecclesiæ filijs id est optimatibus postulantibus præcepit Mariniano Rauennati, vt in locum lapsi electum Episcopum consecret. Forum Cornelij est ciuitas Episcopalis Æmiliæ hodie Imola, quæ Rauennæ paret Metropoli, Anastas. in Zachar. *In finibus Longobardorum, in ciuitatem quæ vocatur Imola.* Paul. Diacon. de gest. Longobard. lib. 2. cap. 18. *Cornelij que foro, cuius castrum Imolas appellatur.* Rauenna est Metropolis Æmiliæ quæ hodie Romandiola dicitur Paulus Diaconus de gest. Longobard. lib. 2. cap. 18. Otho Frisingens. de gest. Frideric. libr. 2. cap. 13. Hoc iure consecratio Episcoporum Æmiliæ pertinet ad Episcopum Rauennatem can. Episcopos 63. dist. can. denunciamus 25. qu. 2. *Epiſ. 39.*

Iniquitate maleficiorum. Quæsta est mulier Paula nomine aduersus quendam Theodorum ex Iudæo se maleficijs ab eo peti. Iudæi maleficis artibus famosi, hac de causa, nè inaugurationi Richardi 1. Regis Anglorum interes- *Epiſ. 40.*

sent vetiti. Matth. Paris ad ann. 1188. *Huic coronationi, multi Iudæorum interfuérunt, contra Regis prohibitionem, die itaque præcedenti communi interdictum est edicto, nè Iudæi, aut mulieres intereſſent, propter magicas artes, quæ ſolent in Regum coronationibus exerceri, de quibus Iudæi & aliquæ mulieres ſunt infames.* Iudæi vix conuertuntur & ſemper ſuſpecta eſt eorum conuerſio. Auguſtin. quæſt. veter. teſtam. cap. 44. *Cum enim in vniuerſa terra, noui teſtamenti ſit prædicatio, Iudaiſmus tam raro eſt, vt difficilè Iudæus fidelis inueniatur, & omnes Eccleſiæ noui teſtamenti gentium nominentur.*

AD LIBRVM SEPTIMVM.

Epiſt. 1. *SI ego in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem &c.* Gregorius accuſatus apud Mauricium, quod Malchum Epiſcopum ſui patrimonij prouiſorem, ſeu Defenſorem in cuſtodia detinuiſſet, ad necem vſque pro ſolidis id eſt retentis penſionibus patrimonij eccleſiaſtici, qua de re ſe purgat hac epiſt. hoc argumento *Si ego* inquit *in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma eſſet confuſione diu'ſa.* Vnde ſumptus eſt can. ſi in morte 23. quæſt. 8. de quo Paulus Diacon. de geſt. Longobard. lib. 4. cap. 30. Ioan. Diacon. libr. 4. cap. 63. Hoc argumento rectè Gregorius à ſe amouet ſuſpicionem necis Malchi Epiſcopi, quod nè quidem cædem Longobardorum hoſtium Reipublicæ tulerit quomodo enim in

Episcopum sæuiet, qui hostibus pepercit. Eodem ingenio Gregorius à Longobardis pacem redemit ære, vt fidelium sanguini parceret supr.lib.4.ind.13.ep.34.

Hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet. Longobardi habuére Regem, & sub eo Duces, & Comites. Duces erant Præfecti prouinciarum. Comites singularum ciuitatum. Inter Duces fuére Forojulienſis, Spoletanus Beneuentanus. Apud Longobardos Ducatus ferè fuére perpetui, & hæreditarij. Paulus Diac. de gest. Longobard. lib.4. cap.40. *Mortuo Gisulfo Forojuliense Duce, Taso, & Cacco filij eius eundem Ducatum regendum susceperunt.* Idem cap.seq.eiusd. libr. *His ita peremptis Dux Forojulianus Grasulfus Gisulfi germanus constituitur.* Idem 46. eiusd. lib. *Defuncto ergo Arichis, qui Ducatum Beneuenti quinquaginta tenuerat annis, Aio eius filius Samnitum ductor effectus est.* Idem cap. 52. eiusd. libr. *Circà hæc tempora mortuo apud Forumiulij Grasulfo Duce Forojulienſi, Ducatum Agoregendum suscepit. Apud Spoletum quoque Theudelapio defuncto, Atto eidem ciuitati ductor efficitur.* Idem lib.6.cap.39. *Defuncto itaque Beneuentanorum Duce, Samnitum Populus Romoaldum eius filium ad regendum se sublimauit.*

In Monasterio, quo lectioni vacat, & laborare non potest, Monachorum opera lectio, & oratio, & labor manuum, Nou.133. cap. vlt. inualidorum opus lectio & oratio, labor manuum eis remittitur, nec non Monachis, qui ministeria ecclesiastica exercent Augustin. de oper. Monach. cap.21. *Si Euangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum, bene sibi istam non arrogant sed planè vendicant potestatem, nimirum viuendi ex facultatibus populi.*

Et quidem quid de hac re seculi leges habeant, & ipsi nostis, Epist.4. *& nos audiuimus, quia hæres ad soluendum cogitur, si auctor eius, vel testator aliena legauerit.* Peltrasius sepulturæ gra-

tia, res alienas Ecclesiæ legauit quæritur an valeat legatum, Gregorius non imperitus legum ait ex legibus seculi quas se audisse profitetur hæredem cogi rem alienam redimere, & præstare quod desumptum est ex L. cum alienam C. de legat.

Nos qui Episcopi dicimur de humandis fidelium corporibus pensa quid facere debemus. Nè quid pro sepultura exigatur vetat Gregor. & infr. h. libr. ind. 2. epist. 55. *Graue nimis est, & procul nimis est à Sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium.* Can. questa. 13. quæs. 2. Idem Nou. Iustin. 60. Synod. Meldens. can. 72. cap. Abolendæ de sepult. Pensum est, pensitatio vel præstatio quælibet. Pensam eadem significatione dixit Flodoard. l. 2. cap. 20. *De Colonis villarum Rhemensis Ecclesiæ, quibus & pensam tribuit, quæ hodieque ab ipsorum successoribus accipitur, cum qua suum quoque persoluunt debitum.*

Epist. 5. *Ioanne Regionario ad nos remeante.* Ioannes hic fuit vnus è Diaconis vel Subdiaconis regionarijs. Septem Diaconi instituti sunt qui ministrarent pauperibus per regiones vrbis & totidem Subdiaconi eis adiuncti sunt, vnde & vtrique Regionarij dicti sunt, de quo infr. ep. 17. h. libr. Sauini Subdiaconi Regionarij meminit infr. libr. 8. ep. 5. & lib. 11. ind. 6. ep. 27.

Epist. 6. *In cespite fundum Faborianum.* Dos Monasterij ancillarum Dei, de quo agitur hic constitit partim in mobilibus, partim in immobilibus, & pars quæ fuit in immobilibus seu in prædijs, dicitur hic fuisse in cespite. Cespes est gleba fundi quæ accipitur, pro toto fundo, maxime in donationibus pijs quæ fiebant traditione cespitis vel glebæ. Papias *Cespes terra gramine.*

Epis. 23. *Quoniam inter te, & candidum Abbatem Monasterij sancti Andreæ Apostoli positi in hac vrbe Romana, in Cliuo Scauri.* Monasterium S. Andreæ Apostoli in vrbe positum ad Cliuum

cliuum Scauri à Gregorio conditum in proprio domate id est in proprijs ædibus ibique Monachum ipse professus est. Vt tradit Io. Diaconus lib. 1. cap. 6. & ad hoc se refert Gregorius homil. 11. in Ezech. *Et quidem in Monasterio positus valebam, & ab ociosis linguam restringere, & in intentione orationis penè continuè mentem tenere.* Et hoc est Monasterium quod Monasterium Cliui Scauri vocat Anastas. in Stephano 4.

Quia Defensorum officium in causis Ecclesiæ, & obsequij noscitur laborare Pontificum. Epist. 17 Defensorum officium est, in obsequio esse Pontificum, id est mandata pontificia exequi, vt ostenditur hic, res Ecclesiæ tueri, pauperes curare supr. libr. 4. ind. 13. epist. 25. cognoscere de causis Clericorum, vel laicorum, si quas haberent aduersus Episcopum infr. libr. 9. ind. 4. epist. 32. vnde sumptus est can. peruenit. 11. qu. 1. Præcipuum Defensorum officium fuit curare patrimonium Ecclesiæ Romanæ, quod positum erat in Italiâ Siciliâ & aliis Prouincijs. Defensores eligebantur ex schola seu ordine Subdiaconorum, Gregorius vt eos arctiori vinculo adstringeret curæ rerum Ecclesiæ eos auxit dignitate, & honore. Et sicut in schola Notariorum & Subdiaconorum, sunt septem Notarij & Subdiaconi Regionarij, qui per Regiones vrbis constituti erant, nimirum Fabianus Papa Romæ septem Subdiaconos primus instituit, qui septem Notarijs à Clemente institutis imminerent, vt gesta martyrum exciperent, & cum per regiones vrbis sparsi essent ideo & ipsi Subdiaconi Regionarij dicti sunt, ita & voluit vt defensores septem, qui ostensa seu probata experientiæ suæ vtilitate placuerint, honore regionario decorentur, & vt absente pontifice Subdiaconi defensores sedeant in Conuentu Clericorum. Subdiaconi defensores cum Clero sedebant absente Pontifice, eo vero præsente stabant. Diaconi non habent ius sedendi coram Presbytero Conc. Laodic. can.

20. can. non oportet 93. dist. Auctor quæst. vtriusq. testam. cap. 100. *Quamquam Romanæ Ecclesiæ Diaconi, modico inuerecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt.* Multò minus Subdiaconi qui sunt inferioris gradus, sed hoc speciale est priuilegium Subdiaconorum Defensorum septem Ecclesiæ Romanæ vt in Conuentu Clericorum sedeant absente Pontifice.

Epist. 18 *Nec immissiones, vel dolositates.* Nè quis in Classensi Monasterio immissiones faciat, id est exactiones vel violentias vt interpretatur Glossa in can. quam sit necessarium 18. qu. 2. qui sumptus est ex hac epist.

Sed si qua fortè causa, inter Rauennatem Ecclesiam, & præfatum Monasterium euenerit, & pacificè non potuerit ordinari, apud electos à partibus, medijs sacrosanctis Euangelijs finiatur. Iudices etiam ciuiles iudicabant propositis in medio sacrosanctis Euangelijs vt ostenditur hic & infr. h. lib. ind. 2. epist. 46. & libr. 8. epist. 46. libr. 11. epist. 53. L. properandum §. cum autem L. rem non nouam C. de iudic. l. vlt. §. sin autem C. de Curat. furios. in Concilio Patres quoque sedebant propositis in medio Euangelijs. Synod. Chalced. act. 1. προκειμένου ἐν τῷ μέσῳ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ ἀκράντου εὐαγγελίου. *Proposito in medio sacrosancto, & venerabili Euangelio.*

Epist. 20 *Scripsimus autem, & Mauro tunc Vicecomiti.* Vicecomes est Vicarius Comitis, qui ipsius nomine iuri dicundo operam dabat, vt insinuat inscriptio epist. Ioannis 8. in Concilio Trecensi quam Iuo Carnotensis intexuit decreto part. 3. cap. 98. *Omnibus Episcopis, Comitibus Vicecomitibus Centenarijs, iudicibus Catholicis in Hispania & Gothia, & prouincijs degentibus.* Alexander 3. in cap. Clericis nè Cleric. vel Monach. *Iubemus etiam sub interminatione anathematis, nè quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis aut Præpositi secularis.* Inde Vicecomitiam Vicariam interpretatur Orderic. Vital. hist. Eccles. lib. 5. *Vicecomitiam id est Vi-*

cariam, Sic enim legendum pro viariam, *quantam habebant*, *in villarijs vastatis*. Et Vicaria pro territorio iudicis, vel pro tribunali seu foro Roderic. Tolet. lib. 4. cap. 22. *Et Vicariam quæ ex eo nomen dicitur habuisse quod Gothorum tempore sedes iudicij habebatur.* Vicarios dixere alij Greg. Tur. lib. 10. cap. 6. *Responderunt hoc Annimodi Vicarij dolo, qui pagum illum, iudiciaria regebat potestate, factum fuisse.* Idem lib. 7. cap. 27. de Armentario Iudæo. *Ad exigendas cautiones, quas ei propter tributa publica, Iniuriosus ex Vicario, ex Comite vero Eunomius deposuerant Turonos aduenit.* Ait Mauro tunc Vicecomiti, quia eâ ætate Comites & Vice-comites, erant ad tempus, ideo functi his Magistratibus, ex Comite, & ex Vicario dicebantur.

Sed si de statu eius quæstio perseuerat, legali modo ad iudicium veniatur. Epist. 21. Quæstio de statu, id est de libertate, an quis sit liber, vel seruus, requirit maiores iudices L. vlt. C. vbi causæ status, ideo non potest compromitti in arbitros L. non distinguemus. §. de liberali. de recept. arbitr.

Quibus tamen si longum vel triste videtur solennitatem sustinere Paschalem. Epist. 24. Dies solennes baptismi erant duo per annum, Paschæ & Pentecostes, extra hos dies Baptismus non solebat administrari, nisi imminente vitæ periculo, can. duo. can. venerabilis. de consecr. dist. 4. de quo fusius Vice-comes de baptism. lib. 1. cap. 19. & 20. vel vrgente alio casu vt hic cum Iudæos ad Christianam fidem velle conuerti audijsset Gregorius nè mora eos reuocaret à proposito, præcepit vt consulto Episcopo, indicta eis pœnitentia, & abstinentia 40. dierum, die Dominico, aut solenni festiuitate quapiam Baptismus eis administretur. Vnde sumptus est can. nè quod absit de consecrat. dist. 4. ait, *Cum Episcopo loci ipsius loquere*, Id est hac de re consulatur Episcopus loci, nè dignitati Episcopali iniuria fiat, quia semper Gregorius iura & priuilegia Ecclesiarum seruari studuit, *Sicut nostra defendimus*, inquit supr. lib. 2. ind.

10.epist.39. *Ita singulis quibusque Ecclesijs sua iura seruamus.* Can.de Ecclesiasticis 25.qu.2.

Si vero sanctum Pascha elegerint expectare, iterum cum Episcopo loquere, vt modo quidem Catechumeni fiant. Baptizandi ante Baptismum in his quæ ad fidem pertinent, sedulè erudiebantur, & inter Catechumenos recipiebantur, ideo Gregorius præcipit, vt si Iudæi qui baptismum expetebant, maluerint expectare in diem Paschæ, Catechumeni fiant, id est vt inter Catechumenos recipiantur, quod nomen erat proximè baptizandis à Græco κατηχεῖν, quod est viua voce instruere.

Epis. 26 *Iudæis non debet esse licentia, quicquam in Synagogis suis vltra quam permissum est, lege præsumere.* Puta Iudæis liberos suos tantum circumcidere permittitur, ex rescripto Diui Pij, in non eiusdem religionis, qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur L. circumcidere ff. ad L. Cornel. de Sicar. Iudæi Decuriones vel tutores esse possunt l. 3. §. vlt. de Decur. L. spadonem §. iam autem de excus. sed non licet eis quicquam præsumere vltrà legem, præsumere est sibi assumere præter legem, vel rationem. Gregor. supr. lib.6. epist.37. *Quia multum diligo etiam de paruis præsumo,* & infr. *sed quia Collatum, ac Iuritheum non libenter bibo, præsumens Cognidium requiro,* id est non sine præsumptione & quasi temerè.

Epis.27 *Peruenit itaque ad nos Diaconos Ecclesiæ Cathinensis calciatos Campagis procedere præsumpsisse.* Campagi sunt calcei aurati quibus Imperatores vtebantur. Capitolin. in Maximin. Iun. *Calceamentum, id est campagum regium, quidam in luco qui est inter Arxiam, & Aquileiam posuerunt.* Trebell. Pollio in Gallien. *Caligas gemmatas annexuit, cum Campagos reticulos appellaret,* Solis Diaconis Ecclesiæ Romanæ Campagis vti permissum in vrbe, & solis Diaconis Messanensibus in Sicilia vt subiungitur hic. Idcirco Gregorius vetat Subdiaconos Catanenses vti Campagis.

Hinc sumptus est can. peruenit. 93. dist. Papias. *Campage calciamenti genus, quo vtebantur Diacones Romani, vel quibus à Pontifice licentia daretur cæteris vero non.* v. Cuiac. 21. obseru. 28.

Vestra beatitudo scribere studuit, vt cunctorum Martyrum gesta, quæ piæ memoriæ Constantini temporibus, ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt, transmittere debeamus. Epist. 29 Eusebius Cæsariensis Episcopus, primus præter historiam Ecclesiasticam, scripsit librum de gestis Martyrum cuius meminit ipse libr. 4. cap. 14. libr. 5. cap. 1. & 20. Hunc librum à Gregorio transmitti petijt Eulogius Episcopus Alexandrinus, Gregorius respondit hac epistola hunc librum desiderari in archiuo Romanę Ecclesię, & in Romanæ vrbis bibliothecis, nec ante sibi cognitum fuisse. Diocletianę persecutionis tempore, ita sæuitum in sacros Codices, vt infinitorum propemodum librorum vix nomen peruenerit ad posteros, has vices expertus est liber Eusebij de gestis Martyrum, quem antè ignotum fatetur Gregorius.

Nos autem penè omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Natalis dies Martyrum quot annis colitur, & sua die Missarum solemnia celebrantur in memoriam & honorem Martyrum. Tertul. de coron. milit. *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.* Cyprian. ep. 37. *Denique & dies eorum, quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Octauam etiam Martyrum celebrari mos fuit vt Octauam Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli & Stephani, & aliorum Martyrum. Basil. Seleuc. de vit. S. Theclæ lib. 2. cap. 17. ἦν δὲ τῆς μάρτυρος αὐτῆς ἑορτὴ, καὶ ἡ τελευταία τῶν ἑορτῆς ἡμέρα ἦν δὲ καὶ ἀπολυσιν καλεῖν ἡμῖν ἔθος. *Festum erat Martyris, & postremus iam eiusdem dies, quem vocant dissolutionem.*

Epis.30. *Qui data à me licentia à Germaniarum Episcopis Episcopus factus.* Gregorius Augustinum vnum è Monachis sui Monasterij, cui nomen fuit sancti Andreæ ad Cliuum Scauri in vrbe, cum aliis Monachis misit in Angliam, ad conuersionem gentis. Qui ex mandato Pontificis, à Galliarum Episcopis Episcopus ordinatus quos vocat Germaniarũ Episcopos, quasi dicat Frãcię Episcopos. Quæ olim Germania, dicta est Francia, ea fuit Francia orientalis quæ est vltra Rhenũ de qua Hieron. in vit. Hilar. *Inter Saxones quippè & Alemanos, gens eius non tam lata quam valida, apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Inde Francis, qui erant Germani populi, Galliâ potitis, sicut Gallia Franciæ nomen assumpsit. Germania dici potuit, à prisco nomine Francorum. Quam fœlix fuerit missio Augustini penè apostolicam affirmat Gregorius hoc vno argumento quod vna die nimirum Dominicæ natiuitatis, ab Augustino decem millia Anglorum baptizati sunt.

Idem Gregor. ad Augustin. resp. 9. can. in Galliarum 25. quæs. 2. Beda l. 1. histor. cap. 28.

Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Imitatus videtur Cyprianum qui hoc verbo vsus est epist. 55. *Et vigore pleno, quo Episcopos agere oportet, pulsum de Ecclesia.*

Epis.31. *Contra voluntatem fundatorum.* Monasterium vnitum Castellienſi Monasterio, ex consuetudine per Monachos Castellienses ordinari iubetur, quia ratio iuris non patitur, vt Monasterium vnitum alteri Monasterio tollatur à dispositione maioris Monasterij, contra voluntatem fundatorum, vnde sumptus est can. rationis 16. qu. 7. Monasterium vnitum, vel subiectum alteri Monasterio non potest mutari, sine consensu patroni cap. suggestum de iur. patron. cap. dilecta. de excess. prælat. can. Monasterium 16. qu. 7. Io. Saresber. epist. 126. *Non assentiente, nedum reluctante fundatore, status Ecclesiæ mutari non potest, aut subiici seruituti.*

Epist.32. *Scientes præterea vnde in Africanis partibus, sumpserit ordinatio Sacerdotalis exordium laudabiliter agitis, quod Se-*

dem Apostolicam diligendo, ad officij vestri originem prudenti recordatione reuocetis. Gratulatur Dominico Episcopo Carthaginensi, quod Africana Ecclesia fidem & ordinationem Episcoporum acceperit ab Ecclesia Romana. Euseb. lib. 1. cap. 4. & 10. Nicephor. lib. 3. cap. 1. 2. 9. Innoc. I. ad Decentium epist. 1. *Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes.* Can. quis nesciat 11. dist. Serius tamen Euangelium peruenisse in Africam tradit Augustin. libr. contra Petilian. epist. cap. 13. *Ad Africam enim post modum Euangelium venit, & ideo nusquam litterarum Apostolicarum scriptum est Africam credidisse, de Orientalibus autem & cæteris gentibus, quæ in sanctis libris commemorantur fidem recepisse Christianam dictum est, erunt nouissimi, qui erunt primi, quia recessuri erant à fide.*

Quæsti itaque nobis sunt Monachi Castellienſis Monasterij, quod in fraternitatis vestræ ciuitate est constitutum. Confirmat priuilegia Castellienſis Monasterij in Scyllitana ciuitate positi in Calabria. Hoc Monasterium à Cassiodoro fundatum in paterno fundo, de quo testem habemus ipsum Cassiod. Diuin. lect. cap. 29. & seqq. Scillitana seu Scyllacena ciuitas Episcopali sede multata, ob iteratam cædem propriorum Episcoporum can. ita nos 25. quæst. 2. Epiſ. 33.

Indicauerunt etiam prædicti Monasterij Monachi castrum quod Schillatinum dicitur, in solo iuris Monasterij eorum esse fundatum, atque ob hoc habitantes illic factis libellis solatium annis singulis spopondisse persoluere. Hac ætate plerisque in ciuitatibus, & oppidis castra extructa, id est arces seu munitiones, pro defensione ciuium aduersus Longobardos, vt hic Schillatinum castrum in Schillatina ciuitate, Castrum Imola apud forum Cornelij, à quo postea nomen

datum ciuitati. Paul. Diacon. de gest. Longobard. libr. 2. cap. 18. de Æmilia regione. *Hæc locupletibus vrbibus decoratur Placentia scilicet, Parmaque Regio & Bononia, Cornelÿque foro, cuius castrum Imolas appellatur.* Scillatinum vero Castrum, quia positum est in solo Monasterij Castellien-sis, exædificatum est factis libellis, id est contractus genere, qui Libellaria dicitur, quod fiat per libellum seu chartulam, sub modico censu annuo, qui solatium dicitur quod nomen commune est cuilibet pensitationi seu præstationi, quod inde solatium, seu auxilium accedat accipienti.

Quia mundanarum legum, vel sacrorũ Canonum statuta non permittunt, res Monasterÿ de iure eius quolibet titulo segregari. Res Ecclesiæ vel Monasterij non possunt alienari quolibet titulo, id est ex causa venditionis, vel permutationis vel pignoris, nisi ex causa necessitatis, vel vtilitatis, puta æris alieni soluendi causâ, vel pro redemptione captiuorum, aut alimoniâ pauperum tempore famis L. iubemus. L. sancimus auth. hoc ius portectum. C. de SS. Eccl. can. hoc ius porrectum 10. qu. 2.

Epis. 34 *Leontio Exconsuli.* Hic est Leontius Exconsul, qui postea remoto Gregorio, fuit Præfectus Vrbi infrà libr. 8. epist. 50. & seqq. ind. 3.

Oleum quippè sanctæ Crucis, & aloes lignum susc epimus. A Leontio Exconsule muneris causa accepit, oleum sanctæ Crucis quod manabat à ligno sanctissimæ Crucis, quod tunc asseruabatur Constantinopoli in Basilica sanctę Sophiæ, quod clarum erat, miraculis & curatione ægrorum. Beda de locis sanctis cap. 20. in fin. *De nodis enim ligni sancti liquor odorifer oleo similis profluit, cuius si etiam modica particula contingat omnem ægritudinem sanat.* E corpore Beati Nicolai Myrensis Episcopi, quod maximo cum cultu quiescit apud Barum vrbem Apuliæ, manat oleum varijs curationibus salutiferum, eius ossa in oleo

suo

ſuo natantia inuenta Sigebert. ad ann. Chr. 1087. *Barenſes oſſa ſancti Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt, & Barum cum gloria detulerunt.* Idem Matth. Paris ad eund. ann. De ſepulchro B. Martini ſalubrem aquam manaſſe, quæ ad vſum ægrorum colligi ſolebat refert Gregor. Turon. lib. 5. cap. 21. *Ingeltrudis autem religioſa conſuetudinem habebat, aquam de ſepulchro ſancti Martini colligere.*

Illud præterea quod vultis, vt perſonam à noſtro latere deputemus. Legati Pontificij triplicis ſunt generis alij ſunt primi ordinis, qui dicuntur à latere quales hodie conſtat eſſe Cardinales cap. 1. de offic. legat. in 6. qui mittuntur velut è ſinu, & latere Pontificis & dicuntur ἐκ προσώπου, à facie vt notat Balſamo in Synod. 6. in Trull. in proëm. inde Cardinales miſſos à latere, & laterales Pontificis vocat Iuo Carnot. epiſt. 109. ad Paſchal. 2. *Cum enim à latere veſtro mittitis ad nos Cardinales veſtros tamquam filios vterinos, quia in tranſitu apud nos ſunt, non tantum non poſſunt curanda curare, ſed vel curanda proſpicere, inde eſt quod multi præpoſitorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt Sedem Apoſtolicam, non ſubditorum quærere ſanitatem, ſed ſuam, aut lateralium ſuorum quærere commoditatem.* Alij fuerunt legati prouinciales, quibus Pontifex vices ſuas mandabat in prouincijs, & inter hos aliis legatio mandabatur propter perſonæ merita, non propter Cathedram vt Maximiano Syracuſano Epiſcopo vices ſuas in Sicilia mandauit Gregorius, non loco, id eſt Cathedræ, ſed perſonæ vt ait ipſe ſupr. libr. 2. epiſt. 4. Hugo Dienſis Epiſcopus, & poſtea Lugdunenſis Archiepiſcopus functus eſt legatione in Gallia, ſub Gregorio VII. tum ſub Vrbano 2. Iuo Carnot. epiſt. 24. ad ipſum Hugonem. *Audiui Dominum Vrbanum apoſtolicum legationem apoſtolicam tuæ credidiſſe caritati, quâ laudabiliter functus es, tempore prædeceſſoris ſui, beatæ memoriæ Gregorij,* Eidemque legationi re-

Indict. 2 epiſt. 2.

stituendum suadet. Idem Iuo epist.109. ad Pascalem 2. *Vnde ego, & quidam conregionales nostri hoc murmur non æquanimiter accipientes, vtpotè Romanæ Ecclesiæ filij, scribere decreuimus sanctitati vestræ, vt alicui transalpino legationem Sedis Apostolicæ iniungatis, qui & vicinius subrepentia mala cognoscat, & ea vel per se, vel per relationem ad sedem Apostolicam maturius curare prævaleat, cui sollicitudini nullum magis cognouimus idoneum, quam Domnum Lugdunensem Archiepiscopum, qui & in eodem officio iamdiu ministrauit, & vt experimento cognouimus, tam Romanæ Ecclesiæ, quam Transalpinis Ecclesijs mirabiliter profuit.* Per eadem tempora legatus Aquitaniæ fuit, Gerardus Engolismensis Episcopus. Vt docent acta Synodi Lateranensis anno 1112. apud Abbatem Vrspergens. Hildebert. Cenomannens. epist.38. & 68. Gofrid. Vindocinens.libr.1. epist.24. Bernard.epist.126. Alij legationem Sedis Apostolicæ gessére, Ecclesiarum gratiâ, vt Arelatensis Episcopus in Gallia, ex antiquo priuilegio auctore ipso Gregorio responso 9.can. in Galliarum 25. qu. 2. Et Archiepiscopus Cantuarien sis in Anglia cap.1. extr.de offic.legat. Alij sunt legati Pontificij qui Græcis ἀποκρισιάριοι, Latinis Responsales qui res Ecclesiæ Romanæ procurabant in aulis Imperatoris vel principum de quibus dictum est supr.lib.1.epist.42. Nuntios hodie vocant.

Epist.5. *Adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis.* Indisciplinatus est disciplinæ expers, moribus dissolutus Euagr. Presbyter in translat. vitæ B. Antonij ab Athanasio scriptæ. *Pessimorum spirituum, vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus plausus motusque indisciplinatorum adolescentum, vel latronum.* Iuo Carnot.epist.27. *Propter indisciplinatam, Monasterij tibi commissi conuersationem, quodam tædio tabefactus.* Et idem epist.219.ad Paschal.2. *Indisciplinatis iuuenibus vexandum me exposueritis*, & inde indisciplinatio morum, & vitæ dissolutio infr.hac epist. *Nè ergo Petrus, vel*

alij qui in hac indisciplinationis prauitate præbuere solatium.

Sequenti die baptismatis sui. Hoc est Dominico in ipsa festiuitate Paschali. Baptismus solebat ministrari, die sabbathi ante Pascha.

Vel birrum album quo de fonte surgens, indutus fuerat. De fonte Baptismi assurgentibus, solebat dari vestis Alba, seu birrhus albus, Byrrhus est vestis genus quo vtebantur Veteres. Vopiscus in Carino. *Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canusini.* Martian. Capella lib. 4. *Nam & birrus & tunica nomen vestis habent.* Vestis stricta fuisse videtur distincta à lacerna, quæ erat laxa & fluens. Sulpit. Seuer. dialog. 1. cap. 14. *Illa vt byrrhum rigentem, hæc vt fluentem texat lacernam,* Birrus etiam fuit vestis communis omnibus, inde si quis obtentu religionis vtitur pallio, & ex eo quasi sanctificatus eos condemnat, qui τὰς Βίρρας gestant, anathema est, Conc. Gangrens. can. 12. can. si quis virorum 30. dist. Hoc vestis genus commune fuit, etiam Episcopis. Byrrum depositum Cyprianus, & in linea stetit cum ad locum martyrij deductus. Pontius Diaconus in eius vit. apud Surium Sept. 14. *Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti perductus est, & ibi se lacerno birro expoliauit, & genu in terram flexit.* Birrus etiam fuit indumentum capitis, quo vti permissum seruis præterquam militum, L. 1. C. Th. de habitu quo vti oportet intr. vrb. *Seruos sanè omnium, quorum tamen dominos, sollicitudine militiæ constat non teneri, aut birris vti permittimus, aut cucullis.* Birrum enim in eundem vsum, ac cucullam, quæ est tegmen capitis comparatum fuisse, facilè colligitur, ex eo quod seruis alijs quam militum, byrris aut cucullis vti licuit.

Quia sicut legalis diffinitio, Iudæos nouas non patitur erigere Synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit. Vt Synagogæ Iudæorum per vim occupatæ, & temerè consecratæ æstimentur, & pretium præste-

tur iubet Gregorius infr. hoc libr. epist. 8.

Quia in hoc maximè tempore, quando de hoste formido est, diuisum habere populum non debetis. Ianuarium Episcopum Caralitanum, quæ est Sedes Episcopalis in Sardinia hortatur vt pacem foueat inter ciues suos, eo maximè tempore, quo periculum imminens erat à Longobardis, quia maximè interest, nè plebs diuisa sit, cum ab hoste timendum est. Eadem ratione placebat Mauricio Augusto Ioāni primæ Iustinianæ Episcopo ob ægritudinem dandum successorem, nè forte ciuitas defensore destituta, ab hostibus occuparetur infr. lib. 5. epist. 41.

Authari rith Rege Longobardorum mortuo Agilulfus Regnum cum Theodelinda Regina suscepit Sigeber. ad ann. 593.

Hoc quoque pariter indicandum curauimus, quod finitâ hac pace, Agilulfus Longobardorum Rex pacem non faciat. Ianuarium Episcopum Caralitanum submonet, vt ciuitatem & alia loca muniat, & annonâ instruat, quod finitâ pace id est inducijs, quæ breui expirabant, Agilulfus Rex Longobardorum diceretur minimè pacem seu inducias esse instauraturus, pax enim hic sumitur pro inducijs, pax sc. quæ erat ad tempus, non erat propriè pax, sed inducia. Pacem tamen cum Longobardis nouis pactionibus coïtam liquet ex epist. 41. infr. h. libr. quâ Gregorius gratias agit Agilulfo Regi de pace restituta. De quo & Paul. Diacon. lib. 4. cap. 8. & 10.

Vt abundanter in eis condita procurentur. Id est vt ciuitas & castra muniantur, & largius in eis condita reponantur, præsidij causa. Condita sunt frumentum ordeum vinum & aliæ species repositæ in horreis publicis. L. 1. C. de condit. in horreis public. Symmach. libr. 2. epist. 76. *Vnciam panis malitiosè, & temerè restitutam, spontanea voluntas populi redegit in copia conditorum.* Idem lib. 10. epist. 48. *Missis de more breuibus, quæ angustias patefacerent conditorum.* Vel horrea vbi vestes repositę sunt Arnob. in psalm. 118. *Nummus non est in sacculo, vestimentum in conditis non est.*

Quia ingredientibus Monasterium conuertendi gratia vlterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem Monasterij iuris fiant, aperta legis definitione decretum est. Epist. 7. Olim Monachi de rebus suis testari poterant, & si intestati decederent, suos hæredes habebant, liberos vel parentes, vel agnatos, & his deficientibus bona eorum acquirebantur Monasterio L. vnic. C. Th. de bon. Cleric. & Monach. Augustin. epist. 19. in 2. appendic. *Vsque adeo autem eodem iure Presbyteri Honorati est illud, vnde agitur, vt non solum alibi ordinatus, sed adhuc in Tagastensi Monasterio constitutus, si re sua non vendita, vel per manifestam donationem, in quempiam translata moreretur, non nisi hæredes eius in eam succederent, sicut frater Æmilianus in illos triginta solidos, fratri Priuato successit.* Postea Monachis adempta testandi facultas, ita vt ingressu Monasterij eorum bona acquirantur Monasterio Nou. Iustinian. 5. Nou. 123. cap. 38. Quem secutus est Gregorius hic vnde sumptus est can. quia ingredientibus 19. qu. 3. Et idem Gregor. lib. 9. ind. 4. epist. 22. *Nam cunctis notum est, quia illos legalis sanctio quicquam de substantia suâ prohibet postquam Monasterium ingressi fuerint ordinare, quibus disponendarum rerum suarum suppetit ante licentia.* Probo Abbati, & Adeodato Monacho testandi licentiam ex dispensatione concessit Gregorius d. libr. 9. epist. 22. & lib. 11. epist. 5. Iure Pontificio Monachi testari possunt ex dispensatione summi Pontificis. cap. cum ad Monasterium de stat. Monach.

Epiphanius Archipresbyter vester præsens inuentus respondit memoratam Abbatissam, vsque ad diem obitus indui se Monachica veste noluisse, sed in vestibus quibus loci illius vtuntur Presbyteræ permansisse. Peculiarem fuisse vestem Presbyterarum, & distinctum à veste Monacharum ostendit hic locus, cum in Abbatissa Monasterij S S. Gauini & Luxorij in Sardinia reprehenditur, quod Monachica veste indui noluerit, sed in veste quâ loci illius vtuntur

Presbyteræ permanserit. Episcopæ Presbyteræ Diaconæ vocabantur vxores relictæ Episcopi, Presbyteri & Diaconi, quæ à viris secubabant, & peculiari veste & distincta à laïcis fœminis vtebantur, quasi Deo consecratæ & dicatæ. De his Conc. Turon. 2. can. 22. Antisiodor. can. 20. 21. Gregor. dialog. libr. 4. cap. 20. aliæ sunt Presbyteræ seu πρεσβυτίδες Concil. Laodic. can. 11. qui refertur in can. mulieres 32. dist. hæ enim sunt viduæ seniores, quæ erant in matriculâ Ecclesiæ.

Necessarium visum est, vt tam cum consiliarijs nostris, quam cum alijs huius ciuitatis doctis viris, quid esset de lege tractarem. Quærebatur an valeret testamentum Siricæ Abbatissæ, conditum contra leges, eo colore quod Abbatissa in diem vitæ Monachica veste vsa non esset, sed tantum veste Presbyterarum, quasi laïca ex hoc manssisset. Nouitate casus motus Gregorius Iurisperitos consuluit, ex quorum sententia responsum postquam Abbatissa ab Episcopo solenniter ordinata esset, & in Monasterij regimine per multos annos, vsque ad nouissimum vitæ diem præfuisset, vestis qualitatem non nocere professioni, non mutare qualitatem personæ, nec sustinere testamentum, quod de iure nullum esset. Vestes qualitas, id est vestis genus, quo vsa erat pertinebat ad culpam Episcopi, qui permiserat eam minus congrua veste vti, sed non tollebat professionem, & ordinationem solennem Abbatissæ. Abbatissa etsi vestem non sumpsisset Monachicam, minimè testari potuit, quia non desinebat esse Monacha, habitus non facit Monachum, sed professio Conc. Tolet. 4. can. 48. can. Monacham 20. qu. 1. Vnde sumptus est can. 23. Conc. Vvormac. Item vestis Presbyterarum, qua vsa erat, licet distincta esset à Monachili, non erat omnino incongrua, erat alia à veste seculari. Presbyteræ & aliæ mulieres deuotæ erant velatæ. Gregor. Turon. libr. 1. cap. 13. *Residentibus tamen Episcopis die Dominico, mulier quædam velata*

atque Deo deuota audenter ad eos ingreditur. Et quæ dicebantur Presbyteræ ob ætatem, vel matriculariæ quod essent in matricula Ecclesiæ nigro pallio induebantur. Idem Turon. eodem lib. cap. 17. *Et aspiciens eam in veste nigra senio iam prouectam, putauit esse vnam de egentibus.* Quam modestè de se senserit Gregorius, ex eo colligere licet quod vir legum & canonum peritissimus, vt maximè liquet ex eius epistolis in casu nouo & dubio consuluit iurisperitos & ex eorum sententia respondit. In alijs eundem consuluisse iurisperitos testem ipsum habemus vt lib. 1. epist. 42. *Sed Scholastici dixerunt, quod de fraudibus indiscussus esse non potest.*

Cognouimus quod mos vestræ sit insulæ, post Paschalem festiuitatem, vobis euntibus, aut directis responsalibus vestris, ad Metropolitanum vestrum, vtrum sciatis, an minimè, ipse vobis de venturo Pascha, scripta debeat denunciatione mandare. Epist. 8. Hortatur Episcopos Sardiniæ, vt antiquam Ecclesiarum suarum consuetudinem seruent, de suscipienda à Metropolitano denunciatione diei Paschæ. Antiquus mos fuit vt Metropolitani per singulas prouincias denuntiarent diem Paschæ proximum, vt tolleretur schisma quod penè sciderat Ecclesiam, circa diem Paschæ. Cassian. collat. 10. cap. 2. *Intra Ægypti regionem mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracto Epiphaniorum die epistolæ Pontificis Alexandrini, per vniuersas dirigantur Ægypti Ecclesias, quibus & initium quadragesimæ & dies Paschæ non solum per ciuitates omnes, sed etiam per vniuersa Monasteria designentur.* Eiusdem consuetudinis meminit. Concil. Arelat. 1. can. 1. *Primo loco de obseruatione Paschæ Dominici, vt vno die & vno tempore per omnem orbem à nobis obseruetur, & iuxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.* Can. de obseruatione de consecr. dist. 3. Conc. Carthag. 4. can. 7. *Placuit vt venerabilis dies Paschæ, Formatarum subscriptione omnibus intimetur.* Eiusdem consuetudinis me-

mit Innoc. I. epist. 11. Leo I. epist. 64. Ætate Gregorij mos iste non desierat, sed Episcopi Sardiniæ, ægrè suscipiebant à Metropolitano denunciationem Paschæ per literas, quo circa Pontifex præcipit vt mos priscus Ecclesiæ seruetur.

Sine Metropolitani sui cognitione vel epistolis. Redarguit Episcopos Sardiniæ, quod pro emergentibus Ecclesiæ suæ causis transmarina peterent, id est trans mare proficiscerentur, sine consensu Metropolitani, quod vetant canones, nimirum Conc. Antiochen. can. 11. can. si quis Episcopus 23. qu. 8. & constitutiones Cæsareæ L. si qua per calumniam §. vlt. C. de Episc. & Cleric. Nou. Iustin. 6. cap. 3. Nè Episcopi proficiscantur ad Comitatum sine licentia primatis seu Metropolitani vetat idem infr. hoc lib. epist. 61. *Illud tamen nobis omnino displicuit, quod aliquos Episcoporum sine primatis sui epistolis ad Comitatum profectos esse, vel conuentus significas illicitos celebrare.*

Epist. 9. *De Sclauis victorias nunciastis.* Gaudet de victoria à Mauritio relata de Sclauis Commentiolo Duce de qua Theophanes Theophilact. Simocat. libr. 1. cap. 7. de Sclauis infr. lib. 8. ind. 3. epist. 36.

De Capritana insula. Eiusdem meminit proxim. epist. *Insula quæ Capritana dicitur.* Capritana insula in mari Adriatico, Istriæ oræ apposita, Caprea dicitur infra hoc libr. epist. 99.

Maior domus vestræ. Optimates habuére maiorem domus, id est œconomũ, vt Callinicus Exarchus Italiæ hic. Etiam Episcopi Gregorius infr. lib. 9. epist. 66. *Volumus vt frater noster Paschasius, & Vicedominum sibi ordinet, & Maiorem domus quatenus possit vel hospitibus superuenientibus, vel causis quæ eueniunt idoneus & paratus existere.*

Præterea sancti Petri Apostolorum Principis natalitium diem, in Romana ciuitate facere velle perhibetis. Fidelium præcipua religio fuit natalitiũ diem Petri in vrbe Româ celebrare

celebrare. Episcopi Siciliæ solebãt conuenire Romam semel per triennium ad natalitium diem B. Petri Apostoli supr. lib. 1. epist. 70. sed vt parceretur eorum labori, & sumptui à Gregorio hoc onus de triennio dilatum est in quinquennium lib. 6. epist. 19. Episcopos vndecumque ad diem solemnem Petri, religionis causâ Romam confluere consueuisse, exemplo nos docuit Paulinus testis ipse de se epist. 13. ad Seuerum *Interea & hac æstate labente, spe tamen ea nos, vel opinione palpante, Romam ad venerabilem solennitatis Apostolicæ diem profecti sumus*, idem epist. 16. ad Delphidium Burdegalensem Episcopum. *Deinde nos ipsos Romæ cum solenni consuetudine ad Beatorum Apostolorum natalem veniissemus, tam blandè, quam honorificè excepit Anastasius Papa.*

Domni Callinici Exarchi. Callinicus fuit Exarchus Italię, Romani successor, ad quem prox. epist. supr. & epist. 97. infr. h. libr. eiusdem meminit Paul. Diac. de gest. Longobard. lib. 4. cap. 13. *Epist* 10.

In consecratione quam postulat. Dedicatio Ecclesiarum est propria Episcoporum Concil. Laodicen. can. 98. Tamen Gelasius eam ad Sedem Apostolicam euocauit, lege dictâ, nè Ecclesiæ consecrentur, absque præcepto Sedis Apostolicæ can. de locorum. can. præcepta. can. Basilicas de consecr. dist. 1. Ideo Gregorius Expræfectus, cum basilicam suo sumptu ædificasset, ab eo petijt licentiam consecrandi eam, & sanctuaria, id est reliquias Martyrum collocandi, in basilica consecranda. Qua de re Gregorius scripsit ad Surrentinum Episcopum & alios. *Epist.* 11.

Sacrorum Canonum statuta, & legalis permittit auctoritas licitè res ecclesiasticas, in redemptionem Captiuorum impendi. Res Ecclesiæ possunt alienari, pro alimentis pauperum, & redemptione Captiuorum L. sancimus & auth. præterea C. de SS. Eccles. can. sacrorum 12. qu. 2. Qui desumptus est ex hac epist. *Epist.* 14.

Epis.15 *Ita vt in eodem Monasterio, nec fraternitas tua, nec Presbyteri, præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiarum inferant.* Scribit Fortunato Episcopo Neapolitano, nè quid ipse, vel Presbyteri Ecclesiæ suæ sibi vindicent, in Monasterio S. Martini, præter diligentiam, id est curam & inspectionem disciplinæ. Idem Gregorius eisdem verbis lib.7. ind.2.epist.15. Idem Conc.Tolet.4.can.50. *Hoc tantum sibi in Monasterio vindicent Sacerdotes, quod præcipiunt canones, id est Monachos ad conuersationem sanctam præmonere Abbates aliaque officia instituere, atque extra regulam facta corrigere*, can.hoc tantum 18.qu.2.

Cum Monachis in eodem loco deseruientibus debeat proficere, quicquid à fidelibus offerri contigerit. Scribit eidem Episcopo, nè ipse vel Presbyteri Ecclesiæ suæ sibi vindicent, oblata Monasterio, quia oblationes fidelium quæ fiunt Monasterio debent prodesse Monachis in eo Deo seruientibus. Idem Concil. Ilerdens. can. 3. *Ea vero quæ in iure Monasterij de facultatibus offeruntur, in nullo diocesana lege ab Episcopis contingantur.* Can.cum pro vtilitate 16. qu.1. Idem Gregorius lib.2.ind.11. epist. 58. vbi dixi.

Epis.16 *Fœlicem iugalem suum.* Id est coniugem. vt infr. libr.8. epist.10. *Cethegus atque Flora iugales.* Iugales à iugo dicti quod coniuges eodem iugo teneantur, inde equi iugales. Virgil.7. Æneid. *Currum geminosque iugales.*

Hac conditione interposita delegasse. Rustica illustris fœmina Fœlicem maritum testamento heredem instituit, eique delegauit id est iniunxit onus construendi Monasterij. Delegare scriptoribus huius æui accipitur pro legare. Vt in testamēto B. Remigij apud Flodoard.hist.Rhemens. l.1.c. 18. *Delegoque nepoti meo Prætextato Moderatam Tottionem, Marcouicum Innocentium seruum*, & infr. *Delegoque Benedictæ filiæ meæ Hilariæ Diaconæ ancillam nomine Nocam.* Inde delegatio, pro legato vel qualibet dispositione testantis. Anastas. in Innoc. I. *In quo loco beatissimus Innocen-*

tius ex delegatione illustris feminæ Vestinæ titulum Romanum constituit. Corrupto quoque vsu loquendi eiusdem æui, legare pro donare, etiam inter viuos Gregor. ipse infr. lib. 9. ind. 4. epist. 11. *Vt omnes res suas tempore nuptiarum, eidem filio donationis titulo legaret.*

Pro ordinatione cellæ illius. Cella pro Monasterio vt cella sancti Iudoci apud Lupum Ferrar. epist. 11.

Romano defensori. Romanus Defensor patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia constituitur, idem reprehenditur lib. 9. epist. 32. quod causas clericorum despecto Episcopo ad se euocaret. *Epist. 17.*

Ad familiam vero eiusdem patrimonij, secundum morem præcepta direximus. Vbi Pontifex Defensorem patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia, vel alijs partibus constituebat, præceptum id est mandatum dirigebat ad familiam eiusdem patrimonij, id est ad seruos & colonos prædiorum Ecclesiæ, vt ei in omnibus parerent, vt patet ex hac epist. & seq. De familia Ecclesiæ sunt serui, & liberti Ecclesiæ Concil. Hispal. 2. can. 8. can. octaua 12. qu. 2.

Ioannes Episcopus. Hic est Ioannes Episcopus Syracusanus, ex Archidiacono Cathanensi electus de cuius electione meminit supr. libr. 4. ind. 13. epist. 19. eidem scribit infr. hoc lib. epist. 21. *Epist. 20.*

Domitiani Metropolitæ. Ad eum scripta est epist. 50. ind. 3. libr. 8. & epist. 62. libr. 2. Is fuit Episcopus Melitinæ quæ est Metropolis Armeniæ cognatus Mauritij Augusti. *Epist. 22.*

Et verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite. Ecclesia solebat intercedere, pro oppressis & afflictis qui tutelæ causâ ad Ecclesiam confugissent, vt patet ex epist. 38. infr. libr. 8. Pro Donatistis reis multorum scelerum nè in eos sæuiretur ad necem intercessit Augustin. epist. 127. ad Marcellinum. *Quæsumus igitur, vt cum Ecclesiæ causas audis quamlibet nefarijs iniurijs appetitam, vel afflictam esse cognoueris, potestatem occidendi te habere obli-* *Epist. 24.*

uiscaris & petitionem nostram non obliuiscaris. Idem epist. 158. ad eundem. *Pœna sanè illorum quamuis de tantis scelerib⁹ confessorum, rogo te vt præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter catholicam consuetudinem commendandam.* Idem epist. 159. *Imple Christiane Iudex pij patris officium, sic succense iniquitati, vt consulere iniquitati memineris, noli perdere paternam diligentiam quam in ipsa inquisitione seruasti, quando tantorum scelerum confessionem, non extendente eculeo, non sulcantibus vngulis, vrentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti, qui modus coërcitionis & à magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpè etiam in iudicijs solet ab Episcopis haberi.* Vnde sumptus est can. Circumcelliones 23. quæst. 5. sed Gregorius vetat hic, nè Episcopus patrocinium ecclesiasticum impendat furibus publicis nè fama Ecclesiæ, indiscreto improborum patrocinio fœdetur. Vnde sumptus est can. hi qui 14. qu. 6.

Epis. 27 *Inter Præpositos Monasterij sanctorum Maximi, & Agathæ quod Lucusianum dicitur.* Præcepto firmat concordiam quæ inita erat inter Abbatem Monasterij Lucusiani quod est apud Panormum in Sicilia, & Xenodochum hospitalis quod Valerij dicitur in vrbe Româ, super quibusdam prædijs. Inde vsu obtinuit vt transactio inter Clericos vel Monachos de rebus Ecclesiæ non obliget successorem, nisi confirmetur auctoritate Apostolica cap. veniens de transact. cap. cum dilectæ de confirm. vtil. Lucusiani Monasterij meminit & Gregor. l. 9. ep. 42. & 43. Vbi innuit hoc Monasterium eiusdem fuisse congregationis, cum Monasterio S. Hermetis, cui præerat Vrbicus Abbas.

Epis. 32 *Sic enim spinarum grana tribulis attrita, aristis & paleis nudantur.* Tribulum est genus vehiculi, rotis serratis instructi, quo segetes in area teruntur. Seruius in illum vers. 1. Georgic. *Tribulaque Traheæque, Tribulum genus est vehiculi omni parte dentatum, vnde teruntur frumenta, quo ma-*

ximè in Africa vtebantur. Plin. libr. 18. cap. 30. *Messis alibi tribulis in area, alibi equorum gressibus exteritur.* Triplicem modum triturandi segetes, plaustris id est tribulis, virgis seu flagellis, & immissis gregibus equarum obseruat Hieron. in Esaiam l. 9. cap. 28. *Denique cum metendi tẽpus aduenerit Git, & Cyminum quæ infirmiora sunt semina, non rotis plaustrorum teruntur, quæ in serrarum similitudinem ferreæ circumaguntur, & trahuntur super demessas segetes, sed virga excutiuntur, & baculo quæ vulgo flagella dicuntur,* & paulò post. *Equarum greges, qui ad terenda frumenta areis immitti solent.* De tribulis Augustin. libr. 1. de ciuit. Dei cap. 8. *Sub eadem tribula stipulæ comminuuntur frumenta purgantur.*

Sic botri vinearum tunsi calcibus, in vinum liquescunt calcibus. Calcis, planta, vestigium pedis, Poppeam ictu calcis percussit Nero Tacit. 16. annal. *Post finem ludicri Popæa mortem obijt, fortuita mariti iracundia, à quo grauida ictu calcis afflicta est.* Idem Tranquill. in Neron. cap. 35. Anastas. in Vigil. *Nescis quia Siluerium Papam occidisti, & filium mulieris viduæ, ad calces & fustes interfeciſti.*

Quoties nouum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, vt multis dispendijs præterita non commodent. Epis. 35 Leges futuris dant formam negotijs, non ad præterita reuocantur L. 2. C. de legib. & leges ita futuris dant formam negotijs, vt multis dispendijs præterita non commodent, id est subiiciant, vel commendent vt legitur in cap. 2. extr. de constit. quod desumptum est ex hac epist. quia leges commendat executio, & pœna transgressorum, facilè leges contemnuntur quæ impunè prætereuntur. Nè christiana mancipia à Iudæis comparentur vetitum est, sed quia casu eueniebat, vt in coëmptione seruorum, quæ fiebat per Iudæos qui id genus negotij exercebant in Gallia ex mandato Iudicum, serui Christiani inter Pagannos emerentur, Gregorius vt Iudæis negotiatoribus con-

suleret statuit in futurum vt mandatoribus traderentur, vel intra diem quadragesimum distraherentur, sed quia leges feruntur in futurum, non in præteritum, vt si qua mancipia apud eos remanserint, de coëmptione anni præteriti vt ea distrahantur, sine temporis metis, id est cum emptorem inuenient.

Epis.36 *Nobis questus est Diaconum quendam, duo iuris sui, sub hac conditione manumisisse mancipia vt Monachi fieri, & in eodem Monasterio debuissent vbi ipse fuerat permanere.* Diaconus quidam duos seruos proprios manumisit, sub conditione, vt Monachi fierent, in eodem Monasterio, vbi ipse fuerat, vnus ex his Monasterium deseruit, & Clericus ordinatus est, Gregorius respondet lapsum reuocandum esse, nè manumittentis voluntas præteriri, id est impunè contemni valeat. Valet manumissio serui sub conditione vt Monachus fiat.

Epis.39 *Et si qui Episcoporum, quos commisi tibi patrimonij finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas.* Nè Episcopi, & Clerici habitent simul cum mulieribus exceptis in quas non cadit praua suspicio, puta matre amita, germana. L. Eum qui C. de Episcop. & Cleric. & si Episcopi in contubernio habeant mulieres, officium est Defensorum patrimonij Ecclesiæ Romanæ eos compescere. Alio casu Defensor habet iurisdictionem in Episcopum si lis sit inter Episcopum, & Clericum ex epist. 32. infr. lib. 9. can. peruenit 11. qu. 1.

Epis.37 *Sex siliquas per solidum lucri causa.* Maurus quasdam merces pretio quadringentorum solidorum à Felice suscepit & lucri, id est fœnoris nomine sex siliquas per solidum, id est in singulos solidos promisit. Siliqua est 24. pars solidi, lucro id est vsuris in vnum congestis, duas cautiones emisit, vnam de quadringentis quinquaginta, alteram de quinquaginta solidis, sed quia in mercibus emptis grauius damnum passus est, nec par erat soluendo solido, pro eo

intercedit vt venditor mercium sorte pretij sit contentus.

Quia notitia eiusdem donationis non esset de polyptichis caraxata, Romano defensori patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia mandauit Gregorius, vt Calixeno filio Stephaniæ, domum ab auia eiusdem Ecclesiæ donatam restitueret. De quo se excusauit Romanus, hac ratione quod notitia, id est charta donationis, non esset de polyptichis, id est gestis publicis in quibus referebantur donationes & instrumenta Ecclesiæ caraxata. Caraxare est insculpere scribere, pingere Augustin. de altercat. Eccles. & Sinagog. *Nam cum primum Moyses in monte Syna, caraxatas decalogo duplices tabulas accepisset.* Gregor. Tur. libr. 7. cap. 36. *Tu nè es pictor ille, qui tempore Clotharij Regis, pictoriâ arte parietes, atque cameras caraxabas.* Idem libr. 8. cap. 29. *Fredegundis duos cultros fieri præcepit, quos etiam caraxari profundius, & veneno infici iussit*, Papias *caraxare exinanire, scribere.* Notitia est charta vel instrumentum, vel descriptio seu inuentarium rerum vt infra hoc libr. epist. 73. *Mobilia porro prædictæ Ecclesiæ facta subtiliter volumus describi notitiâ.* Epist. 40.

Pacem quæ vtrisque partibus esset profutura. Gratia agit Agiulfo Regi Longobardorum de pace facta, de quo Paul. Diac. de gest. Longobard. lib. 4. cap. 8. & 10. Quàm pacis sanciendæ cum Longobardis studiosus fuerit testatur sup. h. libr. Epist. 41.

Vnde aut contentio quædam, aut ingratitudo nascatur, Ingratus sumitur pro non grato, ingratitudo, pro non grati & inuisi casu vt infra hoc libr. epist. 81. *Sed vt longius se ingratitudo nostra, quam tu tibi excitasti produceret.*

Quia excellentia vestra ad faciendam sè pacem studiosius & benignè sicut solet impenderit, Theodelindæ Longobardorum Reginæ gratulatur de pace facta, & eius studium in hac re commendat, de quo Paulus Diac. de gest. Longobard. libr. 3. cap. 9. Epist. 42.

Epist. 43. *Sed studeat inire iudicium, in quo vna eadmque cognitione & momenti & proprietatis causa valeat distingui.* Idem Gregor. epist. proxim. quæ est eiusdem argumenti. *Vestros ad iudicium homines transmittatis, in quo & momenti & proprietatis valeat quæstio terminari.* Et rursus epist. 100. infr. hoc libr. *Quia legali prouisione decretum, tam momenti, quam proprietatis causam, in vno eodemque iudicio debere cognosci.* Vnde sumptum cap. 1. de caus. poss. & propriet. Causa possessionis & proprietatis, vno eodemque iudicio terminari debet l. ordinarij C. de rei vindic. d. cap. 1. de caus. poss. & propriet. cap. 1. de sequestr. possess. & fruct. Causam momenti, appellat causam possessionis, quia in causa possessionis, possessio momentanea, seu prouisionalis momento temporis, & celeriter reformatur, submota appellatione l. vnic. C. si de moment. possess. fuer. appellat. Symmach. libr. 10. epist. 41. *In causis quibus momenti reformatio postulatur appellationes recipi non oportet.*

Aut certè actores Ecclesiæ suæ cum eo faceret subire iudicium. In causis Ecclesiasticis non alius conueniendus est, quam Oeconomus Ecclesiæ quem Episcopus elegerit. L omnes qui §. hoc nihilominus C de Episc. & Cleric. nou. 123 c. 23.

Epist. 44. *Si possessio ipsa decessore vestro consentiente restituta est, & à dicto viro possessa, sine aliqua eam facite contentione restitui.* Manente scilicet proprietatis sicut in eodem iudicio constitutum est quæstione, spoliatus ante omnia restituendus est, salua proprietatis quæstione L meminerint C vnde vi. can. redintegranda. 3 quæst. 1. can. non oportet. 3. quæst. 2. cap. cum aliquibus de sen. & re iudicat. Et hoc est quod ait Gregorius infr. hoc libr. epist. 130. *Quamquam ante iudicium possessio ei debuerat violenter ablata restitui.* Et Suger. in Ludou. Crasso. *Qui Comitem conueniant extraordinariè expoliatum, ordinariè vestiri, ore defensoris præcipiant.* Iuo Carnot. epist. 73. *Vnde etiam dicebat prius se esse reuestiendum, antequam transiret ad actionem aliarum causarum.*

Nec

Nec vobis prædictus vir importunus, denuo cogatur existere. Importunus barbaricum pro graui molesto, quasi non opportunus. Alio loco est nomen proprium vt infr. hoc libr. epist. 52. Importunus Atellanæ ciuitatis Episcopus.

Sub breui annotari. Breuis libellus seu annotatio supr. lib. 6. epist. 37. *Iuxta breue vestris epistolis insertum*, & infr. lib. 12. epist. 9. *De breuibus suis deleri facias.* Lupus Ferr. ep. 80. *Breues etiam quos de facultate Monasterij vestri mittere debuistis.*

Deuote se tibi accommodare non deneget. Accommodare idem quod commodare. Vt infr. hoc libr. epist. 60. *Nostrum in his accommodamus assensum.*

Vel si placet hinc dirigimus, quæ ab antiquitate seruata in scrinijs habemus. Epist. 47 Concilia tutioris fidei causa seruata inscrinijs apostolicis. Sacri codices etiam seruati in archiuis Ecclesiæ. Augustin. in Breuic. collat. *Quod catholici, quoniam tunc inquirere, & ad horam veteres chartas in archiuis ecclesiasticis discutere non poterant.*

Et si ea in eo, quæ in textu Heptatici morte mulctata sunt. Epist. 49 Heptaticum vocat septem priores libros veteris testamenti, hi sunt Genesis Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomum, Iosue, Iudicum, quos sequuntur libri Regum, Heptaticum vocat, & infr. libr. 12. epist. 30. *Codicem autem Heptatici de substantia Antonini, dari volumus in Monasterio Prætoriano reliquos tecum deferri.* Eadem appellatione vtitur Reg. Bened. c. 42. *Et legat vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes, non autem Heptaticum, aut Regum &c.* Heptateuchum Hieronymus.

Vos autem qui viam vitæ præsentis extra hominum frequentiam ducitis, tanto maiora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse tentationum magister accedit. Epist. 53 Monachi in solitudine tentationibus valde obnoxij, maximè de præteritis vt subiungit Gregorius infr. *Antiquus vero hostis*

mox vt ociosam mentem inuenerit, ad eam sub quibusdam occasionibus locuturus venit, & quædam ei de gestis præteritis ad memoriam reducit. Idem Gregorius Moral. libr. 8. cap. 3. & libr. 9. cap. 39.

Hinc est etiam quod quotiens in quatuor præcipuis sedibus Antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittunt. Patriarchæ post ordinationem ad se inuicem mittunt Synodalem epistolam, quæ fidei professionem continet, & est quasi vinculum. Eodem more Gregorius creatus Pontifex synodicam epistolam misit ad Patriarchas supr. libr. 1. epist. 4. & 24.

Sicque fit, vt quotidie deteriores fiant, dum in eis culpa grossescit. Grossesco vernaculum pro grossus, id est crassus fio. Eadem voce vsus est Gregorius vernaculi sermonis vsum non reiiciens in præfat. in Ezech. *Vt dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, ad subtiliores epulas auidius redeatur.* Idem Moral. libr. 25. cap. 22. *Quid ergo per pelles & cilicia quibus tabernaculum tegitur, nisi grossas hominum mentes accepimus.*

De ordinationibus vero Apostolicæ Sedis Pontificum, vtrum post beatissimum viram Hormisdam, aliqua sint addita vestra charitas requirit, sed vsque ad Vigilij Papæ tempora, expositas ordinationes Præsulum esse cognoscas. Secundinus Abbas quæsiuit, an in ordinatione Romanorum Pontificum, post Hormisdam Papam aliquid additum esset, rescribit Pontifex vsque ad Vigilij Papæ tempora, expositas id est certas & solennes fuisse ordinationes Pontificum, quia Vigilij ordinatio, minus canonica fuit, cum præter canones Syluerio per vim amoto Vigilius, in eius locum suffectus sit. De quo Anastas. in eius vit. & Syluerius ipse in epist. ad Amatorem quæ est in can. Guilisarius 23. quæst. 4.

Aloem vero, Thymiama, Styracem, & Balsamum sanctorum Martyrum corporibus offerenda latore præsentium defe-

rente transmiſimus. Maximus fuit cultus Martyrum, etiam Gentilium teſtimonio Libanius orat. 23. ἐισήγον δὲ τοῖς θεοῖς ἐχθρὲς, τὲς περὶ τὲς τάφες, *Inducebant vero Dijs inimicos qui tumulos colunt.* Ammian. lib. 27. *Quorum memoriam apud Mediolanum colentes, nunc vſque Chriſtiani locum vbi ſepulti ſunt, ad Innocentes appellant.* & infr. *interpellauit Eupraxius tunc Quæſtor, & parcius* inquit *agito pijſſime Principum, hos enim quos interfici tanquam noxios iubes, vt Martyres id eſt diuinitati acceptos, colit Religio Chriſtiana.* Ad memoriam Martyrum frequens erat conuentus Plebis. Hieronym. ad Lætam. *Mouetur vrbs ſedibus ſuis, & inundans populus, ante delubra ſemiruta currit ad Martyrum tumulos.* Idem ex perſonis Paulæ & Euſtochij ad Marcellam. *Et Martyrum vbique ſepulchra veneramur, & ſanctam fauillam oculis apponentes, ſi liceat etiam ore contingimus.* Auguſtin. in Pſalm. 120. *Quemadmodum & Dominus pluuiâ ſua temporali dignatus eſt terram irrigare, vt cum maiore gaudio vos non ſineret ire ad locum Martyrum, ſicut heſterno die promiſeramus.* Idem in pſalm. 123. *Fratres veniat in mentem charitati veſtræ, ſi qua fortè feſtiuitas Martyrum, & locus aliquis ſanctus nominatur, quo certo die turbæ confluunt ad celebrandam ſolemnitatem.* Idem Io. Chryſoſt. in pſalm. 115. Martyrum corporibus, offerri ſolebat Thus, ſiue incenſum aloë, ſtorax, balſamum adolendi cauſa vt oſtenditur hoc loco. Alij offerebant pallam ſeu pallium, alius oleum alius ceram ad luminaria altaris Auguſtin. de tempore ſerm. 3. *Sunt enim multi qui vouent, alius pallam alius oleum alius ceram ad luminaria noctis.*

Imagines quas tibi dirigendas per Dulcidum Diaconum rogaſti miſimus. Quę fuerint imagines vnam ex his fuiſſe imaginem Saluatoris oſtendunt hæc verba quæ ſequuntur *Scio quidem quod imaginem Saluatoris noſtri, non ideo petis, vt quaſi Deum colas, ſed ob recordationem filij Dei in eius amore recaleſcas, cuius te imaginem videre conſideras.* De cul-

tu imaginis Saluatoris Sigibert. ad ann. 796. Baron. in Martyrolog. 11. Nouemb.

Ideoque direximus tibi Surtarias duas imaginem Dei Saluatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli continentes. Surcaria sic enim legendum pro Surtaria, est vestis genus, qua amictos Petrum & Paulum Apostolos in somnis vidisse Stephanum Papam scribit Regino 1. chronic. *Et vidi ante altare Dominum Petrum, & Magistrum gentium Dominum Paulum, & tota mente illos recognoui, de illorum Surcarijs.* Huiusmodi surcaria videtur fuisse penula Romipetarum, quos vocabant Romeos cui plumbeæ vel stanneæ imagines Saluatoris, & Beatæ Virginis, & Apostolorum Petri & Pauli assui solebant, in signum impletæ peregrinationis, è quibus non modicus census obueniebat Canonicis Ecclesiæ S. Petri de quo Innoc. III. lib. 1. epist. 570. *Ea propter dilecti in Domino filij, tam redditum quem de signis plumbeis, siue Apostolorum Petri & Pauli imaginem præferentibus, quibus eorum limina visitantes in augmentum propriæ deuotionis & testimonium itineris consummati, se ipsos insigniunt prædecessores nostri & nos ipsi percipere consueuimus, quam auctoritatem fundendi ea, vel quibus volueritis fusoribus concedendi, qui vobis tantum de ipsis respondeant vobis & per vos Canonicæ vestræ præsentium auctoritate concedimus, & præsenti pagina confirmamus.* Sic & pacis custodes Icunculas Beatæ Virginis albis caputijs affixas gestabant de quo Robert. Montensis in suppl. Sigebert. ad ann. 1183. & Rigord. de gest. Philippi August. Signum S. Guthlaci peregrinos ad eum venientes capucijs seu pileis affixum reportasse refert Ingulfus in chronic. Croyland. ex diplomate Kenulfi Regis Merciorum *Insuper peregrinos omnes, illuc causa deuotionis accedentes, & cum signo S. Guthlaci in suis capucijs, vel capellis recedentes, liberos & solutos ab omni passagio, & telonio vbicumque venerint per totum Regnum Merciæ perenniter esse volo.*

Et quia qui ista diligit, somnium vigilans videt. Docet Epis.54
Adeodatam illustrem matronam, vt spectet res seculi, quasi somnium vigilantis. Eadem est sententia eiusdem Scriptoris Moralium lib.4. cap.33. *Qui igitur tot phantasmata cordi imprimit quid aliud iste quam somnium vigilans videt.* Poëtarum figmenta,& aniles fabulas somniū vigilantis vocare videtur & Tertullian. de anima cap. 32. *Pauum se meminit Homerus Ennio somniante sed Poëtis nec vigilantibus credam.* Similiter Terent. in Andria. *Num ille somniat, ea quæ vigilans voluit.*

Si ergo tantæ considerationis Paganus vir fuit, quanto ma- Epis.55.
gis nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non dolemus. Paganum vocat Abrahamum, respectu Sacerdotum,si Abraham inquit vel Paganus pro sepultura pretium non accepit, quid nos inquit Sacerdotes facere debemus. Paganus hic accipitur pro laïco seu priuato, & hoc sensu opponitur Sacerdoti.

Quæ si manifestè culta sunt, & ipsa sine ambiguitate ali- Epis.58
qua volumus restitui. Lege tulta. tulta barbaricum pro sublata à Tollo. Eadem analogia vsus est Gregor. Moral. lib. 18.cap. 16. *An non Matthæus in terra inuentus est, qui terrenis negotijs implicatus, telonij vsibus seruiebat, sed de terra tultus in fortitudinem ferri conualuit.* Alij codices legunt sublatus, alij cultus sed sanior lectio tultus, Anastas. in Adriano *Beati Petri iustitias & abstultas ciuitates,* & infrà *abstultas ciuitates, & omnes iustitias beati Petri.* Gregorius simplicitatis amans vulgari sermone delectatur. Simili ingenio Sidonius Aruernorum Episcopus libr.4. ep. 10. *Litteras vsuali sermone contexo.*

Et à cunctis debitis cautionibus restitutis. De iure locutus, Epis.59
quia solutio vel remissio debiti probatur restitutione cautionis seu chirographi. L.2.& 3.ff.de pact. L. creditricem C.de remiss. pignor. Ambros.offic. lib.1. cap.32. *Est etiam illa beneuolentiæ liberalitas, vt si quod habes debitoris*

chirographum scindens restituas, nihil à debitore consecutus debiti. Augustin. de tempore serm. 120. *Nam dum tantum reum benignè relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conscripsit securitatem.*

Epist. 62 *Cunctos qui rei esse clarverint, Dominici corporis, & sanguinis participatione priuare vos conuenit, atque eos vestris epistolis strictius admonere, vt litanÿs & orationibus operam dent.* Excommunicatio est pœna canonica, quâ quis priuatur à participatione Sacramentorum, & hoc distat ab anathemate quod excommunicatio à fraterna societate separat, id est à communione fratrum & participatione Sacramentorum, anathema à Christi corpore quod est Ecclesia recidit can. Eugeltrudram 3. quæst. 4. can. nemo Episcoporum 11. q. 3. Vnde anathema est maior excommunicatio, postquam Ecclesia non habet vltra quid faciat, cap. cum non ab homine de iudic. de quâ Augustin. libr. de corrept. & gratia cap. 15. *Corripiantur itaque à Præpositis suis subditi fratres, correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus, vel amplioribus, quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam fecit episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest si Deus voluerit, in correctionem saluberrimam cedere, atque proficere.* Can. corripiantur 24. qu. 3.

Hoc tamen sollicitè vos prouidere necesse est, vt ÿs qui mortis vrgentur periculo, viaticum non negetur. Pœnitentibus vel excommunicatis, in extremis positis τέλειον ἐφόδιον, *sacrum viaticum* non negatur Conc. Nicen. can. 12. can. de his 26. quæst. 6.

Epist. 63 *Quia Alleluia dici ad Missas, extra Pentecostes tempora fecistis.* Quibusdam obmurmurantibus quod Gregorius Alleluia ad Missas extrà Pentecostes tempora cantari moris sui faceret. Respondit hunc vsum de Hierosolymitana Ecclesia in Romanam deductum ex traditione B. Hierony-

mi, tempore Damasi vt subiicit infr. hac epist. *Nam vt Alleluia hic diceretur de Hierosolymorum Ecclesia, ex beati Hieronymi traditione tempore Beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum.* Licet in Ecclesia Romana Alleluia in festo Paschatis tantum decantari moris fuisse tradat Sozomen. l. 7. cap. 19. & Io. Diacon. lib. 2. cap. 20.

Quia Subdiaconos spoliatos procedere. Subdiaconi Ecclesiæ Romanæ spoliati, id est lineis strictis amicti procedebant ex veteri consuetudine Ecclesię & hoc est quod ait Gregorius infr. *Subdiaconos autem vt spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit.* Dalmatica erat vestis Diaconorum, linea stricta vestis Subdiaconorum. Et hoc est quod ait Gregor. infr. *Vnde habent ergo hodiè vt Subdiaconi, lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc à matre sua Romana Ecclesiâ perceperunt.* Io. Diac. lib. 2. cap. 20.

Quia Kyrie-eleison dici. Gregorius Kyrie-eleison ad Missas à Clero cantari instituit Sigebert. ad ann. Chr. 592. *Hic inter multa quæ vtilia Ecclesiæ fecit & instituit, Antiphonarium regulariter centonizauit, & vtiliter compilauit Kyrie-eleison à Clero ad Missas cantari præcepit, Alleluya ad Missas extra quadragesimam dici fecit.* Et Gregor. ipse infr. in hac epist. *Kyrie-eleison autem nos neque dicimus, sicut à Græcis dicitur, quia in Græcia simul omnes dicunt, apud nos autem à Clericis dicitur, à populo respondetur &c.* Io. Diacon. lib. 2. cap. 21.

Quia orationem Dominicam, mox post Canonem dici statuistis. Gregorius orationem Dominicam ad Missas post Canonem recitari præcepit, ex consuetudine Apostolorum & hoc est quod infrà subiungit *Orationem autem Dominicam, idcirco mox post Pacem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem, oblationis hostiam consecrarent, & valde mihi inconueniens visum est, vt precem quam Scholasticus composuerat super oblationem diceremus, & ipsam traditionem quam Redemptor noster composuit*

super eius corpus & sanguinem non diceremus &c. Oratio Dominica mox recitatur post Canonem. Canon est oratio quæ dicitur à Sacerdote ad oblationem, in confectione Sacramentorum. Ordo Roman. de sacrific. Missæ cap. 12. *Orationem quam canonem, siue actionem, propter regularē sacramentorum confectionem Romano more appellamus.* Quis composuerit apertè non legimus, nisi quod S. Gregorius quendam Scholasticum illam composuisse testatur, &c.

Nam de Constantinopolitana Ecclesiâ, quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam. Ante Synodum Constantinopolitanam primam, Episcopus Constantinopolitanus, erat suffraganeus Perinthij, seu Heracleensis Metropolitani, sed huius Synodi can. 3. factus est primus Patriarcha post Romanum Pontificem, exinde Patriarcha C.P. primum à Romano Pontifice locum obtinet, Syn. 6. in Trull. can. 36. can. Renouantes 22. dist. Nou. Iustin. 131. cap. 2.

Tamen si quid boni, vel ipsa vel altera Ecclesia habet ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Nonnullis obmurmurantibus Gregorio quod nouas consuetudines induceret, & Constantinopolitanę Ecclesiæ consuetudines amplecteretur, hoc responso eis satisfecit. *Romanam Ecclesiam non dedignari consuetudines aliarum Ecclesiarum imitari*, Cui congruit eiusdem responsum ad Augustinum Anglorum Episcopum. *Sed mihi placet vt siue in Romanâ, siue in Gallicorum, siue in qualibet Ecclesia aliquid inueneris, quod plus omnipotenti Deo possit placere sollicitè eligas, &c.* Can. nouit. 12. dist.

In quodam enim crimine Bizacenus Primas fuerat accusatus, & pijssimus Imperator eum iuxta statuta canonica per nos voluit iudicari. Causæ Episcoporum, & Primatum pertinent ad Sedem Apostolicam, & hoc est quod de eodem dicit infrà hoc loco. *Nam quod se dicit Sedi Apostolicæ subjici, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episco-*

pus

pus subiectus non sit. Vnde sumpta est pars can. de Constantinopolitana 22. dist.

Quia & hominibus incognitis passim nos credere non debemus. Primas Bizacenus criminis accusatus apud Gregorium, à Martino quodam Afro, sed homini incognito Gregorius non duxit temerè credendum, maximè aduersus Episcopum. Aduersus Episcopum non admittuntur accusatores, nisi idonei, id est omni exceptione maiores can. testes. can. Sacerdotes 3. qu. 7.

Ad eundem Episcopum reuerenter accede, & sicut causæ meritum cognoueris, apud eum non Defensor culpæ sed potius intercessor existe. Epist. 65 Præcipit Vitali Defensori Patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sardinia, nè Clericos ob culpam vel delictum conuentos, tueatur aduersus Episcopum, sed pro eis intercedat, si ita visum fuerit. Eiusdem argumenti est epist. prox. Defensoris officium quale sit docet Gregorius infr. libr. 9. epist. 32. vnde sumptus est can. peruenit. 11. quæst. 1.

Et si quidem serui sunt, verberibus, cruciatibusque, quibus ad emendationem peruenire valeant castigare, si vero sunt liberi inclusione digna, districtaque sunt in pœnitentiam redigendi. Epist. 66 Etiam hac ætate erant idolorum haruspicum, & sortilegorum cultores, quos si verbo prædicationis ad sanam frugem reuocari non possint, si serui sint verberibus & cruciatu corporis, si liberi custodia & carcere coërcendos esse præcipit. Liberi mitius puniuntur quam serui, liberi cæduntur fustibus, serui flagellis L. in seruorum L. capitalium §. non omnes ff. de pœn. nobiles mitius quam ignobiles can. qui contra 24. qu. 1. Gunterus in Ligurin. libr. 5.

Ante grauem quam fuso sanguine pœnam
Excipiat, si liber erit de more vetusto
Impositum scapulis ad contigui Comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre
Seu alius sellam.

Indicatum etiam nobis est, quod laïcis quibusdam curam vestri patrimonij committentes. Ianuario Episcopo Caralitano Sardiniæ præcipit, nè laicis demandet curam patrimonij ecclesiastici, sed Clericis idoneis, & hoc est quod subiungit his verbis. *De cætero vero cauendum à fraternitate vestra est, nè secularibus viris, atque non sub regula nostra degentibus res ecclesiasticæ committantur.* Ratio quæ mouit Pontificem est, quod Clerici si male se gesserint, in administrandis rebus Ecclesiæ faciliùs vt subditi emendari valeant, quam laici, inde sumptus est can. iudicatum 89. dist. Defensores patrimonij Ecclesiæ Romanæ erant Subdiaconi. De quibus can. valde necessarium 94. dist. can. Probinum. can. de præsentium 16. qu. 1.

Epist. 70 *Vectano qui Comes fuit in Misinati Castello.* Comes hic pro Præposito castri, passim Comes pro Præfecto ciuitatis, vel etiam castri vt infr. lib. 10. epist. 12. *Anio Comes castri Aprelienſis Firmensis territorij.*

Viginti vrnas vini per duos annos de insula Prochita. Prochita insula in Puteolano sinu, vini ferax de qua Plin l. 3. cap. 6.

Epist. 73. *Asserit enim se in murorum vigilijs vltra vires suas vehementer affligi.* Intercedit pro Theodosio Abbate Monasterij, quod à Liberio Patricio, in Campaniæ partibus fundatum, vt à murorum vigilijs excusetur, vel saltem leuetur. Clerici & Monachi non excusantur à murorum vigilijs cap. peruenit de immunit. Eccles. neque ab instructione itinerum, & pontium, quia non sunt sordida munera L. 7. C. de SS. Eccles. l. 1. & 2. C. de Episc. & Cleric. l. 21. & 22. C. Th. de extraord. munerib. Eâ ætate maximè etiam Clerici & Monachi tenebantur onere vigiliarum, propter metum & insultus Longobardorum de quo infrà h. libr. epist. 78. & passim. Nemo excûsatur à vigilijs propter necessitatem publicam d. cap. peruenit, Hispanis ad se transeuntibus Ludouicus Pius in iugis Pyrenei sedes con-

cessit sub onere excubiarum, ex præcepto speciali, *Et excubias, quod vsitato vocabulo Vvactas dicunt facere non negligant.*

Multum tamen à nobis petitio Domini Callinici Exarchi vt temperantius erga te ageremus exegit. Epist. 81 Mitius agit cum Maximo Salonitano Episcopo, precibus Callinici Exarchi Rauennatis.

Quem ad præsens Præpositum esse decernimus, vt si eius vita tuæ fraternitati placuerit, hunc post aliquantum temporis, eorum Patrem debeas ordinare. Epist. 91 Barbatianus Monachus, fit Præpositus, id est Prior Monasterij, post aliquod tempus, Pater id est Abbas ordinandus, si visum fuerit. Præpositi officium seu dignitas est proximus gradus ad officium Abbatis. Præpositus Monasterij est primus post Abbatem.

Quia Monachorum congregatio, quæ in Monasterio Præcoritano consistit, pro sacris Missarum solennibus peragendis Presbyteri indigere probatur officio. Epist. 92 In singulis Monasterijs vnus ferè erat Presbyter, qui è Monachorum congregatione ordinabatur, qui in Monasterio sacra Missarum solennia perageret, vnum è Monachis Monasterij Præcoritani quod est apud Panormum ciuitatem Siciliæ ad hoc ordinari præcipit Gregorius.

Atque eum nec in Ecclesia, nec in alio loco obseruare. Vnus è Monachis Præcoritani Monasterij Presbyter ordinari iubetur, vt ibi sacra Missarum solennia peragat, ita vt nec in Ecclesia, id est Ecclesia Parœciali loci, nec alio loco obseruare, id est Missas & alia officia celebrare valeat. Obseruare dicuntur Presbyteri & Clerici ordinati in Ecclesia, inde obseruantes Clerici qui intitulati sunt, certis in Ecclesijs. Conc. Aurelianens. 4. can. 26. *Si quæ Parochiæ in potentum domibus constitutæ sunt, vbi obseruantes Clerici ab Archidiacono ciuitatis admoniti.*

Habitatoribus Capreæ insulæ. Epist. 99 Habitatores Capreæ insu-

læ, quæ est in Istriâ, à schismate redeuntes recipiuntur.

Ep. 102 *Cognoscat præterea gloria vestra homines Regis, qui huc transmissi sunt, imminere vt in pacto debeamus subscribere.* Gregorius pacem fecit, quibus conditionibus potuit, cum Agilulfo Rege Longobardorum. Instabant legati Regis, vt Pontifex pacto pacis subscriberet, sed is pontificiæ maiestatis tuendæ studiosissimus, per se subscribere non acquieuit, sed per vnum ex Episcopis, vel per Archidiaconum Ecclesiæ Romanæ. Vt significat ipse his verbis quæ sequuntur *Sed si tantum est glorioſum fratrem nostrum* (intellige Marinianum Archiepiscopum Rauennæ) *vel de Episcopis vnum, aut certè Archidiaconum subscribere faciemus.* Eodem Regiæ maiestatis colendæ ingenio Atahlaricus Rex Gothorum Senatui Romano se leges seruaturum iurauit per Sigismerem Comitem apud Cassiodor. 8. Var. 2. *Illustrem Sigismerem Comitem nostrum, vobis cum his qui directi sunt, fecimus Sacramenta præstare, quia inuiolabiliter seruare cupimus quod publica auctoritate promittimus.* De Theuperga Augusta comiter, & vxoriè tractanda, per duodecim Comites coram legato Pontificio Sacramentum præstitit Lotharius, de quo Nicolaus 1. epist. 58. *Denique quando Lotharius Rex vxorem sibi debitam sæpe fatam scilicet Theupergam in præsentia missi nostri resumpsit, duodecim illustres Comites iuramento sua vice repromittere iussit se de cætero ita Theupergam fore retenturũ & tractaturũ quemadmodũ Regem legitimã coniugẽ suam Reginam retinere conuenit & tractare.* Sic Lãdulfus Princeps Capuanus Aligerno Abbati Cassinensi per duodecim Capuanos nobiles præstito iuramento promisit se Abbati omnia iura intra ditionem Capuanã integra seruaturum Leo Ostiens. chronic. Cassin. lib. 2. cap. 15. *Hic Princeps prædicto Abbati sub iureiurando firmauit duodecimque Capuanos Nobiles itidem iurare fecit totam ex integro Abbatiam cum omnibus omnino intra Capuanum principatum ipsius iuribus se seruaturos.*

Sauinus si quidem frater & Coëpiscopus noster, ad nos ve- Epi.104
niens, graues nobis ciuium suorum, querelas innotuit. Id est notas fecit. Innotescere pro actiuo sumitur vt infr. h. libr. epist. 111. *Præterea communis filius Petrus Diaconus nobis innotuit.*

Insinuauit nobis, latrix præsentium Angela Abbatissa, Epi.107
quod intra Monasterium ipsius milites hospitentur. Vetat nè milites in Monasterio Virginum metatum seu hospitium habeant. Clerici excusantur ab onere suscipiendorum hospitum L. placet C. de SS. Eccles. l. 1. & 2. C. de Episc. & Cleric.

De quibus Theodorus vir magnificus Maior populi ad nos Epi.108
veniens. Theodorus maior plebis Neapolitanæ, is est qui dicitur Curator Rauennæ supr. h. libr. epist. 102. sic Theodoricus maior populi Neapolitani infr. libr. 8. epist. 14. ind. 3. vulgò *le Maire.* Ad eum pertinet cura murorum, & portarum vrbis infr. l. 8. epist. 24. *Theodorico Maiori populi portas restituat.* Sic Maiores villarum fiscalium Flodoard. hist. Rhem. lib. 1. cap. 22. *Et Flotharium ac Vrsionem villarum Regiarum Maiores.*

Easdem Ecclesiæ imagines confregit, atque proiecit. Sere- Epi.109
num Massylienscm Episcopum arguit, quod intemperantiori zelo ductus, propter quosdam imaginum adoratores, Ecclesiæ suæ imagines confregit & proiecit, insignis locus est ex quo obseruatur cultus sacrarum imaginum. Eiusdem argumenti est epist. 9. infr. lib. 9. ad eundem scripta. Io. Diac. lib. 3. cap. 30.

Præterea communis filius Petrus Diaconus, nobis innotuit Epi.111
quod fraternitas vestra tempore quo hic fuit popposcerit vt sibi & Archidiacono suo, vtendi Dalmaticis licentiam præberemus. Dalmatica erat vestis propria Diaconorum Ecclesię Romanæ, Diaconis Arelatensibus Symmachum Papam speciali priuilegio perinde ac Diaconis Ecclesiæ Roma-

næ vsum Dalmaticarum concessisse scribit Cyprian. in vita Cæsarij Arelatensis apud Surium 27. Augusti. & Aregio Vapincensi Episcopo, & Archidiacono vsum Dalmaticarum concessit Gregorius hoc loco vnde sumptus est can. communis 23. dist. postea Dalmatica facta est vestis communis Diaconorum vt notat Gloss. in eodem can.

Epi. 112 *Cæteros vero Episcopos, secundum ordinationis suæ tempus,* In ordine Episcoporum, siue in sessione, in Concilio, siue in subscriptione spectatur tempus ordinationis, non dignitas Ecclesiarum ex hoc loco. Vnde sumptus est can. Episcopos 27. dist. Conc. Brachar. 1. can. 24. Tolet. 4. can. 3. Synod. Cabillonens. can. 6. Hoc colore Eusebius Vercellensis Episcopus in Synodo Ariminensi, cum Dionysius Episcopus Mediolanensis ab Arrianis deceptus, subscriptionis vinculo se obligasset quo eum à casu suscitaret, finxit sese Arrianum eorumque opinionem se amplecti, sed quod sibi Dionysius filius in subscriptione præponeretur ferre non posse, quo dolo delusi statim Dionysij chirographum expunxerunt, priorem subscribendi locum Eusebio deferentes, quo facto Eusebius eos derisit vt narrat Ambros. serm. 70. Speciali priuilegio Gregorius Syagrio Augustodunensi Episcopo priorem locum & ordinem post Lugdunensem Ecclesiam dedit, saluo iure Metropolitæ eidemque ius pallij dedit vt ante ait Gregorius his verbis *Hoc etiam pariter prospeximus concedendum vt Metropolitæ suo per omnia loco & honore seruato Ecclesia ciuitatis Augustodunæ, cui Omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat & hunc sibi locum & ordinem, ex nostræ auctoritatis indulgentia vendicare.* Ait saluo iure Metropolitani quia priuilegium Principis, semper conceditur saluo iure tertij. Sic Episcopus Hierosolymitanus honorem Patriarchatus accepit, saluo iure Metropolitani Conc. Nicen. can. 7. can. quoniam 65. dist. Is erat Cæsarienſis Archiepiscopus.

Quæque contulit in iure Monasterij, epistolis suis Apostolica petijt auctoritate firmari. Monasterium Arelatense à Childeberto Rege Francorum fundatum, & dotatum & eo petente fundatio auctoritate Vigilij P. firmata, cui accessit confirmatio Gregorij.

Menatem quendam Episcopum, qui illic de Diœcesi Romanæ Ecclesiæ, nostra ordinatione profectus est. Romanus Pontifex varijs modis spectandus est. 1. vt Episcopus Romæ vrbis. 2. vt Metropolitanus, cui parent Ostiensis & alij Episcopi, ad quos pertinet can. iuxta 93. dist. vnum ex his fuisse Menatem Episcopum qui dicitur de diœcesi id est de Prouincia Romanæ Ecclesiæ. 3. vt Primas Italiæ Siciliæ, & adiacentium Regionum 4. Tamquam Patriarcha totius Occidentis 5. Tamquam Episcopus Episcoporum, & Pontifex totius orbis Christiani. Epi. 117

Et seruatâ competenti filijs portione, fas illi sit de substantia sua iudicare quod velit. Syagria muliere quæ mutata veste, vitam religiosam elegerat, res suas piæ causæ impendere volente, Gregorius Virgilium Arelatensem, & Syagrium Augustodunensem Episcopos hortatur, vt eius studium adiuuent, & relicta liberis legitima, fas illi sit de cæteris disponere in piam causam. Piæ causæ minus studuit Augustinus serm. 2. de vit. commun. Cleric. *Quicumque vult exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat non Augustinum &c.* Can. quicumque 17. quæst. 4. Epi. 118

Perlatum si quidem ad nos, Vrsicinum Tauritanæ ciuitatis Episcopum post captiuitatem & deprædationem quam pertulit, graue in Paræcijs suis quæ in Francorum sita terminis perhibentur præiudicium pertulisse. Eiusdem argumenti est epistola proxima, vtraque est de restituendo Vrsicino Taurinæ ciuitatis Episcopo post captiuitatem & clades rerum suarum passas sede sua ejecto, quæ dicitur esse in Regno Francorum. Ea ætate Taurina ciuitas erat ditionis Franco- Epi. 119

rum à Longobardis armis erepta. Bella à Francis aduersus Longobardos gesta narrat Paulus Diacon. l.3. cap.17. 22.lib.4.cap. 4. Gregorius Tur.lib.10.cap.3.

Epi 124 *Claudio in Hispanijs.* Hic est Claudius quo Duce Franci bellum inferentes Gothis considentibus in Gallia Narbonensi, quæ inde Gothia dicta est, memorabili prælio victi & fusi de quo Isidor. in chronic.an. 635. Ob res bene gestas eum gratia multum valuisse apud Recharedum Regem Gothorum significat Gregorius his verbis. *Magna autem vestræ laudis datur assertio, quod excellenti Gothorum Regi, vestra gloria sedulè adhærere perhibetur.*

Cyriacum Monasterij nostri patrem, vestræ gloriæ commendamus. Cyriacum Monasterij sui patrem id est Abbatem Responsalem seu Apocrisiarium destinatum in Hispaniam commendat Claudio Duci. Eundem legationis Hispaniæ causâ transeuntem per Gallias commendat Sereno Episcopo Massylienſi supr.h.lib.ep.109. Io.Diacon. lib.3.cap.30.

Epi.125 *Nisi enim prius in se faces ardeant, alium non succendunt.* Eadem sententia Gregor.Moral.lib.4. cap.30. *Neque enim res quæ in se ipsa non arserit, aliud accendit.*

Epi.126 *Item Anagnostico, ante longum tempus dulcissima mihi vestra excellentia, Neapolitano quodam iuuene veniente mandare curauerat, vt pijssimo Imperatori scriberem quatenus pacta in Cartophylacio requireret, quæ dudum inter piæ memoriæ Iustinianum Principem, & iura Regni vestri fuerint emissa.* Quæ fuerint pacta pacis inter Iustinianum, & Regem Gothorum, desideratur. Recaredus à Gregorio petijt vt scriberet Mauritio Imperatori, de inquirendis, in Carthophylacio, seu archiuo publico pactis, quæ inita fuerant inter Iustinianum, & Regem Gothorum, sed Gregorius ei respondet, Carthophylacium tempore Iustiniani ita flammis consumptum, vt penè nulla charta reliqua fuerit. His pactis Iustinianum Gothis cessisse iure Hispaniæ

reor

reor, dempta fortè Cantabriâ, hanc enim reuocatam à Gothis, *à parte Imperij* scripsit Fredegarius cap. 33. Anagnostico, id est anagnostæ seu lectori.

Tantis enim podagræ, tantisque molestiarum doloribus pre- Epi. 117
mor, vt vita mea mihi grauissima pœna sit. Passim de ægritudine podagræ queritur vt supra hoc libr. epist. 53. & inf. lib. 9. epist. 25. 27. & 38. & lib. 8. epist. 35.

De sex vero Centenarijs, qui in Cimeliarcho Rauennatis Ec- Epi. 118
clesiæ fuerant commendati ab excellentissimo Exarcho in quotidiana militum præfectura sunt mutuati. Centenarij sunt centeni numi, seu aurei, qui mutuati id est mutui sumpti erant in stipendia militum, de his rursus infr. *Quatenus sicut nouerunt expensa centenaria ipsi restituant.* Centenarium vox Latina quâ eadem significatione vsi sunt Græci. Suidas κεντεναρίον νομισμάτων ποσότης *Centenariorum nummorum quantitas.* Dorotheus doctrin. 1. ἀφεῖμεν τὸ μικρὸν ἐργαλεῖον, ἐκεῖνο ποιῆσαι ἐν ἡμῖν, τόπον κεντεναρίᾳ, *Et permittimus, vt illud instrumentum, fiat nobis loco centenarij.*

De quo si ita est, quia per eum iam tres antea Archidiaco- Epi. 129
ni seruare consuetudinem ecclesiasticam, qui quinquennio expleto exeundo compulsi sunt. Archidiaconi munus non erat perpetuum. Sidon. lib. 4. epist. 25. *Archidiaconus in quo seu gradu, seu ministerio, multum retentus propter industriam,* Honoratus Archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ à Natale Episcopo Presbyter ordinatus, & hac arte loco submotus, auctoritate Pontificis suo loco restitutus est, de quo libr. 2. epist. 16. ind. 10. can. Honoratus 74. dist. Sed quia mos Ecclesiæ esse ferebatur vt Archidiaconi non ferrentur vltra quinquennium, expleto iam quinquennio Pontifex pro eo intercedit apud Maximum Episcopum, nè remoueatur.

Flagellum cæcitatis. Intercedit pro Philagrio cæco Ian- Epi. 130
uensi, vt excusetur ab onere collectæ, nè satis cæcitatis flagello, & quasi pœna grauatus, alio onere præ-

grauetur. Hæc epist. scripta est ad Constantium Episcopum Mediolanensem quia Ianua quæ erat patria cæci, erat Metropolis Mediolanensis supr. lib.2.ind.1.epist.30.

AD LIBRVM OCTAVVM.

Epist. 1. *IN Prouincia Valeria.* Hæc est tertia & decima Prouincia Italiæ, quam inter Vmbriam, Campaniam & Picenum locat Paulus Diacon.de gest. Longobard. libr.2. cap.20. eiusdem meminit Gregor. dialog. libr.1. cap.11. Alia prouincia Valeria pars Pannoniæ, ita cognominata à Valeria filia Diocletiani, & in eius honorem instituta, de qua Ammian. lib.19. Ambros.2. de fid.cap.4. Zozim.lib.2.L. vlt. C.Th. Qubus equor. vsus.

Quia alterius acquisitionis ius effugit, quod semel Monasterij fuerit dominio sociatum. Semel oblata Monasterio non possunt reuocari Concil. Chalced. can. 24. can. quæ semel 18.qu.2.

Epist.2. *Et quia quædam in hanc vrbem sanctimoniales fœminæ, ex diuersis Prouincijs fugientes, post captiuitatem venerunt.* Temporibus Gregorij Sanctimoniales ex diuersis Prouincijs Italiæ, fugâ sibi consulentes, à feritate Longobardorum Romam secesserunt, quæ admissæ sunt in Monasterijs & quas Monasteria capere non poterant, in priuatis ædibus habitarunt. Tria millia Sanctimonialium Romæ sumptu Ecclesiæ alta scribit Gregor. supr. libr.6. ind. 15. epist.23.

Vnde actum est vt simul omnes, pro vita Dominorum concorditer orarent. Mauritius Augustus, triginta libras auri dedit, quæ Clericis egenis Sanctimonialibus & alijs pauperibus erogatæ sunt, in cuius eleemosynæ gratiam, ab accipientibus vno animo oratum pro salute Dominorum, id est Mauritij & Theodosij eius filij vt infr. libr. 9. ep. 39. *Vnde & pro eisdem Dominis, quotidie nobis orandum est, vt eorum vita cum suis omnibus protegente cœlesti gratia, per longa tempora, & tranquilla seruetur.* & infr. eod. libr. epist. 40. *Et pro vita pijssimi, & Christianissimi Imperatoris Domini nostri & tranquillissima eius coniuge, & mansuetissima sobole semper orandum.* Fidelium mos antiquus fuit etiam tempore persecutionis, orare pro salute Principis. Tertull. Apologetic. cap. 30. 35. Ambros. in orat. funebr. Valentinian.

Qui ad recolligenda mancipia ipsa, illuc directi sunt. Epist. 4. Mancipia Romani, quæ latitabant in Sicilia recolligi præcipit. Recolligi dicuntur, serui fugitiui qui requiruntur, vt infr. libr. 10. indict. 5. epistola 40. *Pro recolligendis mancipijs.* Inde infr. in hac epistola *Recollecti* dicuntur serui requisiti. Rursum colligere, pro recolligere dixit Gregor. lib. 13. moral. cap. 9. *Et sæpe dum possessa effusè tribuimus, ad auaritiam ducimur, quia rursum colligere quærimus quod tribuamus.*

Theodoro Curatori. Is fuit Curator Rauennæ de quo sup. Epist. 7. lib. 7. ind. 2. epist. 102.

Quia Ioannes glorioſissimus filius noster Præfectus Vrbis. Commendat vxorem Ioannis Præfecti vrbis, vt militari subsidio tuta perducatur, nè Præfectus diuisus, id est segregatus ab vxore maneat, eiusdem argumenti est epist. prox.

Post subditam de suscepto paginam. Pagina de suscepto, Epist. 10 est chartula quæ fidem facit de suscepto id est de recepta quantitate pecuniæ, vel alia re. Susceptum vocat infr. h.

libr. epist. 44. *De cæteris vero rebus, quæ apud nos sunt, pro memoria futuri temporis, ex eisdem susceptum emittite.*

Epist.11 *Basilium Episcopum velut vnum de laicis.* Suggillat Basilium Episcopum Capuanum, quod causis secularibus occuparetur, & prætoria iudicum, velut vnus è laicis obseruaret. Turpe est Episcopum videri in foro.

Epist.12 *Monasterij sancti Archangeli.* Redarguit Godiscalcum Ducem Campaniæ quod diripi fecerit Monasterium sancti Archangeli de quo Io. Diacon. lib. 3. cap. 46.

Diuersorum enim nobilium serui. Diuersi pro varijs eadem analogia mox infrà *Diuersorum Monasteriorum Monachi.* & infr. lib. 10. epist. 16. *Quicquid vel ipsi, vel diuersis dandum suffragatoribus fuerit.* Papias. *Diuersus pro vario.*

Multorum Iudicum homines, Id est subditi foro & iurisdictioni Iudicum.

Epis.15. *Codices Monasterij sui atque vela.* Ecclesiarum & Monasteriorum foribus vela appensa. Hieronym. ad Heliodor. *Erat ergo sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta.* Vela semper in ostijs. Episcopi vitæ genere Monachi cilicina vela foribus appensa obseruat Sidon. lib. 4. epist. 24. *Tripedes sellæ Cilicum vela foribus appensa.* Anastas. in Syluerio. *Et ad primum & secundum velum retinuit omnem clerum.*

Epis.16. *Sub paritatis vobis specie duplices extiterunt.* Duplex pro versipelli, vt infr. epist. 52. hoc lib. *Quia qui dormientibus purus sum, vigilantibus duplex esse non patior.*

Excessus gloriæ vestræ, bonitas superet. Excessus pro grauiori culpa, vel delicto vt infr. hac epist. *Nam si quando seueritatem excessus qualitas exigit.* Tertull. aduers. Marcian. lib. 1. cap. 29. *Multum differt inter causam & culpam, inter statum & excessum.*

Cuius vita vel actus, quia melius possunt, illic vbi diu est conuersatus agnosci, curæ tuæ sit cum fratre & Coëpiscopo nostro Fortunato, de eo diligenter inquirere. Amando Presbytero

in Episcopum Surrentinum electo, mandat de eius vita & moribus inquiri, in illis partibus vbi diu conuersatus est. Inquisitio de vita & moribus electi, debet fieri vbi quis natus vel diutius conuersatus est cap. scriptum ex. de elect. idem seruatum in probatione militum. L. 2. C. Th. qui probare debeant ad quamcumque milit. venientes. Probationem rei etiam debere fieri in partibus, vbi res acta est scribit idem lib. 12. epist. 1.

Fertur itaque quod annonas atque consuetudines Diaconiæ quæ Neapoli exhibetur, eminentia vestra subtraxerit. Epist. 20 Quęritur de Ioanne Præfecto Italiæ, quod annonas & consuetudines Diaconiæ, quæ constituta erat Neapoli subtraxerit. Neapoli & alijs locis vbi Ecclesia Romana certa patrimonia possidebat, constitutæ erant Diaconiæ, sicut in vrbe, in quibus à Subdiacono defensore patrimonij annonæ & consuetudines, id est certæ stipes de more pręstitari solebant, vnde Diaconia plerumque accipitur pro ipsa stipe seu erogatione, vt infr. libr. 9. epist. 24. *Constituentes vt de hoc quod ad mensas pauperum, vel Diaconiæ exhibitione percepisti, nulli vmquam hominum cogaris ponere rationem.* Cassian. collat. 18. cap. 17.

Martianus Monachus Monasterij sancti Viti, quod in Æthna monte est positum. Epist. 21 Monasterium S. Viti fuit ad radicem montis Ætnæ in Sicilia, cuius tam fœdus fuit lapsus, vt Monachi palam mulierculas sibi sociarent, quod emendari præcepit, eiusdem argumenti est epist. prox.

Præterea Monasterijs omnibus, fraternitas vestra districtius interdicat, vt eos quos ad conuertendum susceperint priusquam biennium in conuersatione compleant nullomodo audeant tonsurare. Epist. 23 Varium fuit tempus probationis Monasticæ. Olim professio non fiebat ante triennium Nou. Iustin. 5. & 123. cap. 35. Gregorius primùm tempus professionis post biennium esse statuit, cum voluit nè conuersi tonsurentur ante biennium vt cauetur hac epist. vnde sumptus

est can. Monasterijs 19. q. 3. postea ab eodem professio admissa post anni probationem can. Gonsaldus 17. qu. 2. cap. ad apostolicam de Regular. quod probauit. cap. non solum de Regular. in 6. Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 15.

Miles vero si conuerti voluerit, priusquam nobis renuncietur, nullus eum sine nostro consensu qualicumque præsumat ratione suscipere. Constitutione Mauricij interdictum est, nè milites in Monasterio suscipiantur, huic modus impositus est à Gregorio, nè suscipiantur, priusquam per triennium probati fuerint supr. lib. 7. epist. 11. ind. 1. can. legem 53. dist. Imò & hoc additum, nè milites suscipiantur sine auctoritate summi Pontificis, nè scilicet milites suscipiantur nisi causâ cognitâ & probatâ, putà an conuersionis studio, an militiæ fugiendæ causâ ambiant Monachismum.

Epist. 27 *Qui reliquorum Saponariorum ciuitatis vestræ vice se dixit esse transmissum.* Queritur de Ioanne Palatino, qui corpori Saponariorum ciuitatis Neapolitanæ ciuitatis, multa grauamina inferebat, & sibi vindicabat, quicquid vnusquisque socius eius artis corpori solueret pro introitu. Romæ Neapoli & alijs in vrbibus erant corpora seu collegia artificum, puta Saponariorum, id est Saponis artificum & alioũ. Corpora seu collegia artificum instituit Alexander Seuerus, & suos Defensores iudicesque eis dedit Lamprid. in eius vit. *Corpora omnium constituit vinariorum Lupinariorum, Caligariorum, & omnino omnium artium, hisque ex sese Defensores dedit, & iussit quid ad quos iudices pertineret.*

Vt si quis arti eorum sociari voluerit, quicquid commodi de introitu eius accesserit, ipsi proficiat. Saponarij & alij artifices, corpori seu collegio præstitabant certam pecuniam, pro introitu. Moris antiqui fuit vt quid solueretur pro introitu militiæ officij collegij corporis curiæ, Sa-

cerdotij. L. his verbis §. pen. & vlt. de legat. 3. Tranquill. in Claudio cap. 9. *Sestertium octogies pro introitu noui Sacerdotij coactus impendere.* Plin. libr. 10. epist. 39. *Ingens balineum defodiunt, magis quam ædificant, & quidem ex ea pecuniâ, quam Buleutæ addunt beneficio tuo, aut iam obtulerunt ob introitum.* & epist. 113. eiusd. libr. *Superest ergo vt ipse dispicias, an in omnibus ciuitatibus certum aliquid omnes qui deinde Buleutæ leguntur, debeant pro introitu dare.* Solatium & suffragium vocat L. vnicuique Cod. de proxim. sacr. scrin.

Pariter etiam prouidendum est, vt & pactum vbi sacramenta sunt præstita conseruetur. Vetat nè Saponarij recedant à pactis seu statutis de quibusdam artis suæ capitulis ex prisca consuetudine omnium consensu interposita pœna, id est vinculo pœnæ & iuramento firmatis. Pactum iuramento firmatum seruari debet, propter religionem iurisiurandi cap. Quamuis de pact. in 6.

Hanc olim ibi consuetudinem conuenisse, vt diuersis superuenientibus, ciues eiusdem ciuitatis de proprio expensas expenderent. Epist. 29. Consuetudo cuiuspiam ciuitatis fuit vt ciues superuenientibus hospitibus sumptum ministrarent. Cum hoc nimis graue esset, partem substantiæ Episcopo & Ecclesiæ donarunt, vt hoc onus in se susciperet. Sed quia absente Episcopo, Defensor patrimonij Ecclesiæ Romanæ in illis partibus, huiusmodi sumptum præstitit, scribit vt Episcopus conueniatur de restituendo sumptu in rem eius expenso.

Nam graue est satis & indecens vt in re dubia, certa dicatur sententia. Id est graue est, vt propter delictum dubium de quo non est probatio, certa detur damnatio. Vnde sumptus est can. graue 11. quæst. 3. Sidon. lib. 1. epist. 11. *Periniurium est, vt innocens, ac secura nobilitas, propter odia certa, crimine incerto periclitetur.*

De Alemanis autem quod nobis indicatum est. Alemani

Germaniæ populi, Saxonibus, & Francis contermini Hieronym. in vit. Hilarion. *Inter Saxones quippe, & Alemanos gens eius, non tam lata quam valida, apud historicos Germania nunc vero Francia vocatur.* De Alemanis & varijs eorum irruptionibus in Gallias Socrat. libr. 5. cap. 6. Gregor. Turon. lib. 1. cap. 30. Auson. in panegyric. Gratian.

Epist. 31 *Viginti annuos vestitus ad pueros vestros scripsimus præberi.* Libertinus Præfectus Siciliæ virgis cæsus, & bonis spoliatus à Leontio. de quo infr. epist. 51. huius libr. De aduersis eum solatur Gregorius hac epist. eique viginti annuos vestitus id est vestes pro pueris id est seruis suis præberi mandat, eiusdem meminit infr. libr. 12. indict. 7. epist. 13.

Epis. 33. *Quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementius stimulatam aiebat.* Vxor Leonis Cartharij virum dimisit & religiosam vestem induit, ob viri fornicationem, qua vehementer stimulata dicitur. Mulieri licebat diuertere à viro ob adulterium viri quod maxime castas exasperat L. consensu §. si qua C. de repud. Nou. 22. cap. 15.

Et Dominæ ea culpa, in huius afflictionis pœna familiam diu non teneat. Domina pro vxore. L. Pater §. 4. L. vxorem de legat. 3. Tranquill. in Claud. cap. 39. *Occisa Messalinâ, paulo postquam in triclinio decubuit, cur Domina non veniret requisiuit.* Martial. lib. 11. epigr. 8. *Hærebit Dominæ vir comes ipse suæ.*

Epis. 33. *Eulogium condidisse.* Eulogium hic sumitur, pro testamento ad piam causam. Agitur enim de testamento Episcopi, quo sex vnciæ Ecclesiæ, & totidem Monasterio relictæ sunt, alij Codices legunt elogium eodem significatu. Elogium enim sæpius pro testamento, L. quidam elogio. C. de iur. deliberand. licet aliàs sæpius pro maledicto vel conuicio quod apponitur institutioni, vel legato. L. cum quis decedens. §. sciam. de legat. 3. L. 3. de liber. & posthum. Leg. quotiens. §. si quis nomen de hæred. instit.

Senec.

Senec. controuerſ. libr. 2. cap. 7. *Deceſsit mercator, teſtamento hæredem omnibus bonis reliquit Formoſam, & adiecit elogium Pudicam reperi.* Apul. apolog. 2. *Elogium grauiſsimum iam totum mèdius fidius perſcriptum, vt aboleret impenſis precibus oraui.* Græcis verbis vſi ſunt Patres Latini etiam melioris æui. Syrum ſaltationis pro præmio ſaltationis à Græco κύρις quod ſignificat præmium dixit Ambroſ. ſerm. 81. *Et ſicut qui corporaliter ſaltat, volubilitate membrorum ſe exercens Syrum ſibi ſaltationis acquirit.*

Et nos inexpertis vel incognitis manus temerè non audemus imponere. Epiſt. 34 Temerè id eſt facilè ſine examine vitæ, & morum perſonæ, vt infr. h. libr. epiſt. 46. *De Epiſcopatu autem laudauimus, quod perſonam non temerè elegiſtis.* Chariſ. libr. 2. *Temerè pro facilè* Plautus in Bacchidibus. *Rapidus fluuius eſt hic, non hac temerè tranſiri poteſt.* Cato de Conſulatu ſuo, *ſi cuperent hoſtes fieri temerè fieri non poſſent.*

Qui me aliquid de Agnoitarum errore requirerent. Epiſt. 35 Eulogio Epiſcopo Alexandrino de Agnoitarum erroribus quid ſentiret requirenti reſpondet, & probat eius librum ſcriptum aduerſus Agnoitas his verbis quæ ſequuntur. *In multis enim eandem veſtram epiſtolam ita reperi, ac ſi contra prædictam hæreſim ſcripta Latinorum Patrum legerem.* Idem ſcribit inf. h. l. ep. 42. Eiuſd. ſcriptorũ meminit Photius in bib.

Et quidem de Sclauorum gente quæ vobis valde imminet & affligor vehementer & conturbor. Epiſt. 36 Sclaui qui tenebant Illyricum, inuadunt Hiſtriam de quo valde turbatur Pontifex, propter periculum Italiæ, quæ contermina eſt Hiſtriæ & hoc eſt quod ait his verbis quæ proximè ſequuntur, *Conturbor quia per Hiſtriæ aditum, iam ad Italiam intrare cœperunt* Hac de re Paulus Diaconus de geſt. Longobard. libr. 4. cap. 24. 25. De victoria de Sclauis relata gaudet ſupr. libr. 7. ind. 2. epiſt. 9. Vnde fortè captiuis bello factis, nomen Sclaui, quod eo bello multi vtrinque Captiui facti ſunt. Matth. Paris ad ann. 1226. ex litteris

Gregorij 9. ad Romanum Legatum Sedis Apostolicæ in Gallia aduersus Fridericum 2. *Centum Sclauos etiam quos domus hospitalis, & templi habebant, in Sicilia & Apulia colligi faciens eos reddidit Sarracenis*, idem ad ann. 1238. *Eodemque tempore Soldanus moriturus liberaliter legauit & vinctos Sclauos liberos multos, & alia multa opera charitatis fecerat.* Vel fortè inde nomen Sclaui quod gens Sclauorum liberos habet pro seruis. Gloss. in §. ius autem instit. de patr.potest.Inde Sclauinia vestis peregrinorum quod non differat à veste seruili. Cæsarius de miracul. libr. 12. cap. 40. *Tempore schismatis inter Ottonen & Philippum Reges Romanorum peregrinus quidam de transmarinis veniens partibus, Sclauiniam suam pro vino exponens in tantum bibit &c.* & idem cap.42. eiusd. libr. *Peregrinus quidam in villa quadam moriens, Sclauiniam suam Sacerdoti legauit.* Aliis potius est id nomen manare à Slauis Germaniæ populis, à qua varijs bellis infinitæ captiuorum turmæ abductæ, qui passim vt mancipia distrahebantur. Coniecturam iuuat Paulus Diac. de gest. Longobard. lib.1. cap. 1. *Ab hac ergo populosa Germania, sæpe innumerabiles captiuorum turmæ abductæ meridianis populis pretio distrahuntur.*

De Iuliano autem Scribone quid dicam. Scribo hic pro iudice vt innuunt verba quæ sequuntur, *& intus à iudicibus conturbemur.* & infr. hoc libr. epist. 50. *Qui egredientes cum Marco viro magnifico Scribone qui ad exhibitionem eorum venerat.* Alias Scribo pro Præfecto Satellitum Regiorum Suidas in verb. σκρίβας σκρίβωνι κατὰ λατίνους, ὁ τῶν σωματοφυλάκων ὑπερφέρων, *Scribo secundum Latinos vocatur satellitum Regiorum Præfectus.* Theophilact. Simocatt. lib.7. cap.3. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ ἕνα τινα τῶν τοῦ Βασιλέως σωματοφυλάκων, ὃν σκρίβωνα ῥωμαῖοι κατονομάζουσιν. *Postridiè quendam de satellitibus Imperatoris Romani Scribonem vocant.* Anastas. in Vigilio *quo audito Augusta misit Anthemium Scribonem cum iussionibus suis*, idem in Theodoro *Misit Rauennam per*

manus Maurini Scribonis, & Thomati Chartularij.

De Frontinianistis autem fraternitas tua sit omnino sollicita, & sicut cœpit studeat, quatenus ad sinum sanctæ Ecclesiæ reuocentur. Frontinianistæ hæretici.

Cognoscentes quale studium in præparandis Drumonibus gesseritis. Dromon nauis cursoria vt infr. libr. 11. epist. 38. *Vnde & Dromones eorum iam parati ad egrediendum nunciati sunt.* Isidor. Orig. lib. 19. cap. 1. *Dromones & cursoriæ.* Inde Dromonarij nauicularij, qui hoc genere nauium excurrebant per alueum Padi fluminis Cassiodor. libr. 2. Var. cap. 31. Epist. 37

Sed si delitioso cupitis pabulo saginari beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis. Innocentio Præfecto Africæ libros suos lectitari prohibet, Augustini libros legi suadet, quos siligineos, suos furfureos vocat. Hunc locum in humilitatis Gregorij argumentum laudat Ioan. Diac. lib. 4. cap. 78. Idem humilitatis studio libros in Iob se superstite ad vigilias legi vetuit infr. libr. 10. epist. 22. ind. 5. Augustinum Patriotam vocat, Patriota idem quod popularis, alijs Compatriota. Thom. Cantipratens. lib. 2. apum cap. 28. *Et quoniam mos est in alienis maximè terris Compatriotas sibi inuicem congaudere.* Papias. *Compatriota vnius patriæ commune est.* Conterraneus Plinio. Et patria pro pago Arnob. in psalm. 104. *Cum vna lingua latina sit, sub vna lingua, diuersæ sunt patriæ Brutiorum Lucanorum, Apulorum, Calabrorum, Picentum, Tuscorum, & his atque huiusmodi patrijs similia si dicamus.*

In castro Balneum Regis dicto. Balneum Regis, seu Balneo Regium ciuitas Episcopalis vt indicat ipse Gregorius hoc loco vbi agitur de electione Episcopi huius castri. Ciuitas impropriè castrum dicitur fortè ob munitionem. Apud Anast. in Leone 4. memoratur quidam Romanus nomine, Balneoregiensis Episcopus. Est ciuitas Thusciæ. Epist. 38

Paulus Diacon. de gest. Longobard. lib. 4. cap. 33. *Ciuitates quoque Tusciæ, hoc est Balneum Regis, & vrbs vetus à Longobardis inuasæ sunt.*

Epist. 39 *Monachos Monasterij Gazarensis, quod situm in plagia est.* Plagia est ora maris, sic plagæ orbis, Græcis κλίματα Hieronym. in Zachar. cap. 2. *Plagæ orbis quas Græci appellant κλίματα.*

Sed quia Monasterium ipsum in Neapolitana est diocæsi constitutum, nè quid constituere, quod absit præiudicialiter videamur, volumus vt quo vsque Neapoli ordinetur Antistes tuo interim Monasterio antefatum Gazarense Monasterium, cum omnibus ad se pertinentibus sit vnitum. Monachi Monast. Gazarensis diœcœsis Neapolitanæ, se suumque Monasterium, Monasterio S. Sebastiani, quod situm est Neapoli, vniri poscebant, sed quia Sedes Episcopalis vacabat, nè fraus fieret Episcopo diœcesano donec ordinetur illic Episcopus, iubet vt interim per modum prouisionis Gazarense Monasterium vniatur Neapolitano. Vacante Sede Episcopali status Ecclesiæ vel Monasterij mutari non potest cap. nouit. nè Sede vacant aliquid innouet.

Epis. 40 *Petrus autem Diaconus, quem à vobis electum esse asseritis, omnino quantum dicitis simplex est.* Vacante Neapolitana Sede, morte Fortunati Episcopi, votis in duas partes diuisis ab vna parte electus est Ioannes Diaconus, ab altera Petrus æquè Diaconus, vterque reiectus est à Gregorio nimirum Io. Diacon. quod longam id est diu probatam coporis continentiam non haberet teste filiolâ, Petrus quod esset simplex, his reiectis electus est Paschasius de quo infr. lib. 9. epist. 24. ind. 4. Simplex est imperitus rerum agendarū L. cum de indebito de probat. Vir simplex non est eligendus ad Episcopatum infr. libr. 11. epist. 56. ind. 6. Episcopus debet esse peritus in spiritualibus & temporalibus.

Epist. 41 *Nam in flagellis positos, flagellis digna committere contra*

ferientem est specialiter superbire, & sauientis acrius iracundiam irritare. Deus iratus minimè est irritandus. Eadem est sententia Gregorij Moral. libr. 26. cap. 28. *Fatuitas quippè stultitiæ est, quod illos sic iniquitas obligat, vt à culpa eos nec pœnâ compescat.* Iob vxori prouocanti se, vt blasphemaret. *Blasphema & morere, locuta es* inquit *sicut vna ex insipientibus mulieribus* Iob 2. & psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*, id est à facie numinis irati.

Communis autem filius Anatholius Diaconus, suis mihi scriptis innotuit. Anatholius Diaconus post Sabinianum Apocrisiarius seu Responsalis à Gregorio missus Constantinopolim & in legatione vita functus. De quo infr. lib. 10. ind. 5. epist. 22. Epis. 42

Sub testamenti pagina dare vos connenit. Testamentum pro instrumento quod sit rei testandæ causa, vt testamentum vicissitudinis, id est permutationis Adreuald. de Translat. S. Benedict. lib. 1. cap. 2. *Quod testamentum mutuæ vicissitudinis, vsque hodiè in archiuis publicis vestri reseruatur Monasterij.* Epis. 44

Vnum autem caballum vobis, qualem inuenire potuimus de benedictione sancti Petri transmisimus. Latinis Caballus vilior equus vecturæ seruiens. Vt infrà lib. 9. epist. 38. *Ascensis caballis, eos quidam fratres secuti sunt.* Et lib. 10. epist. 30. *Præterea vnum nobis caballum miserum, & quinque bonos asinos transmisisti. Caballum illum sedere non possum quia miser est, illos autem bonos non possum quia asini sunt.* Hesychius χαβάλλης ἐργάτης ἵππος *Caballus Sagmarius equus.* Inde caballicare pro equitare, seu vti caballo. Burchardus Comes apud Luitprandum hist. 3. cap. 4. *Si Italienses inquit omnes, vno vti tantummodo calcari, informesque non fecero equas caballicare, non sum Burchardus.* Anast. in Conone. *Sed & pallio, ad caballicandum vti licentiam ei concessit.* Et caballicata pro expeditione equestri. Idem Luitprand. c. 14. Epis. 46

eiusd. libr. *Quumque eodem peruenisset, & caballicatas vt vulgo aiunt, circum circa dirigeret.* Caballarij pro equitibus Ottho Frisingens. de gest. Frideric. 1. libr. 1. cap. 24. *Sed de Caballarijs nobilitatis tuæ, sic fecit imperium meum vt scripsisti.*

Præterea Ecclesijs ad quas sine labore potestis accedere, fraternitas vestra, officium visitationis impendat, vt ij qui illic Deo propicio baptizantur, inconsignati non debeant remanere. Episcopo recens electo officium Visitationis iniungitur, propter consignationem seu confirmationem baptizatorum can. vlt. 10. qu. 3.

Epist. 47 *Cum lator præsentium Crescentius Vicarius noster, quem ad se filius noster glorioßissimus Dominus Leontius Exconsul præcepit occurrere.* Crescentius Vicarius vrbis Romæ iussus Leontio Exconsuli & ordinato Præfecto vrbi occurrere hortatu Gregorij exit de septis Ecclesiæ, quâ se continebat rationem officij redditurus. Vicarius vrbis Romæ fuit Vicarius Præfecti prætorio eius iurisdictio fuit intra quadragesimum lapidem ab vrbe Cassiodor. 6. Var. epist. 15. Aspasij Vicarij vrbis Romæ meminit Ambros. serm. 90. de Martyrio Agnetis.

Epist. 51 *Quia si quam rebus publicis fraudem fecit, substantia eius cædi debuit non libertas.* Libertinus Expræfectus Siciliæ flagellis inhonestè cæsus, à Leontio Exconsule Præfecto Italiæ. De quo eum arguit Gregorius, quia hoc pœnæ genere offenditur libertas, & liberos cædi indignum est Imperio Romano, & hoc est quod ait infrà his verbis. *Nam in hoc quod liberi cæduntur pijssimi Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur.* Ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex eisdem seruus flagellis L. in seruorum. L. Capitalium. §. Non omnis ff. de pœn.

Hoc enim inter Reges gentium & Imperatores Romanorum distat, quia Reges gentiũ Domini seruorũ sunt, Imperator vero Romanorum Dominus liberorum. Hæc est elegantissima ratio

propter quam liberos seruilibus pœnis affici ait indignum Imperio Romano, quia scilicet Reges gentium Domini sunt seruorum, Imperator vero liberorum, quod reppetit infr. libr. 11. ind. 6. epist. 36. Imo constitutione Antonini, omnes qui sunt in orbe Romano ciues Romani effecti sunt. L. in orbe de stat. homin. Nou. Iustin. 78. Huius constitutionis Adrianum auctorem laudat Io. Chrysost. in acta Apostolor. homil. 48.

Peruenit ad nos, quod quidam praua voluntatis studio, seniores & ciues Neapolitanæ ciuitatis, de insulis iuris eorum Leontio glorioso filio nostro coantur surripere. Epist. 53 Apud Leontium ciuibus Neapolitanis mouebatur quæstio de iure insularum quæ sunt in ora maris obiacente. Gregorius hoc loco testatur eas concessas Neapolitanis beneficio Imperatorum, qui retro id est ante fuére & præcepto Mauritij Augusti se suffragante impetrato cum in aulâ Constantinopolitana Apocrisiarij fungeretur officio. Seniores hic pro optimatibus vt seniores Franci. Gregor. Tur. libr. 8. cap. 31. *Magnus tunc hinc Rotomagenses ciues, & præsertim seniores loci illius Francos metus obsedit.* Conc. Vvormac. can. 50. *Sancitum est vt vnicuique Ecclesiæ vnus mansus integer, & absque vllo seruitio tribuatur & si aliquid amplius habuerint, inde senioribus debitum seruitium impendant,* cap. 1. de censib. idem can. 58. *Vt Episcopi prouideant, quem honorem Presbyteri pro Ecclesijs suis senioribus tribuant.*

Non ad faciem, sed puras nostris amicitias exhibere. Epist. 56 Ad faciem id est in speciem vt infrà lib. 9. ind. 4. epist. 31. *Numquid non illos videtur ratio ad faciem adiuuare.* Latinis ad faciem idem sonat, quod in personam. Vt in Leg. scire oportet §. 1. ff. de excusat. tut. *Ad faciem, vel ad domum.*

Quia vero homines suos, & possessiones quas illic habet, nobis voluit commendare. Epist. 51 Gregorius Expræfectus vrbi cum à Leontio Exconsule & successore suo conueniretur ad reddendas actus sui rationes, homines & possessiones suas

commendauit Ecclesiæ, tutelæ & securitatis causa, vt reppetitur & prox. ep. Laici si à potentioribus grauarentur, solebant se & res suas præsidij causa commendare Ecclesiæ. Eodem consilio naues commendatæ Ecclesiæ L. iubemus. C. de SS. Eccles. Eodem iure militum cruce signatorum res interim erant sub tuitione ecclesiastica, & fori ecclesiastici. Sic Iuo miles Hugonis Vicecomitis Carnotensis captus à Rotroco Comite & terrâ simul vi occupata, postquã crucẽ susceptisset tuitionem Ecclesiæ implorauit. Iuo Carnot. ep. 173. *Die statuta ventum est ad causam, obtulit se ad iudicium Rotrocus, secundum ordinem gestarum rerum dixerunt petitores, qui pro Hugone loquebantur, se nolle ad hanc causam ingredi, nisi prius eis satisfaceret de eo, quod non erat intermissa ædificatio munitionis, & recredita redemptio Iuonis, responsum est ex parte Rotroci, neutrum debere fieri, quia munitio illa ei adiudicata erat, in curia Comitissæ, de cuius feudo erat, cum iudicio Ecclesiæ ad prædictam curiam hæc causa translata esset, & prædictus Iuo pro peregrinatione Iuonis, minimè erat reddendus, cum prædictus Iuo Rotrocum dominum suum diffiduciasset, & prædam eius prior accepisset, homines suos ea die qua captus est in vinculis haberet, & ad foris faciendum eidem armata manu militum ea die procederet.* Idem epist. 174. *Qui cum diu inde disceptassent, non potuerunt in vnam conuenire sententiam dicentes nouam esse institutionem de tuitione ecclesiasticâ impendendâ rebus militum Hierosolymam profisiscentium.*

Epist. 61 *Porcos viginti qualiter ipse præuideris, berbices viginti & gallinas quadraginta.* Inter excepta quæ solent excipi præter mercedem conductionis, in locatione, & conductione prædiorum, numerantur tot berbices. Id est oues. Eadem voce vtitur lex Allemanorum tit. 99. §. 1. *Si quis gregem de porcis, aut de vaccis, vel de berbicibus in pignus tulerit.* Inde vernaculum Brebis.

Epist. 61 *Hastulas vinearum numero quatuor.* In dote Monasterij ancillarum

ancillarum Dei constructi ab Adeodata clarissima fœmina in ædibus suis numerantur hastulæ quatuor vinearum. Hastula est modus agri, quantum hastulâ vel hastâ seu perticâ metimur, agri enim mensurantur hasta vel pertica. Propert. l. 4. epist. 1.

Abstulit exultas pertica tristis opes.

Vel hastulæ vinearum dici possunt pro fascibus pedamentorum quibus fulciuntur vites. Ligni hastulam dixit Gregor. Turon. de glor. confess. cap. 95. *Dignum est vt de ipsius ligni tenuitate magnum aliquod proferamus, nam sæpius de eo hastulæ factæ parumper acutæ dolori dentium remedia contulerunt.* & infr. *extracto cultro hastulam excutit ab ostio.* Glaber. lib. 1. cap. 4. *Alius quoque Sarracenorum eorumdem, vltro deplanans ligni hastulam.* Male quidam codices habeat castulam.

Omnino gratè suscepimus quod Deus dedit Diaconum ve- Epist. 65
strum ad Episcopatus officium vnanimes elegisse Deo auctore signastis. Mortuo Constantio Episcopo Mediolanensi, Deus dedit Diaconus in eius locum electus, reiecto eo qui obtrudebatur ab Agilulfo Rege Longobardorum, quia vt subiungit *Vicarius sancti Ambrosij*, id est successor S. Ambrosij *indignus ostenditur, si electus à talibus ordinetur.* Sic Vicarius sancti Petri dicitur Romanus Pontifex infr. l. 10. epist. 31. *Sancto Petro Apostolorum Principi atque eius Vicario Beatissimo Gregorio vel successoribus ipsius.* Can. quoties 1. quæst. 7. Anastas. in Adriano. *Præstitoque Sacramento in fide, & seruitio Beati Petri, atque eius Vicarij antefati almifici Hadriani Papæ successorumque eius Pontificum fideliter permansuros, more Romanorum tonsurati sunt.* Idem in Leone 3. *Et sicut Vicarium Beati Petri Apostoli venerabiliter & honorificè cum hymnis & canticis spiritalibus eum suscepit.* Idem in Vigilio. *Ad hæc rescripsit Vigilius, etsi indignus Vicarius sum Beati Petri Apostoli.*

Nihil in hostium locis, sed in Sicilia. Ecclesiæ Mediola-

nensis habuit luculentum patrimonium in Sicilia. Ecclesiæ Rauennati quoque patrimonium fuit in Sicilia infr. lib.9. ind.4. ep.4. *Et ideo quia patrimonium Ecclesiæ Rauennatis, quod in Sicilia constitutum est, ita dicitur deminutum &c.* Quam pingue fuerit patrimonium Ecclesiæ Romanæ in Sicilia, Calabriâ & aliis Prouincijs, patet ex Gregorij epistolis passim vt supr. libr.1. epist.9. Eo nomine vectigal fisco pensitabat Ecclesia Romana, quod remissum esse tempore Agathonis Papæ refert Anastas. in Ioanne 5. *Nec non & alias Diuales iussiones, releuantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ, & Calabriæ non pauca, sed & ceptum frumenti similiter, vel alia diuersa, quæ Ecclesia Romana, annuè minimè exurgebat persoluere.*

AD LIBRVM NONVM.

Epist.1. GREGORIVS *seruus seruorum Dei.* Gregorius non ferens thrasonicum titulum Vniuersalis, quem ex more seu vitio antecessorum affectabat Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha, ab initio Pontificatus, primus omniũ se in apicibus epistolarum suarum, seruũ seruorum Dei scribi, in humilitatis exemplum ordinauit, cunctisque suis successoribus tam hoc, quam vsum mediocris vestis pontificiæ hæreditarium reliquit, quæ suâ ætate in Ecclesia Romana seruari scribit Ioannes Diac. lib.2. cap. 1. Hinc se per Episcopatus onus seruum omnium factum ait idem Pontifex infr. h. libr. ind.4. epist.38. *Ego enim qui per Episcopatus onera seruus sum omnium factus.* Romanum

Pontificem Episcopum Episcoporum agnoscit. Tertull. de pudicit. cap. 1. *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus Episcopus Episcoporum dicit.* Sed Gregorius & ab eo successores se dixére seruos seruorum Dei vnde versus. *Seruierat tibi Roma prius Domini Dominorum. Seruorum serui, nunc tibi sunt Domini.* Gloss. in can. quoties 1. qu. 7.

Quam autem solers sis in regendis fratribus, quantoque studio in eorum sis custodia vigilans, reuerendissimo fratre & Coëpiscopo nostro Menna referente cognouimus. Gratulatur Bononi Abbati Monasterij Lirinensis, de restitutâ disciplinâ Monasterij, collapsaâ vitio decessoris sui. Et hoc est quod ait verbis sequentibus. *Et sicut nos audita decessoris tui incauta remissio sæpius contristauit ita prouisionis tuæ sollicitudo lætificat.* Monasterium Lirinense situm in insula Lirino quæ est in ora Narbonensi, antiquitate, & sanctorum grege celeberrimum de quo Sidon. libr. 7. epist. 18. lib. 8. epist. 14. libr. 9. epist. & in Eucharistico ad Faustum Reiensem.

Theodora relicta Sabini Defensoris. Relicta est vidua, quæ morte relicta est à viro. *Epist. 11.*

Deceptam esse, vt omnes res suas tempore nuptiarum eidem filio donationis titulo legaret. Theodora relicta Sabini querebatur se circumuentam filio res omnes propter nuptias donationis causa legasse, id est delegasse. Impropriè legari dicitur, quod inter viuos donatur.

Dando pro eis Vicarios recompensa. Mandat vt seruos suos Molenæ mulieri restituat, si ab Ecclesia detineantur vt si commodè restitui non possunt, quia fortè mancipijs Ecclesiæ coniuncti sunt, vt Vicarios pro eis recompenset. recompensare est compensare. *Epist. 12.*

Vnam illi de iure Ecclesiæ deputare Condumiam debuisses. Condumia est massa, seu prædium Ecclesiæ, vt innuunt verba quæ proximè sequuntur. *Sed quia condumiam ipsam* *Epist. 14.*

vineolam paruulam iuris eiusdem Ecclesiæ nostræ tenere dicitur. Hinc in dote oratorij seu Ecclesiæ Monasterij ponitur Conduma infr. l.10. epist. 12. *Fundos campulos cum conduma vnâ.* Et lib.11. epist.18. *Percepta prius donatione legitimâ, id est condumâ vna.* Condumam Ecclesiæ Rhemensis cui nomen erat Tudiniacus memorat Hincmarus in vit. B. Rhemigij apud Surium 13. Ian. *Cum ergo circumiens Parochiam sollicitudine pastorali transiret, per Condumam Episcopij villæ cuius vocabulum est Tudiniacus.* Condiuia Papiæ. *Condiuia domus eum curiâ & cæteris necessarijs.*

Quod & Episcopium Ecclesiæ ipsius hactenus detinens. Episcopium est domus Episcopi vt infr. epist. 28.h.libr. *Vel qui Episcopij curam gerere valeant* & infr. *quia mecum manens in Episcopio, quotidiana obsequia de hac Ecclesia habebis.* Synod. Meldens. can. 26. *Suggerendum est, & ex diuino mandato intimandum Regiæ maiestati, vt Episcopium quod domus Episcopi appellatur, venerabiliter ac reuerenter introeat.* Anast. in exilio Martini. *Constantina Ecclesia, prima in toto mundo constructa est, & stabilita à beatæ memoriæ Constantino Imperatore, & est iuxta Episcopium.* Alijs Pastophorium. Radeuic. de gest. Frideric. lib.2. cap. 13. *Feræ bestiæ vtpote vulpes, & lepores pastoforia Ecclesiæ, ac officinas canonicorum ingressæ.* Græcis ἀσπάσιον Salutatorium Theodorit. lib. 5. cap.17. ἐν δὲ τῷ ἀσπασίῳ οἰκῷ ἧτος καθῆτο, *in Salutatorio ille*, id est Episcopus, *sedebat.*

Quia & sacris Canonum legibus esse noscitur definitum vt in his quæ Antistes Episcopatus tempore acquisierit non alius nisi sola succedat Ecclesia. In quæsitis post Episcopatum, non alium Episcopus habet hæredem quam Ecclesiam. Can. statutum 18. qu. 2. eiusdem argumenti est epist. 42. infr. lib.10.

Duos casales fundi campos. Casales fundi seu Casalia sunt prædia suburbuna, à casis id est tugurijs, seu ædificiolis, quæ inædificata sunt Vvillelm. Tyr. de bell. sacro

libr. 11. cap. 19. *Recesserunt etiam à nobis per illos dies, nostri domestici, & suburbanorum nostrorum, quæ casalia dicuntur habitatores.* Iacob. à Vitriac. occident. hist. libr. 2. cap. 2. *Non solum ciuitates, & oppida, sed etiam casalia repleuerat.* Casales simpliciter vocat Gregorius infr. in hac epist. *Prædictos casales tradere supra scripto fratri nostro non differat.* Vtrumque Casalia & Casales Anastas. in Adeodato. *Multa noua ædificia augmentauit, sed & Casalia conquisiuit.* Idem in Hadriano. *Et alios plures fundos, seu Casales & massas.* Et infrà *cum fundis, & casalibus.* Idem in Paschali. *Cum fundis & Casalibus, atque massis.*

Idcirco secundum voluntatem ipsius, Monasterium construi Epist. 20
voluistis, nè pro eo quod domus ipsa ancillarum Dei Monasterio cohærebat, deceptio exinde contigeret animarum. Laudat Ianuarium Episcopum Caralitanum quod vetuerit Monasterium virorum construi propè Monasterium ancillarum Dei, idem Synod. Agathen. can. 28. *Monasteria puellarum longius à Monasterijs Monachorum, aut propter insidias diaboli aut propter oblocutiones hominum collocentur.* Can. Monasteria 18. qu. 2.

Astantibus etiam Diaconis, & Clero. In Concilio Epis- Epist. 22
coporum sedent Episcopi & Presbyteri, adstant Diaconi. Concil. Eliberit. in princ. *Cum conuenissent sancti & religiosi Episcopi, in Ecclesia Eliberitanâ: residentibus Presbyteris adstantibus Diaconibus & omni plebe.* Anast. in Martino. *Et fecit Synodum in Ecclesia Saluatoris iuxta Episcopium Lateranense sedentibus Episcopis, & Presbyteris, adstantibus Diaconis & Clero vniuerso.* Idem in Gregor. 3. *Pontifex Synodale decretum residentibus Episcopis seu Presbyteris, astantibus Diaconis, cum cuncto Clero decreuit.*

Idcirco lachrymabiliter supplico, vt concessa per constitutionem vestri decreti licentia, fas mihi sit de omnibus rebus meis, voluntatem meam disponere. Probo Abbati Monasterij S. Andreæ in vrbe, concedit licentiam de rebus suis

testandi. Dispensatione pontificia opus fuit, quia ex constitutione Gregorij quæ secuta est constitutionem Iustiniani, Monachis semel professis non licuit testari, supr. lib. 7. ind. 2. epist. 7. can. quia ingredientibus 19. quęst. 3. & constitutione Iustiniani Monachi ingressu Monasterij, se & sua dedicant Monasterio, nec de his amplius disponendi ius habent auth. ingressi C. de SS. Eccles. & hoc est quod ait Gregorius hoc loco. *Nam cunctis notum est, quia illos legalis sanctio, quicquam de substantia sua prohibet, postquam Monasterium ingressi fuerint ordinare quibus disponendarum rerum suarum suppetit antè licentia.* Dispensandi causa fuit, quod Probus è solitario inuitus ab ipso Pontifice promotus est in Abbatem, nec par erat obsequium ei esse damnosum. Sic infrà lib. 11. epist. 5. ind. 6. Gregorius Adeodato Monacho concessit potestatem testandi de rebus suis.

Probus Abbas paulisper abscedat, vt de his quæ petit, cum fratribus filijsque nostris, quid statuendum sit, deliberare possimus. Gregorius hic secutus est vsum solemnem iudiciorum deliberando adhibito consilio fratrum, remoto Probo Abbate cuius causa agebatur. Iudices iudicant remotis partibus, sententia semel lata ex scripto recitatur coram partibus Augustin. in breuic. Collationis. *Et vtrisque exeuntibus sententiam scripsit, quam rursus intromissis partibus recitauit.* Ob id iudices iudicabant obducto velo. Io. Chrysostom. homil. 5. in 2. ad Timoth. ἐπεὶ κἀ οἱ λῃσταὶ ἐν μὲν τῷ δεσμωτηρίῳ ζῶντες ἀδεῶς ζῶσιν, ὅταν δὲ παρὰ τὸ φόβητρον ἀγαγώντις στησῶ αὐτὸς, ἀναλύονται τῷ φόβῳ. *Ita fermè & latrones, quandiu in carcere viuunt, absque metu degunt, vbi vero ad velum sisti cœperint, soluuntur metu.* Singulare est quod cauetur Constit. Honorij vt de naufragijs cognoscatur *leuato velo.* L. pen. C. de naufrag. id est patente velo. Etiam Romanus Pontifex non solet iudicare nisi adhibito consilio fratrum. Ex consilio curiæ sententiam in

Pontium inuasorem Cluniacensis cœnobij pronuntiauit Honorius 2. de quâ Petrus Cluniac. de miracul. libr. 2. cap. 13. *Surgit statim auditis partibus Papa & tota Romana curia sibi adiuncta, ad rem examinandam in partem secedit, moratur diu redit cum cunctis post aliquas horas ad sedem vt inuentam ex consilio sententiam ferat, &c.*

Qualiter Ioannes Argentarius indigentibus fideiussione fuit sæpe remedium. Epist. 23 Apud Argentarios pecuniæ deponebantur, custodiæ, vel fœnoris causa, id est vt per eos fœnori exercerentur l. 7. §. quoties ff. depositi. Ambros. in psalm. 35. *Non ligauit in sudario quod acceperat, sed numularijs erogauit, & quod erogauerat cum vsuris recepit*, & infrà *Oportuit te pecuniam meam committere numularijs.* Idem pro alijs fideiubere solebant, curandæ pecuniæ mutuæ causa L. 2. C. de constit. pecun. Nou. Iustin. 136. de argentar. contract. vbi Cujac. Sed hoc fiebat quæstus causa, receptâ mercede, & ideo quia suspicio erat de Ioanne, quod non simpliciter, sed compendij causa, fideiussor accesserit hac de re se purgasse memoratur sacramento, ad corpus Beati Petri Apostolorum Principis.

Vt vna ipsa statio quæ in Romana ciuitate remansit eius temporibus claudi non debeat. Argentarij habebant tabernas in foro d. l. 7. §. quoties, Leg. qui tabernas de contrah. empt. quas stationes vocat Gregorius. In tantum excreuit numerus argentariorum Romæ, vt esset proprium corpus seu collegium argentariorum L. vnic. C. de Collegiat. & nummular. lib. 11. Romæ erat vicus argentarius id est argentariorum apud quos pecuniæ deponebantur custodiæ vel fœnoris causa. Augustin. in psalm. 37. *Hic in terra si velles seruare diuitias, quæreres horreum non forte crederes domui tuæ, propter domesticos tuos commendares ad vicum argentarium, difficilis est enim ibi casus.* Hac vero tempestate bellis Gothorum & Longobardorum ita defecerat vrbs Roma, vt vna supereesset statio, seu taberna argentaria Ioan-

nis, quæ ita afflicta erat, vt iam diu in Ecclesia lateret.

Epist.24 *Quia igitur te Ioannem, mensis pauperum, & exhibendæ Diaconiæ eligimus præponendum.* Ioannem præponit mensis pauperum, & Diaconiæ exhibendæ, id est stipibus præstandis, Diaconia enim variè accipitur vel pro loco vbi eleemosyna pauperibus erogatur. Vt supr. lib. 8. epist. 20. ind. 2. vel pro eleemosyna ipsa quæ pauperibus præstatur, vel pro collecta quæ fit pauperum causa. Cassian. collat. 18. cap. 7. Ioannes vero præpositus est Diaconiæ, ita vt liber futurus esset à rationibus reddendis, soli Deo rationem redditurus, tum quia fides eius electa est, cum quia Præpositi Diaconiæ officium ita varium est, & multiplex, vt vix ratio reddi possit. Hac ratione Episcopum non esse compellendum administrationis suæ rationem reddere scribit auctor Constit. Apostolic. libr. 2. cap. 36. ἔχει γὰρ λογιστὴν κύριον τὸν θεὸν. *Habet enim ratiocinatorem Deum.* Et à curatoribus rerum Ecclesiæ Gregorium Nazianzenum Episcopum minimè rationes exegisse refert Gregorius Presbyter in eius vit. dicens cauponum verius quam Ecclesiasticorum id opus esse, Præfectorum non Episcoporum.

Epist.25 *Dulcissimas filias meas Domnam Barbaram, & Domnam Antoniam, mea peto vice salutari.* Barbara & Antonia filiæ Venantij Cancellarij Italiæ de quibus infrà epist. 31. hoc libr.

Epist.26 *Maximiano Episcopo Arabiæ.* Maximiano Episcopo Arabiæ petenti reliquias transmittit. Moses fuit primus Sarracenorum Episcopus de quo Socrat. lib. 4. cap. 29.

Epist.28. *Vel qui Episcopij curam gerere valeant, hospitalitatemque, & susceptiones possint exhibere.* Mariniano Episcopo Rauennati ad se inuitato valetudinis curandæ causa iniungit, vt ante profectionem sibi ordinet Vicarium, qui Episcopij curam gerat, hospitalitatem, & susceptionem hospitum exhibeat, & Monasterijs præsit. Idem infr. h. libr. epist. 66. &

66. & ſupr. libr. 1. epiſt. 11. Statuit vt Epiſcopus ordinet Vicedominum, qui Epiſcopium diſponat. can. volumus. can. Diaconum 89. diſt.

Apud Agonem agi poteſt. Hic fuit Rex Longobardorum de quo ſupr. lib. 3. epiſt. 2.

Sed & à vigilijs quoque temperandum eſt. Mariniano ſanguinis vomitu debilitato remittit ieiunium, niſi in maioribus ſolennitatibus, & vigiliis. Remittit vigilias eidem, cui remiſit ieiunium, quia non ſine ieiunio celebrantur vigiliæ. Can. de ieiunio 76. diſt. inde ieiunia & vigilias coniungit Auguſtin. de bono viduitat. cap. 20. *Ieiunia quoque, ac vigiliæ in quantum valetudinem non perturbant, &c.* *Epiſ. 19*

Et preces quæ ſuper cereum in Rauennati ciuitate dici ſolent. Eidem Epiſcopo, propter infirmitatem remittit onus peragendi preces, quæ ſuper cereum dici ſolent id eſt in benedictione cerei Paſchalis, quæ fit ſabbatho ante Paſcha, ex inſtituto Zozimi Papæ Sigibert. ad ann. Chr. 407. *Hic decreuit Cereum ſabbatho ſancto Paſchæ, per Eccleſias benedici.* Idem Anaſt. in Zozimo. Poſt benedictionem cereus Paſchalis ſuper columnam in eminentiore loco Eccleſiæ, cultus gratia poni ſolebat. Leo Oſtienſ. chronic. Caſſinenſ. lib. 3. cap. 31. *Argenteam columnam ſupra baſim porphyriticam ſtatuit, ſupra quam cereus magnus, qui Paſchali ſabbatho benedicendus eſt, ſolenniter imponeretur fecit.* Huiuſmodi cereum à plebe ſolemni more oblatum obſeruat Aymoin. Floriacenſ. de mirac. S. Benedict. libr. 4. cap. 1. *Cui cum reſponſum eſſet nihil ceræ illic haberi, præter Paſchalem cereum in honorem videlicet Dominicæ Reſurrectionis, à Parrochialibus ſolemni oblatum more, iubet eum properè afferri.*

Præbendi itaque ſunt Clericis veſtris per ſingulos ſicut conſpexeritis, ſimul omnis ſumma ſolidi centum præiacentibus. E reditibus Eccleſiæ fiebant quatuor partes, prima erat Epiſcopi, ſecunda Clericorum, tertia & quarta pauperum, & fabricæ can. cognouimus 12. quæſt. 2. quæ erat

Clericorum erogabatur. Presbyteris Diaconis & Clericis præiacentibus, id est actu residentibus & quorum nomina scripta erant in matricula. Sic reiacere pro deponi apud aliquem. infr. lib.12. epist.12. *Pensiones vero fideliter cum omni colligite diligentia, vt apud vnumquemque vestrum, quem communi consensu elegeritis reiaceant.* Præberi dicitur Clericis canonica portio decimarum quæ eis distribuitur, inde præbendæ dictæ sunt beneficia ecclesiastica, seu portiones Canonicorum. can. si quis dato. can. ex multis 1. qu.3. Vvillelm. Tyr. de bell. sacr. libr.10. cap.8. *Canonicos instituit, atque ampla beneficia quæ præbendas vocant assignauit.* Quod nomen ductum est è militia, veterib. enim Præbendæ dictæ annonæ Ducum & Præfectorum militarium Cassiod.3. Var.42. *Ducibus etiam ac Præpositis sufficientem transmisimus pecuniæ quantitatem, vt eorum Præbendæ, quæ non potuerunt conuehi, ibi debuissent sine alicuius dispendio comparari.* Inde in L. inuiti ff. de testib. *Item is qui quid exercitui præbendum conduxerit.* Portio pauperum distribuebatur pauperibus mendicantibus, & honestis hominibus egenis, quos publicè mendicare pudor non patitur, & hoc est quod ait infrà *hominibus honestis, ac egenis quos publicè petere verecundia non permittit.*

Epist.31 *Quid facturi sunt qui nulla existente causa iam sigillum in substantia ipsius quantum dicitur nitebantur imponere.* Audita infirmitate Venantij Cancellarij Italiæ, fiscus eius rebus quæ erant positæ in Sicilia manum iniecit sigillo apposito. Vbi bona debitorum fisci pignori capiebantur, moris erat titulos principis, signa Regia, vela regia apponi L.2. C. vt nemo priuat. titul. præd. suis vel alien. impon. L.3. C. de bon. vacant. lib.10. L.11. & 20. C. Th. de bon. proscript. Cortinas Regias vocat Ambros. epist.33. *Dum hæc tracto suggestum est mihi cortinas Regias esse collectas, refertam autem populo basilicam præsentiam mei poscere.* & infrà *postea vero quam cognouerim cortinas regias inde esse*

sublatas. Archiepiscopo Rauennati, nè rebus alienis, titulos imponeret, ante sententiam vetuit Nicolaus I. Anastas. in eius vit. *Nihilominus præcipimus tibi, vt numquam res cuiuscumque personæ qualicumque ingenio vel chartulâ acquisitas, & possessas, olim modo occupes, aut titulum superimponas.*

Peruenit ad nos, quod si quis contra Clericos quoslibet causam habeat, despectis eorum Episcopis, eosdem Clericos in tuo facias iudicio exhiberi. Romanum Siciliæ Defensorem redarguit, quod spreto Episcopo, Clericorum causas ad se euocaret, quia totus Ecclesiasticus ordo confunditur, si sua cuique Episcopo iurisdictio non seruetur. Vnde sumptus est can. peruenit 11. qu. 1. Idem supr. lib. 5. epist. 11. & lib. 7. ind. 1. epist. 17. & hoc est quod ait idem d. libr. 7. ind. 1. epist. 30. *Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor, tunc ego verè honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.* Can. ecce 99. dist.

In Defensorum illi Schola data ei solenniter epistola militandum esse præuidimus. Vitum locat in schola Defensorum. Schola defensorum Ecclesiæ Romanæ erat ordo, seu statio Defensorum, in quam per epistolam id est per codicillos allegebantur à Pontifice è Subdiaconis Ecclesiæ Romanæ. Sic Scholæ palatij erant classes seu stationes Palatinorum militantium in palatio L. vlt. C. de locat. & conduct. L. 1. & tot. tit. C. de Comit. & Tribun. scholar. Ambros. in 1. Cor. cap. 12. *Scholæ enim sunt quæ positis in se dant dignitatem, vt loci honor hominem faciat glorioſum, non propria laus.* Coripp. de laudib. Iustin. libr. 3. Epist. 34

Acciti proceres omnes, scholaque palati est.

Idem libr. 4.

Protinus officijs summam tutantibus aulam
Ordinibus propryjs, & prisco more notatis
Per Scholas turmasque vocans, pia præmia gaudens.
Præbuit —— Anast. in Nicolao I. *Obuiati omnibus scho-*

lis, videlicet spathariorum, candidatorum, strategorum mandatorum, cæterorumque Palatinorum ordinum omnibusque Clericorum planetatis ordinibus ad portam auream veniunt.

Epist.35 *Ab actionarijs Syracusanæ Ecclesiæ.* Actionarij sunt actores seu œconomi Ecclesiæ vt infr. libr. 12. epistol. 3. *Ab actionarijs Ecclesiæ Thessalonicensis.* Et lib. 10. epistol. 2. *Pro quo ab actionarijs publicis se remeantem queritur esse constrictum.*

Epist.36 *Petrus vir clarissimus, Vicedominus gloriosæ filiæ nostræ Rusticianæ Patriciæ suis nobis epistolis questus est.* Vicedominus est Vicarius Domini, Maiores vtriusque ordinis & sexus habuére Vicedominos, vt Episcopi de quo infr. hoc lib. epist. *66.* & supr. libr. 1. epist. 1. Et Comites Cassiodor. 5. Var. 14. *Domestici Comitis Gothorum nec non & Vicedomini, aliqua dicuntur prouincialibus continuatis terroribus abstuliſſe.* Æquè Patricios habuisse suos Vicedominos satis intelligimus ex eo quod hic meminit Gregorius Petri Vicedomini Rusticianæ Patriciæ.

Epist.37 *Martianum Tabularium.* Tabularij erant tabelliones qui instrumenta publica condebant, olim erant serui publici vnde conditionales dicti l. 7. C. de iure fisci. Sed constitutione Arcadij & Honorij sancitum, vt non alij ordinentur tabularij, quam liberi homines l. 3. C. de Tabular.

Epist.38 *Quâ ratione mihi se ancillam dicit, cuius ante susceptum Episcopatum proprius fui.* Ægrè tulit Gregorius, quod Rusticiana Patricia in epistolis ad eum scriptis sæpius ancillam ipsius se diceret, tum quia per Episcopatum factus esset seruus seruorum Dei, cum quia ante Episcopatum esset proprius ipsius Rusticianæ. Proprius dicitur susceptus, vel cliens alterius, vt propria dicebatur vxor, cum qua nuptiæ contractæ erant per coëmtionem vel conuentionem in manum, quia in potestatem viri veniebat, vt illo loco Vergilij 4. æneid.

Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.

Ea autem quæ ex puriſſimo, ſinceriſſimoque corde, beato Petro *Apoſtolorum* Principi, *munera tranſmiſiſtis, præſente omni Clero ſuſcepta, atque illic ſuſpenſa.* Donaria quæ à Ruſticiana Patricia oblata ſunt Beato Petro ſolenniter, præſente omni Clero ſuſcepta, & baſilicæ B. Petri ſuſpenſa. Quænam fuérint hæc donaria mox innuitur, nimirum vela, his verbis *& poſt multum temporis quam vela ſuſcepta ſunt*, & ruſus *antè vela quam ſcripta ſuſcepimus.* Antiqui moris eſt velis adornari Eccleſias Gregor. Turon. hiſt. l. 2. cap. 24. *Interea Regina fidelis filium ad baptiſmum exhibet, adornari Eccleſiam velis præcepit, atque cortinis.* Idem cap. 31. eiuſd. libr. *Velis depictis adumbrantur plateæ Eccleſiæ, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur.* Idem Flodoard. hiſt. Rhem. lib. 1. cap. 13. Anaſtaſ. in Gregor. 3. *Hic in Eccleſia Apoſtolorum* Principum Petri *&* Pauli *pendentia vela inter columnas ex palleis ſericis fecit.* Idem paſſim.

Quadam die duo exinde fratres tranſmiſſi ſunt. Ait duo fratres, quia Monachi non aliter procedunt extra Monaſterium quam bini, vt ſint ſibi inuicem teſtes conuerſationis Synod. Aquiſgranen. ann. Chr. 817. can. 15. *Vt ſoli ſine alio fratre in viam non dirigantur.* De quo plura in Aſciticis. Vnum addendum quod iuniori ſenior adiungi ſolet, ex vſu & diſciplina Monaſteriorum, & hoc eſt quod dicitur hic de duobus fratribus egreſſis de Monaſterio S. Andreæ in vrbe. *Alter ſenior, qui cuſtos iunioris eſſet.*

Qui mox ad Monaſterium ſunt reuerſi, atque ad oratorij limen venerunt. Vnus è duobus fratribus qui exierant è Monaſterio, vt quidpiam emerent in vſum Monaſterij, ſimul atque redierunt, & ad oratorij limen venerunt, arreptus à Dæmone, ob furtum pecuniæ acceptæ rei emendæ causâ. Monachi foris reuertentes accedebant ad oratorium quod erat iuxta fores Monaſterij, orationis cauſa, vt commiſſas foris culpas prece expiarent Regul. Be-

nedict. cap. 67. *Reuertentes autem de via fratres, ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorij, ab omnibus petant orationem, propter excessus, nè quid fortè subripuerit in via, visus, aut auditus malæ rei, aut ocioſi sermonis.*

Alio quoque tempore dum in die natalitio eiusdem Apostoli iam meridianis horis fratres quiescerent. Meridiatio id est meridiana quies veteribus vsu familiaris L. Medicus de oper. libert. Varro de re Rustica lib. 1. cap. 2. *Ego hic vbi nox & dies modicè redit, & abit, tamen æstiuam diem, si non diffinderem, meo insititio somno meridiè viuere non possem.* Etiam Monachis meridiari moris fuit Regul. Benedict. cap. 48. *Post sextam autem surgentes à mensâ pausent in lectis suis.* De quo plura in Ascetics.

Tunc collecti pro eo fratres, sese per triduum in precibus astrinxerunt. Fratres collecti orant pro vno è fratribus, arrepto à dæmone per triduum, & curatur, inde collectę dicuntur orationes quæ fiebant à fratribus collectis seu congregatis orationis causa. Epiphan. epist. ad Ioannem Hierosolymit. quæ est inter eas quæ sunt Hieronym. *Cum igitur celebraretur Collecta in Ecclesia villæ quæ est iuxta Monasterium nostrum* & infrà, *Quando simul pergebamus ad sanctum locum qui vocatur Bethel, vbi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem.* Et Hieronym. ad Eustoch. *Post alleluia cantatum quo signo vocabantur ad Collectam nulli residere licitum erat.*

Retrusas cryptas iuxta Flaminiam portam inuenientes in eis sese occultauerunt. Veteres conditi in cryptis iuxta vias publicas. Petron. in Satyric. *Hæc ergo cum virum extulisset non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere in conditorium etiam prosequuta est defunctum, positumque in hypogeo, Græco more corpus custodire, ac flere totis noctibus, diebusque cœpit.* Gregor. Turon. libr. 1. cap. 39. *Ipse quoque Sacerdos*

cum coniuge, & filia in crypta Cantobennensi, iuxta aggerem publicum est sepultus. Etiam martyrum corpora condita in cryptis Hieronym. in Ezechiel. lib. 12. cap. 40. *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studijs erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi quo in terrarum profunda defossæ, ex vtraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum.* Clariores viri sepulti in cryptis. Gregor. Tur. libr. 4. cap. 12. *Erat enim ad basilicam sancti Cassij Martyris, crypta antiquissima, abditissimaque vbi erat sepulchrum magnum ex marmore Pario, in quo grandæui cuiusdam hominis corpus positum videbatur.* Ait Monachos quosdam retrusas id est recluſas seu apertas cryptas iuxta portam Flaminiam nactos in eis latuisse. Erant multis locis cryptæ retrusæ, in quibus olim condita fuerant corpora mortuorum, in quibus pauperculi carentes tecto inhabitabant, de his intelligendus Anast. in Adriano. *Idem vero Præsul, à nouo dedicauit, atque constituit, Monasterium sanctorum Hadriani, atque Laurentij, quod in ruinis marcescebat à priscis temporibus, & tamquam crypta à secularibus inhabitabatur.* In his etiam latebant fideles tempore persecutionis Anast. in Caio. *Hic fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitauit, martyrio coronatur.*

Attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus, missa maceria damnatos. Huiusmodi Cryptarum in quibus nobiles viri condi solebāt iuxta vias publicas aditus maceriâ, id est pariete sicco lapide structo pręcludebatur, in cryptas enim desuper lumen immittitur. Hieron. in præf. in Danielem. *Cum & quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicerem.* Maceria est paries sine calce L. pen. ff. Commun. præd. Varro de re rustic. lib. 1. cap. 14. *Quartum fabrile sepimentum est, nouissimum Maceria.* Tacit. 4. hist. *Superstantes Macerijs hortorum Vitelliani. Græcis φράγμος sepes.* Epist. 39

Magnas omnipotenti Deo gratias agere debemus, quod

pijssimi, & benignissimi Imperatores nostri, tales de suo genere iuxta se propinques habent, de quorum conuersatione nobis omnibus grande sit gaudium. Gratulatur Mauricio Augusto, quod tales iuxta se propinquos habeat, de quorum conuersatione gaudendum sit. Vnus inter eos fuit Domitianus Episcopus Melitinæ, quæ est Metropolis Armeniæ quem valde commendat Theophilactus Simocatta. lib. 8.

Et tamen sicut mortis huius historia testatur, post mortem à persecutoribus eius corpus incensum est. Corpus Ioannis Baptistæ Christi Præcursoris, apud Samariam conditum refert Hieronym. in Oseam cap. 1. Temporibus Theodosij Constantinopolim translatum. Sozomen. lib. 7. cap. 21. Niceph. lib. 12. cap. 49. Cedren. Sigebert. ad ann. 392.

Si enim dicunt Religionis causa coniugia debere dissolui, sciendum est quia etsi hoc lex humana concessit, lex diuina tamen prohibuit. Matrimonium impunè dissoluitur religionis causâ, id est ingressu Monasterij, non dum secuta scilicet copulâ Leg. Deo nobis. C. de Episcopis & Cleric. vnde haustus est can. decreta 27. qu. 2. Sed aliud lex diuina, quia scriptum est, quod Deus coniunxit homo non separet. Idem infr. hoc libr. epist. 44. *Quia etsi mundana lex præcipit, conuersionis gratia, vtrolibet inuito posse solui coniugium, diuina hoc lex fieri non permittit.*

Omnipotens Deus gratia nos cœlesti custodiat, & pro Dominorum paruulorum nutrimento, vitam vestram longius extendat. Theotistæ Patriciæ, longiores annos precatur, in educationem liberorum Imperatoris, ea fuit soror Mauricij Augusti supr. lib. 1. epist. 5.

Epis. 40 *Isicio Episcopo Hierosolymorum.* Defuncto Amos Hierosolymitano Episcopo in eius locum electus Esychius qui ex more synodicam epistolam misit ad Gregorium solemnis fidei professionis causâ.

Fides itaque vestra, fides est nostra. Laudat Gregorius Mauricium Imp. de fide Catholica. Inde falsi arguitur quod

quod scripsit Nicephorus libr.18. cap. 39.de eius lapsu in hæresim Marcionis.

Præterea peruenit ad me, quia in ea Ecclesia, quæ Ænea dicitur, sæpè in Hierosolymorum vrbe, vestræ Ecclesiæ iurgia nascuntur. Ecclesia Hierosolymitanæ vrbis dicta est Ænea, fortè quod foribus æneis distingueretur.

Et quidem nusquam Canones præcipiunt, vt pro ægritudine Episcopo succedatur. Epist.41 Mauricius Augustus instabat Ioannem primæ Iustinianæ Episcopum esse deponendum, & dandum successorem, nè forte ciuitas Episcopo destituta, ab hostibus inuaderetur. Gregorius scribit Anatholio Diacono Constantinopolitano Apocrisiario Episcopum propter ægritudinem non esse deponendum, sed ei dandum Coadiutorem, nec de successore prouidendum, nisi vltrò ob causam ægritudinis cedat Episcopatu per scriptum, id est per libellum vnde desumptus est can. scripsit. 7. quæst. 1. Idem cauetur infr. lib. 11. epist. 7. & 8. can. quamuis 7. q. 1. Io. Diacon. lib. 4. cap. 39. cap. ex parte de Cleric. ægrot. vel debilit. vbi dixi.

Quia Monachus non sit agnouimus, ex parua enim Eulogia quam bonus Monachus accepit, partem petendo contentionem facere in itinere minimè timuit. Epist.42 Nè Monachi Eulogias, id est xenia vel munuscula à quoquam accipiant, sine præcepto Abbatis sui, & nè contristetur frater, cui fortè directum fuerat, nè detur occasio diabolo, id est insidijs Diaboli, cauetur regul. Benedict. cap. 54. In hoc caput regulæ peccauit Catellus Monachus, qui de eulogia cum bono Monacho partem petendo contendit in itinere, & hoc est quod ait Gregorius proximè sequentibus verbis *Quod ex quanta amaritudine cordis descenderit, potuit tua dilectio scire, si regulam Monachorum scire voluisset.* Referens se ad illud caput regulæ, & ante propter regulæ contemptum ait *Quia Monachus non sit agnouimus.* Quasi verè Monachus non sit, qui non obseruat regulam.

Ex discipulo autem tuo cognouimus quia tu qui Abbas diceris esse, adhuc Monachus non sis. Vrbico Abbati exprobat, quod qui Abbas diceretur, adhuc Monachus non esset, id est sedulus obseruator regulæ, quo se referunt illa priora verba. *Ex qua re aspicio quam dissoluta sit regula Monasterij*, Eadem analogia de Catello Monacho dixit *Quia Monachus non sit agnouimus.* Nimirum propter transgressionem, & inobseruantiam regulæ.

Epist.45 *Itaque hortor fratres charissimi, vt omni hebdomadâ quartâ & sextâ feriâ, litaniam inexcusabiliter indicatis & contra barbaricæ crudelitatis incursus, supernæ protectionis auxilium imploretis.* Siculis Litanias indicit singulis hebdomadis quartâ & sexta feriâ, ad depellendos incursus Barbarorum, id est Longobardorum, nec non Sclauorum, qui infestis armis imminebant Italiæ & Siciliæ. De quo Io. Diacon. lib.4.cap.53. Idem initio Pontificatus sæua lue grassante in vrbe iræ Dei placandæ gratia septiformem Litaniam indixit de quo infr. lib.11. ind.6. epist.2. Io. Diacon. libr. 1.cap. 42. Gregor. Tur. lib.10. cap.1.

Epist.47 *Peruenit ad nos quod quosdam incantatores, ac sortilegos fueris insecutus.* Hinc sumptus est can. peruenit 26. qu. 5. incantatores sunt præstigiatores, qui malis carminibus dæmones euocant, Synodus Laodicena can. 36. μάγους ἢ ἐπαοιδοὺς *Magos vel incantatores*, & ibi Balsamon. ἐπαοιδοὶ οἱ γοητευταὶ, οἱ τὰς ἐπῳδὰς λέγοντες, καὶ διὰ τούτων ἐφέλκοντες τοὺς δαίμονας εἰς τὰ οἰκεῖα θελήματα *Incantatores autem præstigiatores, qui carmina, seu incantationes dicunt, & per ea dæmones ad suam voluntatem attrahunt.* Iulius Firmicus. l.8. *Incantatores faciet, qui verborum potestate dolores mitigare possint.*

Epist.48 *Sed post hoc peruenit ad nos fraternitatem tuam Grammaticam quibusdam exponere.* Perstringit Desiderium Viennensem Episcopum, quod Grammaticam doceret. Episcopi est sacras literas docere, non seculares, can. Episcopus.

can. Sacerdotes. can. legimus 37. dist. can. cum multa 86. dist. qui desumptus est ex hoc loco.

Peruenit præterea ad nos, fratrem, & Coëpiscopum nostrum Serenum prauos homines omnino in societate sua recipere. Epist. 49 Notat Serenum Episcopum Massylienſem, quod prauorum hominum consuetudine vteretur. Hinc sumptus est can. peruenit 2. qu. 7. Episcopus semper Presbyteros Diaconos, & alios boni testimonij Clericos secum habere debet, vt omni suspicione careat can. cum pastoris. can. Episcopi ead. caus. & qu.

Gesta vero, vel scripta Beati Irenæi, iamdiu est quod sollicitè quæsiuimus, sed hactenus ex eis inueniri aliquid non valuit. Epist. 50 Ab Ætherio Episcopo Lugdunensi petit gesta & scripta Beati Irenei Lugdunensis Episcopi, hactenus sollicitè quæsita, nec inuenta. Hac ætate desiderabantur acta & scripta B. Irenei, ita vt nec in Gallia, nec in Italia à Gregorio ipso Pontifice quæsita potuerint inueniri. Hac ætate claruit Etherius Lugdunensis Episcopus de quo Aimoin. Monachus l. 4. cap. 1. ad eundem scripta extat ep. 7. infr. lib. 11.

Mennæ Tolosano. Epist. 52. Mennæ Tolosano Episcopo commendat Laurentium Presbyterum Mellitum Abbatem quos mittebat in Angliam, in suppetias Augustini, iam à se ordinati Anglorum Episcopi pro conuersione gentis Anglorum. Eiusdem testimonio laudat Bononem Abbatem Lirinensem de restituta Monasterij sui disciplina supr. hoc lib. epist. 8. eiusdem meminit infr. lib. 11. ind. 6. epist. 8. vbi Menna de quibusdam criminibus accusatus apud Pontificem deficiente probatione de obiectis se purgauit interposito iureiurando ad corpus B. Petri. Hinc sumptus est can. Mennam 2. qu. 5.

Nam eius quem idoneum ad soluendum esse cognoscimus, verba pro pignore tenemus. Epist. 54. Idonei debitoris verbum, id est fides *le credit*, est pro pignore. Idoneus debitor est qui est

soluendo, alias idoneus, pro experte criminis. Gregor. Tur. histor. Fr. libr. 5. cap. 32. *Noui inquit pater ego filiam meam bene idoneam.* Idem lib. 9. cap. 13. *Sed veniens Parisios, nullus de parte memoratæ mulieris adfuit, qui idoneam reddere possit.*

Epist. 56 *Quia maiorem sibi partem hac in re præstitorum vestrorum solatia vendicant.* Præstitum Latinis scriptoribus sæpius pro mutuo Optat Mileuit. libr. 3. aduers. Donatist. *Et qui pro præstitis suis, rogari meruerant, metu mortis humiles impellerentur in preces.* Conc. Hispal. 1. can. 1. *Nam si præstitum de rebus suis non fecit, Ecclesiæ tale damnum vtique inferre non debet.* Inde præstare pro mutuum dare L. vlt. C. quod cum eo qui in alien. potest. est. vulgò *prest, prester.*

Epist. 57 *Facite quod Dei est, & Deus faciet quod vestrum est.* Brunichildem Reginam Francorum hortatur vt curet res Dei, nimirum vt labem simoniæ, quæ valde hac ætate fœdabat Gallicanam Ecclesiam emendari satageret, certa Deum res eius curaturum.

Epist. 58 *Augustino Episcopo Anglorum.* Augustino gratulatur de conuersione gentis Anglorum, de quo idem Moral. libr. 27. cap. 8. Io. Diacon. libr. 2. cap. 39. Ante Augustinum iam à temporibus Seueri Religio Christiana penetrauit in Britanniam, Tertull. qui hoc tempore claruit libr. aduers. Iudæos. *Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britanniæ inaccessa Romanis loca Christo subdita.* Arnob. in psalm. 147. *Et tam velociter currit sermo eius, vt cum per tot milia annorum, in sola Iudæa notus fuerit Deus, nunc intra paucos annos, nec ipsos Indos lateat, à parte Orientis, nec ipsos Britones à parte Occidentis, vbique cucurrit velociter sermo eius, qui dat niuem sicut lanam.* Idem Clemens. Alexandrin. strom. lib. 6. in fin. Idem insinuat Hieronym. ep. ad Ctesiphontem aduers. Pelagianos Cum ait, *Deum notum fuisse Britannis & alijs Occidentis populis à Christi tantũ aduentu. Neque enim* inquit *Britannia, fertilis*

prouincia tyrannorum & Scoticæ gentes, omnesque vsque ad Occeanum barbaræ nationes, Moysem prophetasque cognouerant. Sed indigenis Britannia pulsis ab Anglis & Saxonibus Germanicis populis, qui erant idolorum cultores, vnà Religio Christiana exulauit, ac eius semina illic ferè extincta, donec auspicijs Gregorij Pontificis, Augustini & aliorum sociorum felici opera suscitata reuiruére, & latè sparsa per vniuersam insulam altis radicibus coaluere, Gregor. Moral. lib. 27. cap. 8. *Ecce enim pene cunctarum iam gentium corda penetrauit Dominus, ecce in vna fide Orientis limitem, occidentisque coniunxit, ecce lingua Britanniæ, quæ nil aliud nouerat quam barbarum frendere, iam dudum in diuinis laudibus Hebræum cœpit Halleluia resonare, ecce quondam tumidus iam substractus sanctorum pedibus seruit Occeanus, eiusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiuerant, hos pro diuina formidine Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant, & qui cateruas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, iam nunc fidelis humilium linguas timet &c.*

Scio enim quia Omnipotens Deus, per dilectionem tuam, in gente quam eligi voluit magna miracula ostendit. Angli ad fidem conuersi, prædicatione, & miraculis Augustini, de quibus Gregor. loco modo laudato & in Ezechiel. homil. 5. ideo Gregorius Augustinum monet, nè de miraculorum gratiâ intumescat, Io. Diacon. lib. 2. cap. 39.

Quia de educenda aqua dubitauit, & propter hoc quia terram repromissionis intrare non posset agnouit. Moses terram promissionis non intrauit, propter culpam ante triginta & octo annos commissam, nimirum quia in eremo siti deficiente populo, de educenda aqua de petrâ dubitauit. Idem Gregor. Moral. lib. 9. cap. 12. Alijs quia Ægyptium percussit Clemens Alexandrin. 1. Stromat. Io. Chrysost. de Sacerdot. lib. 4. cap. 63.

Aldibergæ Reginæ Anglorum. Angli ad fidem conuersi *Epist. 54*

prædicante eis Euangelium Augustino Misso B. Gregorij studio Aldibergæ Reginæ, quam perperam Bertham vocat Beda hist. Anglor. lib. 1.

Epist. 60 *Fanorum ædificia euertere.* Aldibertum Regem Anglorum recens baptizatum hortatur, vt fana idolorum euertat, sed postea mutato consilio, iussit vt fana purgarentur, & in Ecclesias commutarentur. Infr. h. libr. epist. 71. Hæc epist. integra extat apud Bedam hist. lib. 1.

Augustinus Episcopus in Monasterij regula Doctor. Gregorius Augustinum & alios Monasterij sui Monachos misit in Britanniam pro conuersione Anglorum Io. Diac. lib. 2. cap. 33. vnde plerique Episcopi in Anglia ex Monachis assumpti & Monachi pro Canonicis instituti in Ecclesia Contuarienſi & alijs cap. nouit nè Sede vacant. cap cum ex iniuncto de Nou. oper. nunciat. & maximus fuit cultus Monachorum in Anglia. Ordericus Vital. lib. 12. *Angli Monachos, quia per eos ad Deum conuersi sunt, indesinenter diligentes honorauerunt, ipsique Clerici reuerenter & benignè sibi Monachos præferri gauisi sunt.*

Appropinquante autem eodem mundi termino. Credidit finem mundi imminere, de quo supr. libr. 6. epist. 26.

Epist. 61. *Et quidem ab antiqua Patrum institutione didicimus, vt quilibet qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ reuocentur.* Respondet ad consultationem Hybernorum Episcoporum vtrum Nestoriani redeuntes ad Ecclesiam, sint denuo rebaptizandi. Respondet variam esse consuetudinem Ecclesiarum, in hoc discrepare orientalem Ecclesiam ab occidentali, cum in oriente reuertentes ab hæresi reconcilientur per vnctionem Chrismatis in occidente per impositionem manuum. Temporibus Decij Stephano Romano Pontifice, mota est quæstio vtrum oporteret resipiscentes ab hæresi, per baptismum repur-

gari, cum antiqua consuetudo vigeret, huiusmodi per solam manuum impositionem restitui primus hac ætate Cyprianus Carthaginensis Episcopus, redeuntes ab hæresi per baptismum reconciliandos existimabat, verum Stephanus nihil noui, aut alieni à traditione Apostolorum moliendum ratus, hac de re vehementer commotus est Euseb. lib. 7. cap. 2. & 3. Nicephor. lib. 6. cap. 7.

Fratrem Paschasium volumus admoneri, vt eundem Hilarium prius Subdiaconatus, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum faciat in exilium deportari. Epist. 62. Paschasius, is erat Episcopus Neapolitanus, moneri iubetur, vt Hilarium Subdiaconatu depositum propter calumniam, & publicè cæsum verberibus, in exilium faciat deportari. Inter pœnas canonicas depositioni additur, virgarum castigatio, & in exilium deportatio. Episcopi habent modicam correctionem virgarum Augustin. epist. 159. *Sed virgarum verberibus, qui modus coërcitionis, & à magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpè etiam in iudicijs solet ab Episcopis adhiberi.* Can. Circumcelliones 23. q. 5. Eiusdem Paschasij meminit infr. libr. 11. epist. 29.

Ipsum autem Monasterium sic tuæ nos ordinationi commisisse cognoscas, vt tamen iurisdictionem illic non Episcopus Surrentinus in cuius ciuitate Monasterium tuum est, sed Nucerinus cuius est diœcesis habeat. Epist. 61. Agapito Abbati Monasterij quod situm est in ciuitate Surrentina, cõmittit curam Monasterij Marciani, salua iurisdictione Episcopi Nucerini in cuius diœcesi situm erat. Suam cuique Episcopo iurisdictionem seruari valde studuit Gregorius vt supr. hoc libr. epist. 32.

Nam nos nec Græcum nouimus, nec aliquod opus aliquando Græcè conscripsimus. Epist. 60. Anno Christi 602. Gregorius Concilium Romæ habuit, in quo damnatus est Andreas Monachus Græcus, qui in basilica S. Pauli degens, sermones

Græcè scriptitauit, nomine ipsius Gregorij, qui erat prorsus expers linguæ Græcæ vt fatetur ipse hoc loco, Io. Diacon. lib. 4. cap. 81. Vitio seculi Græcam linguam nesciuit Gregorius, sed eam non contempsit, Græcis enim verbis vsus est nonnullis locis. Græcæ linguæ peritus fuit Lucas Euangelista, Hieronym. ad Damasum. *Lucas igitur qui inter omnes Euangelistas, Græci sermonis eruditissimus fuit, quippe Medicus, & qui Euangelium Græcis scripserit.* Idem in Esaiæ cap. 6. *Euangelistam Lucam tradunt veteres Ecclesiæ tractatores, medicinæ artis fuisse sciētissimum, & magis græcas litteras sciisse quam Hebræas.*

Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria
Epist. 71 *construantur reliquiæ ponantur.* Anglis ad fidem conuersis Gregorius primum concilium cœpit, de fanis idolorum destruendis, qua de re scripsit Aldiberto Regi Anglorum supr. hoc libr. epist. 60. Sed mutatâ sententiâ conuenientius duxit, vt fana aquâ lustrali expiarentur, & in Ecclesias conuerterentur. Basilicas Hæreticorum sacris vsibus applicari vetuit Conc. Epaunen. can. 33. & hunc canonem secutus fortè Gregorius primo consilium inijt de destruendis fanis idolorum, sed posteà potius ei visum, ea à cultu dæmonum in veri Dei obsequium conuerti, vt mutato cultu ad loca consueta familiarius accederent. Aqua benedicta purgari fana idolorum præceptum est, aqua benedicta fugantur dæmones, Marcellus Episcopus Apameæ, templum Iouis demolitus, aqua lustrali pulso dæmone, qui ignem appositum cohibebat Theodorit. lib. 5. cap. 21. Stephanus 6. Papa aqua à se benedicta per agros sparsa cladem locustarum sustulit de quo Anastas. in eius vit. Aqua vino & cinere benedicta reconciliantur Ecclesiæ pollutæ cap. proposuisti de consecr. Eccles. vel altar. fana dicuntur Templa idolorum, fanatici Sacerdotes, & sacrificuli idolorum. Hieronym. in Esaiam cap. 6. *Et pro Leuitis habebat phanaticos.* Augustinus in psalm.

psalm. 40. *Sedent Pagani, & computant sibi annos, audiunt fanaticos suos, dicentes aliquando Christiani non erunt*, Vel etiam cultores idolorum Ingulfus in chronic. Croyland. *Et licet Penda fanaticus, & ipsius apud Mercios tamen Regis nomen & Regnum sibi vsurpauit.* Inde fanatici errores. Gregor. Tur. hist. lib. 1. cap. 10. de Francis. *Sed quia hæc generatio fanaticis semper cultibus visa est obsequium præbuisse.*

Vt die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa eadem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solennitatem celebrent. Anglis recens ad fidem conuersis permittit epulas, circa fana in Ecclesias demutata, in die dedicationis, vel natali Martyrum. Huiusmodi epulas Nundinas vocat idem homi. 14. in Euangel. *Certe sicubi populus Nundinas celebraret, si ad alicuius Ecclesiæ dedicationem, denunciata solennitate concurreret festinaremus omnes simul inueniri, & interesse vnusquisque satageret.* Huiusmodi epulas in honorem Martyrum propter ebrietates & scandala quæ inde sequebantur ante damnarunt Ambros. de Elia & ieiun. cap. 18. Augustin. epist. 65. Hieronym. ad Eustoch.

Opportunus Abbas Monasterij S. Leucij. Corpus S. Leucij Martyris quiescit Brundusij, vt infrà subiungitur. *Quia eiusdem Beatissimi Martyris corpus in Brundusij Ecclesia esse dinoscitur.* Eius dies festus colitur 11. Iunij Martyrol. Rom. Ecclesiam sancti Leucij Romæ instaurauit Adrianus, ibique Domocultam B. Petro concessit Anastas. in Adrian. *Epist. 73*

Xenium autem vestrum duas Racanas, quas de labore vestro esse mandastis libenter accepi. Racana vestis genus vt infrà lib. 12. epist. 16. *Propterea misimus lenas* 15. *Rachanas xxx. Lectos xv.* Vestem esse apertè innuit Fortunatus in vit. S. Germani Parisiensis Episcopi apud Surium 28. Maij. *Idcirco febricitantem virum Dei serui Rachaëna vndique obuolutum diligenter componit in eius lectulo.* Papias *Rachana ge-* *Epist. 75*

nus vestis. Eadem forte quæ Ragæ Leg. 3. C. Th. de habitu quo vti oportet intra vrbem, vulgò *Rochet.* Latinis Roccus, cuius formam apprimè depingit Sangallens. de gest. Carol. M. lib. 1. *Erat autem imbrifera dies, & frigida & ipse quidem Carolus habebat Pellicium berbicinum non multum amplioris pretij, quam erat Roccus ille sancti Martini, quo pectus ambitur, nudis brachijs Deo sacrificium obtulisse, astipulatione diuina comprobatur.*

AD LIBRVM DECIMVM.

Epist. 1. *NAM & in causis secularibus, ad hoc frequenter benignus concedit iudex inducias, vt qui ante paratus non fuerat postmodum paratus ad iudicium veniat.* Reis postulatis dantur induciæ ad defensionem can. 1. & trib. seqq. 3. qu. 3. Helmold. hist. Slau. lib. 1. cap. 32. *Certè maiestas Imperatoria, etiam erga hostes honestatis disciplinam seruare consueuit, vt proscribendis siue damnandis vocationum siue induciarum remedia non negauerit.* In iudicijs secularibus noctes pro diebus dantur dilationis causæ, in iudicijs Ecclesiasticis induciæ ex instituto Canonum. Goffrid. Vindoc. lib. 2. cap. 27. *In hoc tamen non noctes secundum consuetudines laïcorum, sed secundum instituta Canonum inducias postulamus.*

Præterea ex transmissione vestræ sanctitatis Beati Agilei Martyris benedictionem, ea charitate quæ nobis est à vobis transmissa percepimus. A Dominico Carthaginensi Epis-

copo accepiſſe ſe ſignificat reliquias Agilei Martyris. Carthagine in die natali eius martyris de eo Auguſtinus tractatum id eſt ſermonem habuit ad populum de quo meminit Poſſid. in indic. cap. 9. Martyrol. R. 15. Auguſt.

In qua de catenis quoque ipſius benedictio continetur quæ collo veſtro ſuſpenſa, hoc vobis eo intercedente gratiâ abſolutionis fiat, quod illi fuit cauſa martyrij. Sabinellæ tranſmittit clauem aſſumptam de corpore Beati Petri, id eſt de altari ſub quo quieſcit corpus Beati Petri, in qua continebatur particula de catenis ipſius, quæ collo eius ſuſpenſa, nam eiuſmodi claues collo appenſæ geſtari ſolebant, vt eo intercedente proſit ei ad gratiam abſolutionis, quæ Petro fuit vinculum in agone martyrij, cauſa martyrij, id eſt inſtrumentum martyrij, quod ea catena vinctus ſit in martyrio.

Fundos campulos cum Conduma vna. Campuli ſunt agelluli, qui erant in dote Eccleſiæ, vel oratorij. Res Eccleſiæ ſolent deminutiuè appellari reculæ, vel reiculæ Capitul. libr. 7. *Qui reiculam Eccleſiæ petunt à Regibus.* Saluian. lib. 1. ad Eccleſ. Catholic. *Cur non bona fide datis à Deo reſculis vtimur.* De Conduma dictum eſt ſupr. libr. 9. ind. 4. epiſt. 14. *Epiſt. 12*

In peculio capita quindecim. Peculium dictum eſt à pecore in quo maximè conſtabat veterum ſubſtantia, inde peculium hic accipiendum eſt pro pecudibus, eadem analogia Synod. Aurelianenſ. 1. can. 15. *De his quæ Parochijs in terris vineis, mancipijs, atque peculijs quicumque fideles obtulerint.* Marculf. 2. form. cap. 3. *Peculio vtriuſque ſexus*, & cap. 4. *Peculio vtriuſque ſexus maiore, vel minore*, Legis Longobard. tit. 105. cap. 19. *Si quis caballum alienum, aut quodlibet peculium, credens ſuum eſſe priſerit*, & cap. 29. *Si quis caballum alienum, aut quodlibet peculium, damnum ſibi facientem inuenerit.* Paul. Diac. de geſt. Longobard. lib. 2. cap. 4. *Peculia ſola remanebant in paſcuis nul-*

lo adstante pastore. Anastas. in Adrian. *Familias etiam, seu peculia ipsorum, vel quæque in ipsis præsidÿs habere videbantur abstulit,* & infrà, *& prædam multam, tam de hominibus, quam de peculÿs abstulerunt.* Inde pecus quia erat in peculio seu patrimonio dictum est viua pecunia, Roger. Houeden. in Vvillelmo seniore *Quot animalia, imo quantum viuæ pecuniæ quisque haberet.*

Epis. 13 *Sed quia Opportunus mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio in amore orationis valde laudatur.* Opportunum laudat de psalmodiæ studio, vt epist. prox. infrà eidem. *Psalmodiæ & lachrymis horas frequentius impende.*

Epist. 22 *Præceperamus vt apud eminentissimum filium nostrum Præfectum ageret, quatenus cura Formarum committi Augustino debuisset.* Præcipit Ioanni Subdiacono, vt agat apud Præfectum vrbi de committenda Augustino cura Formarum aquæductuum, quia huiusmodi cura pertinebat ad Præfectum vrbi. Leg. 1. C. de Aquæduct. libr. 11. Notit. Imp. Occident. sub dispositi. Præf. vrb. Pancirol. Var. lect. lib. 2. cap. 251.

Epis. 26 *Petimus vt gloria vestra de possessionibus, quas illic in emphiteusim habet, hac in re homines cum bobus suis faciat præbere solatia.* Petit à Gregorio Expræfecto, vt de possessionibus quas in emphiteusim habet, ab Ecclesia scilicet, homines seu rusticos cum bobus suis faciat præstare solatium id est operas ad subuehendas trabes pro Ecclesijs Beatorum Petri & Pauli, eiusdem argumenti est prox. ep. infr. Onus emphiteutarum est præter censum certas præstare operas domino quas vulgò vocant Coruatas, quasi corporis vehas, à vehendo. Guid. Pap. quæst. 472. & ibi Ferrer.

Epis. 28 *Nè filios suos quolibet ingenio vel excusatione, foris alicubi in coniugio sociare præsumat, sed in ea massâ cui lege in conditione ligati sunt socientur.* Etiam rusticis seu colonis Ecclesiæ interdictum, nè foris nuptias cõtrahant, extra mas-

sam cui lege & conditione adstricti sunt. Eadem lex nota in Gallijs moribus nonnullis, quæ dicitur *loy de formariage*. Olim etiam seruis vetitum nè foris nuberent nè officio deessent Tertull. libr. 2. ad vxorem. *Nonnè quippè Domini & disciplinæ tenacissimi, seruis suis foras nubere interdicunt scilicet nè in lasciuiam excedant, officia deserant Dominica extraneis prodant, &c.* Rustici dicuntur lege & conditione ligati prædio cui adscripti sunt, vnde dicuntur legales homines, & conditionarij, quia certis legibus, & conditionibus, id est sub certo censu & onere fundos excolunt, inde legales homines pro plebeiis, & alijs à militibus. Matth. Paris ad ann. 1213. *Per milites duodecim, vel legales homines vniuscuiusque Comitatus.*

Quia & inutile & valde laboriosum est hominem literatum, ratiociniorum causas assumere. Graue est hominem literatam, qui potest prodesse ad maiora, ratiocinijs id est minoribus occupari. *Epist. 30.*

Sub mei ordinis casu spondeo. Hic exarata est solennis professio Episcopi renunciantis schismati, renunciatio est iurata, & sub pœna casus ordinum, renunciationi additur vinculum pœnæ, vt in cap. cum dilectus de elect. valet promissio sub pœna beneficij. Hinc desumptus est can. quoties 1. qu. 7. *Epist. 31.*

Vnde iurans dico per Deum omnipotentem, & hæc sancta quatuor Euangelia quæ in manibus meis teneo, & salutem geniumque illustrium Dominorum nostrorum rempublicam gubernantium. Olim Episcopi iurantes tangebant Euangelia vt patet ex hoc loco, sed ex constitutione Gregorij 9. Episcopi & Clerici iurant propositis, non tactis sacrosanctis Euangelijs auth. sed iudex C. de Episc. & Cleric. cap. vlt. de iuram. calumn. & ita Henricum III. Regem Anglorum militiæ transmarinæ iuratum se deuouisse duplici iuramento, vno manu apposita ad pectus more Sacerdotis, & altero super Euangelia more laïci refert

Mattheus Paris ad ann. 1252. *Et iurans hoc apposuit manum suam dexteram, ad pectus suum more Sacerdotis, & postea supra Euangelia apposita, & osculatus est ea more laici.* Hac ætate fidelibus permissum iurare per genium & salutem principum, primis seculis Christianis nefas fuit iurare per genium principum sed tantum per salutem seu vitam eorum Tertull. apologetic. cap. 32. *Sed & iuramus sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus genijs.*

Subscriptio Episcoporum illorum. Episcopus renuncians schismati debet subscribere ita renunciationi. *Ego Episcopus &c.* In antiquis instrumentis subscriptio partium non nudam scripturam nominis continet, sed præterea continet summam instrumenti L. 1. §. inter filium ff. ad leg. Cornel. de falsi. L. mutuæ C. si cert. pet. & ita accipienda est L. Contractus. C. de fid. instrum.

Epist. 32 *Hilario autem Chartulario nostro iniunximus, vt si causa popposcerit, cognitioni vestræ interesse non renuat.* Præcipit concilium Episcoporum Numidiæ celebrari, vt cognoscatur de causa Paulini Regensis Episcopi, & si res exigat Hilarium Chartularium interesse cognitioni. Chartularij Ecclesiæ Romanæ cognoscebant de rebus ecclesiasticis etiam de causis Episcoporum vice Sedis Apostolicæ vt constat ex epist. 75. lib. 1. quæ scripta est ad eundem Hilarium.

Epist. 34 *Paulum Diaclynæ ciuitatis Episcopum inter alia mala in corporale crimen lapsum.* Paulus Diaclynæ seu Dioclensis ciuitatis Episcopus, ob crimen corporale id est lapsum carnis depositus, & alius in locum eius suffectus vt patet ex hac epist. & seq. Hinc desumpti sunt can. Paulus. can. lator 3. qu. 7. Eandem ob causam depositus Secundinus Abbas supr. lib. 2. epist. 23.

Epist. 36 *Quædam ad vos de fratre nostro Clementio Primate vestro perlata sunt.* Clementius Primas Bizacenæ Prouinciæ, in

Africa iudicatus in concilio Bizacij, quæ est ciuitas Episcopalis. Hinc sumptus est can. sicut inquit 2.qu.7.

Transmisimus fraternitati vestræ paraturam vnam. Paratura est limbus textilis, vel ἐπίβλημα quod apponitur vesti ornatus causa. Matth. Paris in vit. Richardi 15. Abbatis S. Albani. *Albas duas cum paraturis brudatis.* Papias. *Paramentum paratum.* *Epist.37*

Indicastis sollicitudini vestræ serenissimorum Principum iussione, curam Sitonici fuisse mandatam. Sitonicum Græcis σιτωνικὸν est munus seu procuratio annonæ coëmendæ Reipublicæ nomine quæ demandatur à Principe. vt infr. hac epist. *Nam quicquid post hæc in prædicti Sitonici specie damni contigerit, amplius iam ad Ecclesiæ dispendium sciatis nullomodo pertinere.* De hoc dictum est supr. libr. 1. epist. 2. *Epist.38*

Decem equarum capita cum emissario. Pecus numeratur per capita vt epist. 12. supr. hoc libr. *in peculio capita quindecim,* & infrà libr. 11. epist. 18. *Armenta capita quinque oues & capras promiscuas capita viginti.* Decem equabus adiungitur emissarius quia emissarius vel admissarius, valet ad decem equas, immo & vsque ad quindecim & viginti Columell. de re rustica lib. 6. cap. 27. *Epist.41*

Droculfus præsentium portitor, de hostibus ad Rempublicam veniens. Hostis idem sonat, quod exercitus. Vt infr. *Quatenus bona quæ de nobis etiam positus adhuc inter hostes audiuit.* Et idem infr. libr. 12. epist. 23. *Hostem collectum habet.* Synod. Suessionens. *Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantum homines eorum transmittant.* Aimoin. Monach. lib. 4. cap. 22. *Sarraceni de Baira egredientes, & hostem Ludouici post tergum sequentes.* Et idem cap. 28. eiusd. lib. *Vnde hostem quam maximam potuit, cum Carlomanno direxit.* Galli ost. *Epist.44*

Curæ ergo tuæ sit, vt argentum Ecclesiarum, quod Clerus & populus habet, apud quos præuideris in Cimiliarcho Ecclesiæ *Epist.46*

sub omni sollicitudine atque cautela deponas. Cimeliarchium Ecclesiæ est locus in quo sacra vasa custodiuntur Synod. 7. can. 12. can. Apostolicos 12 qu. 2. Nou. Iustin. 19.

Epis. 47 *Peruenit ad nos quod Tonsuratores in Sicilia, praua sibi præsumtione nomen Defensorum sumerent.* Audiuit quod Tonsuratores in Sicilia, prauâ præsumptione, id est sine epistolis seu codicillis pontificijs, nomen sibi Defensorum patrimonij Ecclesiastici assumerent, & hac occasione rusticos Ecclesiæ multis exactionibus contererent, ob id vetat nè quis nomen Defensoris assumat, sine epistola, seu diplomate Pontificio, & hoc est quod subiungit, *Præter eos qui huius rei epistolas habent*, & infr. *vt vtrum digni sint epistola iudicemus.* Tonsuratores in Sicilia erant genus exactorum sic dicti quasi tonsores plebeculæ ob duritiem exactionum. Inde Tonsores monetæ qui nũmos corrodunt Matth. Vvestmonast. ad an. 1206. *Falsarios monetarum quos tonsores appellamus.* Tonsura est pœna damnatorum in metallum, inde tonsura pro pœna metalli. Paul. Diac. lib. 24. *Cumque multitudines reuerterentur, Rogas eis apud sanctũ Mamam se tribuere fingens cædibus ac tonsuris & exilijs multis ex eis punitis.* Tonsurati quoque dicebantur subiecti Ecclesię Romanæ, quia erant tonsi more Romanorum vt secernerentur à Longobardis qui erant Comati. Anastas. in Adriano. *Nam Spoletini, & Reatini ad Beatum Petrum confugium facientes prædicto sanctissimo Adriano Papæ se tradiderunt, & in fide ipsius Principis Apostolorum, atque prædicti sanctissimi Pontificis iurantes more Romanorum tonsurati sunt.* Inde Tonsuratores dici potuére qui erant præpositi colonis seu possessoribus prædiorum Ecclesiæ Romanæ, qui erant tonsurati in signum subiectionis, more Romanorum.

Damnati in metallũ semitonsi, vt metalli refugæ agnoscerentur. Cypr. epist. 77. de Martyrib. in metallo. *Semitonsi capitis capillus horrescit.* Idem epist 78. *Semitonsis capitis capillaturam adæquasti.*

Epis. 49 *Siue in Syracusanâ, siue in Panormitanâ parte dare voluerint.* In Sicilia duæ fuére stationes, patrimonij Ecclesiæ Romanæ in quibus à colonis, & possessoribus prædiorum Ecclesiæ

Ecclesiæ Romanæ census vel pensiones debitæ soluebantur, vna Syracusis, altera Panormi vt ostenditur & suprà libr. 7. epist. 51. Sic diuersæ erant stationes fisci, in quibus vectigalia & tributa præstabantur L. 1. Cod. de compensat.

Quatenus appendicem, quæ Agellus dicitur, ex corpore massæ Gratilianæ, cum suis finibus eis debeas contradere. Epist. 51 Agellus dicitur, appendix massæ Gratilianæ quia pendebat à maiori prædio, & vna cum eo colebatur quasi accessio, & additamentum, sic in antiquis tabulis passim prædia traduntur, cum appendicijs suis Baldric. Nouiomens. chronic. Camerac. lib. 1. cap. 25. *Mansos 60. culturas 11. Ecclesias 11. cum omni dote, & omnibus appendicijs.* Sic sordes id est sordidas vestes; ieiunij appendices dixit Tertull. lib. de resurrect. carn. cap. 28. *Ieiunia & feras & aridas escas, & appendices huius officij sordes.*

Fraternitati vestræ iure directo donamus. Donatio directa Epist. 52. est quæ fit inter viuos, quia directò id est rectà, & statim transfert dominium in donatarium. Papias *Directum eo quod in rectum vadat.*

Transmisimus amphimalum, tunicam, vel pectoralem. Epist. 53 Transmittit Ecclesio Episcopo, Amphimallum frigoris arcendi causa, Amphimallum vestis vtraque parte villosa à Græco μῆλος *lana vellus*, inde paulo ante vestem hyemalem appellitat. *Fratrem & Coëpiscopum nostrum Ecclesium, frigore omnino laborare cognouimus pro eo quod hyemalem vestem non habeat.* Amphimallum fuit vestis villosa & laxior, quæ totum corpus perambiebat, Hieronym. ad Lucinium Boeticum. *Duo palliola & amphimalum.* Non rectè alij vocant amphibalum, hac veste vsos fuisse Episcopos cum procederent in publicum, de Martino Turonensi Episcopo testatur Sulpit. Seuer. dialog. 2. de eius virtut. *Nec mora sanctus paupere non videnti, intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit, pauperemque contectum dis-*

cedere iubet. Amphimalū sc.erat vestis exterior quæ tunicę superponebatur, de Troiano Santonensi Episcopo Greg. Tur.de glor. confess. c.59. *Hic fertur dum esset in corpore, si nouum vt adsolet amphibalum induisset cum quo processurus diœcesim circumiret.* Papias. *Amphiballus Byrrus villatus, planeta.*

Epis.54 *Monophysitarum errore conuersi sunt.* Monophysitæ erant hæretici Ægyptij.

Inter gladios Longobardorum quos sustineo. Romani victi à Longobardis, Duce Ariulfo Duce Spoletano. Paulus Diac. libr.4. cap.5.

AD LIBRVM VNDECIMVM.

Epist.1. *CORONATVS est Focas & Leontia Augusta septimo Palatio quod dicitur Secundianas.* Occiso Mauritio cum omnibus liberis suis, Phocas cum Leontia Augusta coronatus in septimo Palatio, quod dicitur Secundianas. Septimum est palatium, quod fuit in suburbio Constantinopoleos vt patet ex subscriptionibus L. sancimus C. de SS. Eccles. l.3. C. de bon. libert. & alijs Cujac. 20. obs. 3. Græcis ἑβδομον. Phocam in Ebdomo Imperatorem salutatum, ibique professionem fidei edidisse apud Cyriacum Patriarcham, tum solemniter inauguratum in æde Ioannis Baptistæ narrat Theophan. sub ann. 594. Theophilact. Simocatt. lib.8.cap. 10.

Venit autem icona suprascriptorum Focæ & Leontiæ Augu-

ſtorum 7. Kalendas Maij. Imperatores vbi creati imagines ſuas Romam & in alias ciuitates mittebant. De Conſtantino teſtatur Zozim. lib. 1. vbi à militibus Cæſar ſalutatus eſſet, imaginem eius Romæ ex more publicè poſitam ἐν δὲ τῇ Ρώμῃ τῆς εἰκόνος αὐτῷ δεικθείσης κατὰ τὸ σύνηθες. *Eius imagine Romæ pro more exhibita.* De Maxentio teſtatur idem eodem libr. de Imperio iam ſibi ſecurum miſiſſe in Africam & Carthaginem, qui eius imaginem circumferrent ἐν λυβύῃ τῇ Καρχηδόνι τὰς τοῦ αὐτῷ περισσοῦσας ἐπεμπεν, ὅπερ γενέσθαι κωλύσαντες οἱ αὐτόθι στρατιῶται *in Africam & Carthaginem mittebat, qui eius imaginem circumferrent.* Quod fieri prohibuerunt milites qui tum illic erant. Vbi Conſtantinus ab Honorio aſcitus in ſocium Imperij eius imagines ex more miſſæ in Orientem Philoſtorgius l. 10. cap. 10. αἱ δὲ τῶ Κωνσταντίνε εἰκόνες, ὡς ἔθος ἦν, τοῖς ἄρτι παρελθοῦσιν εἰς Βασιλείαν πράττειν ἀναπέμπονται πρὸς τοῦ ἐῶσιν. *Cæterum Conſtantini imagines, vt moris erat ijs, qui ad Imperium recenter promoti erant agere, mittuntur in Orientem.* Imagines Iuſtiniani paſſim poſitæ Corippus de laudibus Iuſtin. lib. 3.

—— *Pictus vbique*
Iuſtinianus erat, dominis pictura placebat
Gaudebantque ſui genitoris imagine viſa.

Iconia vulgare pro icon, ſeu imago à Græco εἰκών Robert. Montens. in ſupplem. Sigibert. ad ann. 1183. *Anno ſuperiori apparuit Domina noſtra, mater miſericordiæ, ſancta Maria, cuidam fabro lignario opus facienti in quadam ſylua, & obtulit ei ſigillum iconiæ ſuæ.* Matth. Paris ad ann. 1204. *De Iconia Dei genitricis.*

Et acclamatum eſt eis in Lateranis, in baſilica Iulij ab omni Clero vel Senatu exaudi Chriſte, Focæ Auguſto & Leontiæ Auguſtæ vita, Auguſto & Auguſtæ. Adclamatum à Clero & Senatu, moris fuit adclamari Imperatoribus initio Imperij, & hoc eſt quod de Tiberio refert Gregor. Turon.

lib. 5. cap. 30. *Dehinc indutus purpura diademate coronatus, throno Imperiali impositus, cum immensis laudibus Imperium confirmauit.* De Mauritio Paulus Diacon. de gest. Longobard. lib. 3. cap. 15. *Quo defuncto Mauricius indutus purpura, redimitus diademate ad circum processit acclamatisque sibi laudibus largitus populo munera primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus est.* Basilica Iulij est Ecclesia in vrbe Roma condita à Iulio I. Pontifice de qua Anastas. in eius vita.

Tunc iussit ipsam Iconam Dominus beatissimus, & Apostolicus Gregorius Papa reponi in oratorio sancti Cæsarij martyris intra palatium. Icona seu Imago Phocæ & Leontiæ Augustæ iussu Gregorij posita in oratorio sancti Cæsarij martyris, in palatio Lateranensi Io. Diacon. libr. 4. cap. 20. Constantinus suas imagines in Templis idolorum poni vetuit Socrat. lib. 1. cap. 4. εἰκόνας δὲ τὰς ἰδίας ἐν τοῖς ναοῖς ἀνετέθετο *suas imagines in templis non collocauit.* Hæreticorum Imperatorum imagines in Ecclesiam non admisit populus Romanus. Anastas. in Constantino. *Hisdem temporibus, cum statuisset populus Romanus, hæretici Imperatoris* (is erat Philippicus) *nomen, aut chartas vel figuram solidi suscipere. Vnde nec eius effigies in Ecclesiam introducta est.* Oratorium Beati Cæsarij martyris est in Palatio Anastas. in Sergio. *Deo annuente in personam denominati Sergij venerabilis tunc Presbyteri concordantes se contulerunt, eumque de medio populi tollentes, in oraculum Beati Cæsarij martyris Christi quod est intra sacrosanctum Palatium introduxerunt, &c.* Idem in Stephan. 4. *illuc intus oratorium sancti Cæsarij ingredientes, clausisque super se ianuis ibidem residebant.*

Epist. 2. *Litania Clericorum exeat ab Ecclesia beati Ioannis Baptistæ.* Anno Christi 590. grassante sæua lue Romæ, irati numinis placandi causa Gregorius indixit Litaniam septiformem, id est distinctam per septem diuersos ordines, cuius officio pestis desæuijt. Ioannes Diacon. libr. 1. cap. 41.

42. Gregorius Turonensis libr. 10. cap. 1.

Hoc enim quod per Prophetam dicitur, nè inferatis onera per portas vestras die sabbathi. Epist. 3. Insignis est locus Hieremiæ cap. 17. id est priusquam die sabbathi adeatis templum deponatis onera id est peccata vestra lites inimicitias, quæ in scripturis dicuntur onera quia grauant animam Greg. homil. 2. in Ezechiel. *Et graue sibi est ex peccatis quæ perpetrat, & portat quia sicut scriptum est iniquitas in talentum plumbi sedet.* Zachar. 5. *Omne enim peccatum graue est quia non permittit animam ad sublimia leuari &c.* Nè inferatis onera per portas vestras, id est per portas ciuitatis, vbi dispositum erat tribunal Iudicij Hieronym. in Zachar. *Et quæritur quare apud Iudæos in portis locus fuerit iudicandi, nè cogitarentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod subire dispendium, iudices in portis residebant, vt tam vrbanos quam rusticos in exitu, & introitu vrbis audirent, & finito negotio vnusquisque confestim ad sedes proprias reuerteretur.* Gregor. Moral. lib. 19. cap. 13. *Mos veterum fuit, vt seniores in portâ consisterent, & causas introëuntium iudicarent quatenus tanto esset pacificus vrbis populus, quanto ad hunc discordes ingredi non liceret.*

Et ducit adaquare. Adaquari dicuntur iumenta, pecora, quæ aquæ potu reficiuntur. Tranquill. in Galba cap. 7. *Cum de proprietate iumenti quæreretur, ita decreuit vt ad locum, vbi adaquari solebat, duceretur capite innoluto.*

Monachi si quidem Monasterij, quod Crateras dicitur. Epist. 4. Monasterium cui nomen Crateras vicinum Neapoli ob desolationem quæ contigerat ex casu hostilitatis vnitur Monasterio Adeodati Abbatis Neopolitani. Pari de causa facta est vnio Monasterij Marciani, alteri Monasterio supr. libr. 9. cap. 67.

Epistolis autem vestris indicantibus agnoscentes Ecclesiam vos sancti Martini, in suburbano Augustodunensi, atque Monasterium ancillarum Dei, nec non & xenodochium, in vrbe Epist. 8.

eadem construxisse, valde lætati sumus. Gratulatur Brunichildi Reginæ Francorum, de constructione Monasterij sancti Martini, & Xenodochio in suburbano Augustodunensi & Monasterij ancillarum Dei in eadem vrbe, Brunichildis Regina, Monasterium Augustodunense, B. Martino sacrum construxit, ope & ministerio Siagrij Augustodunensis Episcopi, de quo Aimoin. Monach. libr. 4. cap. 1. *Nam in Suburbano Landunensi basilicam in honorem S. Vincentij construxit, & apud Augustidunum aliam sancto dedicari iussit Martino, vsa necessarijs ad hoc opus ministerijs venerabilis viri Siagrij prædictæ vrbis Episcopi.* Et ita intelligendum est quod scribit Gregorius infr. epist. 10. huius libr. Monasterium huiusmodi à Siagrio Episcopo & Brunichilde constructum esse, id est sumptu Brunichildis opera, & ministerio Siagrij. Monasterium ancillarum Dei fuit Monasterium S. Mariæ Augustodunensis de quo infrà epist. 11. huius lib.

Fratri, Coëpiscopoque nostro Etherio. Is fuit Etherius Lugdunensis Episcopus qui hac tempestate claruit in Gallia de quo Aimoin. Monach. l. 4. c. 1. Gregor. Turon. lib. 6. c. 36. Ad eum scripta extat epist. 7. h. libr. & 50. epist. lib. 9.

Epist. 10 *Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum, præcellentissimorum Regum Brunichildæ, ac nepotis ipsius Theodorici, xenodochio quod in ciuitate Augustodunensi, à Siagrio reuerendæ memoriæ Episcopo, & prædicta filia nostra Regina excellentissima constructum est, cui tu præesse dignosceris, huiusmodi priuilegia præsentis auctoritatis nostræ decreto indulgemus.* Petente Brunichilde Regina, & Theodorico nepote ipsius concessit quamplura priuilegia Monasterio & Xenodochio Augustodunensi, quod ab ipsa Brunichilde constructum est, quorum præcipua sunt duo, primum nè Abbas illic eligatur, sine regali prouisione, id est præcepto, & Monachorum electione, alterum nè Abbas eiusdem Monasterij vmquam prouehatur, ad Episcopatum eiusdem

loci, nè fortè occasione Episcopatus Monasterium damnum patiatur, inde paulisper demutatis verbis contextus est can. hinc est etiam *16.*qu.1.

Si quis vero Regum, Sacerdotum, Iudicum, ac personarum secularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat. Priuilegio concesso Monasterio & Xenodochio Augustodunensi apponitur clausula pœnalis, vt si quis Regum Sacerdotum Iudicum, vel priuatorum, priuilegium & emunitatem huiusce Monasterij perfregerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, id est amittat omnem prærogatiuam & potestatem quam habebat in Monasterio Patronus seu fundator Ecclesiæ, vel Monasterij violans eius iura & priuilegia, amittit ius patronatus, & excommunicatur can. filiis *16.*qu. 7. cap. generali de elect. in *6.*

Eadem pœna apponitur priuilegio Monast. S. Medardi Suessionensis infr. lib. 12. cap. 32. vbi plura.

Latorem si quidem præsentium, Hadrianum Chartularium nostrum ad regendum Ecclesiæ nostræ patrimonium, Syracusanarum partium dirigentes, fraternitati vestræ necessario duximus commendandum. Chartulariorum non vnum erat officium, aliquando mittebantur in prouincias vt legationes obirent, & de causis Ecclesiasticis cognoscerent, vice Sedis Apostolicæ, vt obseruatum est suprà ex epist. 32. lib.10. sæpius etiam eis committebatur cura, & administratio patrimonij Ecclesię Romanæ vt Hadriano Chartulario hic & infr. epist.23.h. libr. *Hadriano itaque Chartulario nostro, quem illuc ad regendum Ecclesiæ nostræ patrimonium direximus, de præsenti iniunximus, quæ vobiscum exinde loqui debeat.* Epist.20

Hoc quoque eius culpis adiungitur, quod ita quotidie despectus, cum vno aut duobus Clericis dicitur ad mare descendere, vt & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis, ac despicabilis videatur, vt nihil habere Episcopalis vel ingenij, vel reuerentiæ iudicetur. Epist.29 Paschasius Episcopus Neapolita-

nus notatur, quod cum vno aut duobus Clericis spatiandi gratiâ, ad oram maris descenderet, quia Episcopus non debet videri in propatulo, sine honesto comitatu, nè in oculis hominum vilescat dignitas Episcopalis. Io. Diac. libr.3. cap.40. Modus tamen imponendus est stipatui, & euectionibus seu equitaturis quibus Episcopi vtuntur in visitatione, his modum imposuit Concil. Lateranense cap. cum Apostolus de censib.

Epist.32 *Et ideo quoniam eruptionem sanguinis patientibus, ieiunia medici omnino dicunt esse contraria.* Mariniano Episcopo Rauennati, eruptionem sanguinis patienti, ieiunium remittitur, quod ex consilio medicorum ieiunium pernoxium esset eruptionem sanguinis patientibus.

Epist.39. *Experientia tua, quod vel quale apud sacratissimum corpus beati Petri Apostoli iusiurandum præbuerit memor est.* A Clemente I. instituti sunt Notarij, per septem Regiones vrbis, qui gesta Martyrum exciperent, quibus septem Diaconi imminebant, sed pace à Constantino Ecclesiæ redditâ, Notarijs vacantibus ab huiusmodi officio, his vsi sunt Pontifices ad alia, putà ad regimen patrimonij Ecclesiæ Romanæ, de quo rectè regendo iurabant ab initio, ad corpus B. Petri vt patet & ex epist.70. lib.1.

Epist.43 *Vnde eum auctore Deo Diaconum feci, & sub celeritate transmittere studui.* Phoca ad Imperium deuecto, Diaconus Apocrisiarius de more missus est Constantinopolim, cui nomen fuit Bonifacius. De quo infr. hoc libr. ind. *6.* epist.47.*56.*

Epist.44 *De vobis in vestra pietate Pulcheriæ Augustæ clementiam, quæ pro zelo Catholicæ fidei in sancta Synodo Helena noua vocata est.* Leontiæ Augustæ Phocæ coniugi gratulatur de adepta dignitate, & eam hortatur vt æmuletur pietatem Pulcheriæ Augustæ, hæc fuit soror Theodosij iunioris, vxor Marciani, perpetuam virginitatem coluit, & Catholicam fidem acerrimè defendit, vnde in Synodo Chalcedonensi

cedonensi Helena noua vocata est. Vt patet ex actis Synodi.

Quidam qui in magna ciuitate Alexandrinâ, medicinali arte erat imbutus, Collectorem se apud Sophistam suum habuisse perhibuit, summæ prauitatis puerum, quem repentè dixit esse Diaconum ordinatum. Epist. 46 Alexandriæ claruit studium Medicinæ, Gregor. Nyssen. in vit. Gregorij Taumaturgi ἔσης δὲ αὐτῷ τῆς διαγωγῆς, ἐν αἰγύπτῳ κατὰ τὴν μεγάλην τὴν Ἀλεξάνδρειαν πόλιν, εἰς ἣν, ἢ πανταχόθεν συνέῤῥει νεότης, τῶν περὶ φιλοσοφίαν τὲ ἢ ἰατρικὴν ἐσπουδακότων. *Cum autem degeret in Ægypto in magna Alexandri vrbe, in quam vndique philosophiæ & Medicinæ studiosa iuuentus confluebat.* Inde summa laus medicorum, si Alexandriæ Medicinam didicissent. Ammian. lib. 22. *Pro omni experimento sufficit medico ad commendandam artis authoritatem, si Alexandriæ se dixerit eruditum.* Non dispari laude, iam à multis seculis, studijs medicinæ floruit Monspessulana ciuitas, in Gallia Narbonensi. Matth. Paris ad ann. 1254. de reditu B. Ludouici è Syria in Galliam. *Applicuit in partibus Marsiliæ, quæ non multum distant à Montepessulano vbi floret Physica.* Et famâ peritiæ medicorum huius loci Herefordensem Episcopum in Anglia consilium accepisse, vt medelæ causa Montempessulanum proficisceretur refert idem scriptor ad an. 1258. *Episcopo Herefordensi polypo laborante in naso, dicebatur tamen ab aliquibus, vt apud Montempessulanum curreret, ab infirmitate qua laborauit sanandus.* Cæsarius de miracul. lib. 7. cap. 26. *Vnde in Montepessulano, vbi fons artis physicæ, &c.* Medicus ille dicebat se dum studio medicinę, Alexandriæ operam daret Collectorē se apud sophistam suum habuisse. In scholis Doctores seu magistri habebant vicarium seu adiutorem & promagistrum, à quo iuuarentur in docendi munere. Hic Proscholus dicebatur, Augustin. de verb. Apostol. serm. 23. *Dicam quid fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis, tam pauper,*

vt Proscholus esset Grammatici. Quod ijsdem ferè verbis repetit idem homil. 9. Sic Victorinum Subdoctorem, siue Proscholum inter Professores Burdigalenses memoriâ celebrat Auson. Carm. 23. Idem esse videtur quem Collectorem vocat Gregorius hoc loco, quia eius munus erat, colligere mercedes menstruas, quæ magistro pendebantur. Sic Collectarij dicuntur exactores vectigalium, vel argentarij quia pecunias colligunt, quas exerceant fœnori Leg. quisquis Cod. si cert. petat, de his Augustin. de ciuit. Dei l. 22. cap. 8. *Irenei cuiusdam Collectarij filius.* Collectanos vocat Symmach. libr. 10. epist. 43. *Vendendis solidis, quos plerumque publicus vsus exposuit, Collectanorum corpus obnoxium est, quibus arca vinaria statutum pretium sumministrat.* Ait apud Sophistam id est magistrum Philosophiæ, vel Medicinæ. Sophistæ sunt qui profitentur sapientiam, ostentationis, vel quæstus causa M. Tull. in Lucullo. *Sophistæ appellantur ij, qui ostentationis, aut quæstus causa philosophantur.* Et id nomen traductum est ad Rhetores, vnde sermo sophisticus dicitur, oratio verbis culta & ornata. Augustin. de doctr. christian. lib. 2. cap. 31. *Quamquam etiam sermo non captiosus sed tamen abundantius, quam grauitatem doçet, verborum ornamenta consectans, sophisticus dicitur.* Sophistæ etiam dicti quilibet magistri litterarum Doroth. doctrin. x. ὡς ἂν ἀπέλυεν ἡμᾶς ὁ σοφιστὴς ἐλεύθερα. *Cum igitur nos dimiserat Sophista lauabar.*

Inde & Argentarij Coactores dicti L. sticho §. Argentarius ff. de statuliber.

Eulogias vero sancti Marci, à beatissima fraternitate vestra transmißas, cum ea charitate quâ sunt directæ secundum notitiam earum suscepimus. Eulogias sancti Marci vocat munuscula accepta ab Eulogio Episcopo Alexandrino. Eadem benedictiones sancti Marci, quod idem est latinè vocat supr. libr. 6. epist. 37. quasi accepta ab Ecclesia sancti Marci quæ est Ecclesia Alexandrina sic dicta à Marco eius fundatore, Eulogiæ sunt panes vel alia edulia benedictionis causa ab amicis mitti solita. Paulin. epist. ad Seuerum.

Panem Campanum de cellula nostra tibi pro Eulogia misimus idem epist. ad Alipium. *Panem vnum sanctitati tuæ vnitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur, hunc panem Eulogiam esse tu facies dignatione sumendi.* Augustin. libr. 5. contr. litteras Petiliani cap. 16. *Eulogias panis simpliciter & hilariter datas, ridiculo nomine & venenosæ turpitudinis, ac furoris infamet.*

Primum vt de reditibus Ecclesiæ quartam in integro portionem, Ecclesiæ tuæ Clericis secundum meritum, vel officium, siue laborem suum, vt ipse vnicuique dandum prospexeris, sine aliqua præbere debeas tarditate. De reditibus Ecclesiæ, quarta debetur Clericis, diuidenda inter eos non æquis portionibus, sed secundum ordinem & dignitatem cuiusque. Qui enim maior est ordine, potior esse debet in portione percipienda. cap. statuimus de maiorit. & obedien. Epist. 42

De hoc vero quod ex fidelium oblatione accesserit, quartam partem in solidis, vel Cellario eis iuxta pristinam consuetudinem dare non differas. Æquè de oblationibus fidelium quarta debetur Clericis, in solidis, id est in nummis, vel in Cellario, id est in annonis & speciebus quæ promuntur è cellario. Eadem analogia Augustin. epist. 109. ad Monachas quasdam. *Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario.*

Tabularium vna cum consensu seniorum, & Cleri memineris ordinandum, qui annis singulis ad amputandam fraudis suspicionem solemniter suas debeat rationes exponere. Præcipit Ioanni Episcopo Panormitano vt adhibito consensu Cleri ordinet Tabularium, id est dispensatorem, qui singulis annis rationes reddat actus sui, id est administrationis, quæ versabatur in distributione quartæ redituum Ecclesiæ, & oblationum facienda inter Clericos. Io. Diacon. lib. 4. epist. 34. Tabularium vocabant quia is penès se habebat matriculam Clericorum iuxta quam fiebat distributio portionum, quæ tabula dicebatur Augustin. in serm.

2. de vit. commun. Cleric. *Quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum* can. nolo 12.qu.1.

Vindemiarum autem tempore idem Clerus emendi vinum de possessionibus Ecclesiæ tuæ, ad iusta pretia, in quantum vendendum est remedium consequatur. Clericis datur ius vt tempore vindemiarum, liceat eis vinum emere iusto pretio, de possessionibus Ecclesiæ.

Epis.50 *Glorioſus autem Comitiolus quicquid prædictus Episcopus, per violentiam, atque insecutionem ipsius expendisse, vel damnum pertulisse dato sacramento firmauerit, eidem Episcopo restituere compellatur.* Ianuarius Episcopus Malachitanus in Bœtica, non iure depositus, & rebus suis spoliatus à Comitiolo Comite: iubet Pontifex vt de causis eius depositionis cognoscatur, & vt spoliator præstet æstimationem rerum, ex iureiurando Episcopi. Si quis res alienas per vim occupauerit, tenetur interdicto vnde vi, quanti actor iuratus litem æstimauerit L. si quis in tantam C. Vnde vi. Idem reppetit infra in fine h. epist. in causa Stephani Episcopi.

Aut si eo præsente sub iureiurando, contra eum testimonium dictum est, iniungit vt quæratur an testes producti sint contra Episcopum eo præsente, & si iurati testimonium dixerint. Optimè, quia testes producuntur, & recipiuntur palam vtraque parte præsente, sed non audiuntur nisi secreto, L. si quando & auth. sed si quis. C. de testib. can. inprimis 2. qu.1. cap. in nomine de testib. quæ desumpta sunt ex hoc loco. Ait sub iureiurando quia testes non audiuntur, nisi iurati. L. iurisiurandi C. de testib.

Sed & de personis accusantium, ac testificantium subtiliter quærendum est, Cuius vitæ, cuius conditionis, cuiusue opinionis, an inopes sint. Iniungit vt quæratur an testes auditi contra Episcopum sint idonei, an essent inimici, vel pauperes. Conditio testium diligenter examinanda

est, an sint locupletes vel egentes, an inimici, an amici l. 3. ff. de testib. Apuleius apolog. 1. *Nam patrimonium omne iam pridem abliguriuit, nec quicquam ei de bonis paternis superest nisi vna domus ad calumniam venditandam, quam tamen numquam carius quam in hoc testimonio locauit.*

Si scriptis iudicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est. Iniungit præterea vt quæratur an sententia contra Episcopum, ex scripto dicta sit & recitata coram partibus, & hoc de iure quia sententia non valet, nisi ex scripto pronunciata sit, & recitata coram partibus l. 1. & 3. C. de sentent. ex pericul. recit. l. ab eo C. quomodo & quand. iudex quod constitutione regia sancitum est. Augustin. in Breuicul. collat. *Et vtrisque exeuntibus sententiam scripsit quam rursum intromissis partibus recitauit.*

Et Ecclesiæ res suæ, omnes restituantur. Ioanni defensori iniungit, vt si liqueat Episcopum rectè depositum, eius depositio confirmetur, & Ecclesiæ res hac occasione ablatæ restituantur, addita optima ratione, quia delictum personæ non est in damnum Ecclesiæ conuertendum. Inde sumptus est can. si Episcopum 16. qu. 6. Concil. Tolet. 11. can. 5. *Et qui nihil proprietatis habere videntur magna discretionis arte medendi sunt, quo nec ausus illicitos Ecclesiarum facultatibus redimant, nec ipsi penitus extorres à pœna persistant, nec enim iustum est, vt pro prauis actibus Sacerdotum, Ecclesiæ quibus præminent sustineant damnum, & pro excessibus talium satisfactio ab Ecclesijs exigatur, cum Ecclesia cultores suos non ad litem, sed honestatem informet.* Sic tempore Friderici I. Hartuicus Bremensis Archiepiscopus, & Vlricus Halberstadensis Episcopus in diem vitæ regalibus multati sunt, quod defuissent principi, in transalpina expeditione. Ottho Frisingens. de gest. Frideric. lib. 2. cap. 12. *Hunc morem principe secuto, non solum laicorum feuda, sed & quorumdam Episcoporum id est Hartuici Bremensis, & Vlrici Halberstadensis regalia personis tan-*

tum, quia nec personis, sed Ecclesijs perpetualiter à principibus tradita sunt, à principibus adiudicata fuére. Quod metro expressit Gunther. Ligurin. lib. 2.

Quin & Pontifices Halberstadensis, & ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia iura
Amisere nota, personæ scilicet ipsæ
Non tamen Ecclesiæ, neque enim quod pastor iniquè
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.

Epis. 54 *Contra hæc si dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit nec Patriarcham dicendum est, quia à sede Apostolica quæ omnium Ecclesiarum caput est, causa audienda, ac dirimenda fuerit.* Metropolitanus est Iudex omnium Episcoporum suffraganeorum, suæ prouinciæ can. quia cognouimus 12. qu. 3. cap. pro illorum de præbend. cap. sicut vnire de excess. prælat. sed si Episcopus Metropolitam, vel Patriarcham non habeat super se, puta si sit exemptus & immediatè subsit sedi Apostolicæ, de eius causis cognoscit solus Romanus Pontifex, quia est ordinarius exemptorum.

Epis. 56 *Quia ergo ita est positus, vt ad aliquam ordinationem esse non possit idoneus, Oeconomum eius Ecclesiæ, atque Epiphanium Archipresbyterum, ex nostra districtè auctoritate commonemus, vt eadem Xenodochia, sine periculo suo, sollicitè ac vtiliter studeant ordinare.* Ægrotante Ianuario Episcopo Calaritano, cura Xenodochiorum demandatur Oeconomo Ecclesiæ, & Archipresbytero. Quilibet Episcopus debet sibi constituere Oeconomum, de proprio Clero, qui gubernet res Ecclesiæ cum arbitrio Episcopi, nè sine testimonio sit gubernatio rerum Ecclesiasticarum Concil. Chalced. can. 26. can. quia in quibusdam 89. dist. Synodi 7. quæ est Nicen. 2. can. 11. can. cum simus 9. quæst. 3. L. omnes qui §. hoc nihilominus. Cod. de Episcop. & Cleric.

De hoc igitur quod scripsisti, fratrem & Coëpiscopum nostrum Ianuarium, tempore quo sacrificium celebrabat tantam

pati frequenter angustiam, vt vix post longa interualla ad locum Canonis redire valeat, quem reliquit. Ianuarius Caralitanus Episcopus, ita grauiter ægrotabat, vt cum Missam celebraret, propter infirmitatem vix posset redire ad locum Canonis, à quo semel recesserat, vnde quia multi dubitabant, an communionem ab eo percipere deberent, consultus hac de re Pontifex respondit admonendos esse, nè quid timerent, & vt securè communicarent. Locus canonis est locus medius altaris, vbi stat presbyter cum pronunciat solennia verba consecratonis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Canon est oratio seu tenor verborum solennium, quibus Corpus, & sanguis Domini Iesu Christi consecratur. Ordo Romanus de offic. Missæ cap. 12. *Orationem, quam Canonem siue actionem, propter regularem sacramentorum confectionem, Romano more appellamus quis composuerit apertè non legimus.* Petrus Cluniacens. de miracul. libr. 1. cap. 8. *Ventum est ad Missam & more suo vestibus sacris exterius paratus, interius spiritu & fide repletus, ad altare accessit, cumque cæteris expletis ad Canonem perueniisset, & verba diuina panis & vini substantiam, in Christi carnem & sanguinem commutantia, consummasset &c.*



AD LIBRVM DVODECIMVM.

Epist. 1. *OPORTET ergo, vt Sacerdotes, vel Clerus Isauriæ ciuitatis ab antefati Cassiopi castri habitatione nullatenus repellantur sed & beati Donati sanctum ac venerabile corpus, quod secum detulerunt, in vnam Ecclesiarum ante dicti loci quam elegerint, siue intus siue foris habeant recondendi debita cum veneratione licentiam.* Barbaris per Illyricum & Dalmatiam latè ferro & igni grassantibus, corpus S. Donati ab Epidaurienſi Episcopo translatum in Corcyram Insulam, & in castro Cassiopi collocatum & Clerus Isaurienſis eodem se recepit. Hac occasione rescripto Mauricij Imperatoris, castrum Cassiopi traditum Isaurienſi Episcopo, ita vt principalem seu episcopalem iurisdictionem ibi haberet, interim loco exempto à iurisdictione Corcyrenſis Episcopi. De quo agitur prox. epist. & 8. infr. h. lib. De excidio Illyrici Ambros. in Lucam libr. 10. cap. 21. *Hunni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Taifalos & Sarmatas insurrexerunt. Nos quoque in Illyrico, exules patria, Gothorum exilia fecerunt.*

Epist. 6. *Addentes etiam ita illum tenacem existere, vt in domo eius amicus ad charitatem numquam introëat.* Florentinus Archidiaconus Ecclesiæ in Episcopum electus, à Gregorio reiectus ob senium ætatis, quod propter decrepitam ætatem officio Episcopali non sufficeret, & propter tenaciam id est sordidulam parcitatem, domus eius nemini pateret,

Hinc

hinc sumptus est can. Archidiaconum 81. dist. Hospitalem Episcopum esse oportet, Augustin. serm. de vit. comm. Cleric. *Perueni ad Episcopatum, & vidi necesse habere Episcopum, exhibere humanitatem assiduam, quibusque venientibus, siue transeuntibus, quod si non feciſſem, Episcopus inhumanus dicerer &c.* Huiusmodi ingenio Melas Rhinocurtensis Episcopus Arrianos siccarios, cum ferro in se submissos, domum episcopalem deduxit, eosque honestè & liberaliter epulis excepit de quo Sozomen. lib. 6. cap. 31. αὐτίκα δὲ τοὺς ἄνδρας οἷα γε ἐξ ὁδοῦ κεκμηκότας, εἰς τὸ ἐπισκοπικὸν καταγώγιον ὁδηγήσας, τῇ τράπεζαν παραθεῖναι *Extemplo vero homines eos de via fessos, in hospitium episcopale deduxisse, mensam apposuisse.* Æterna laude celebratur Acacius Berroensis Episcopus, quod eius domus ciuibus & peregrinis semper patuerit. Idem libr. 7. cap. 27. τεκμήριον δὲ μεγίστης ἔδωκεν ἀρετῆς παρὰ πάντα τὸν χρόνον τὸ ἐπισκοπικὸν καταγώγιον ἀνεωγμένον ἔχων. *Argumentum maximæ virtutis dedit quod omni tempore apertum habuerit Episcopium.* Vnde domus Episcopi Græcis vocatur ἀσπάσιον Theod. lib. 5. cap. 15. ἐν τῷ ασπαστικῷ οἰκῷ. *In Salutatorio seu hospitio Episcopali.*

Rusticus autem Diaconus eiusdem Ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur, sed quantum asseritur psalmos ignorat. Rusticus Diaconus in Episcopum electus, pariter reiectus quod psalmos ignoraret, id est memoriter non teneret, & hoc est quod ait proximis verbis *De eo inquirendum esse quantos psalmos minus teneat.* Eadem de causa Ioannes Presbyter repulsus ab Episcopatu Rauennati quod psalmos nesciret supr. libr. 4. epist. 45. vbi dixi.

Excellentissimo autem filio vestro Adulovvaldo Regi transmittere philacteria curauimus, id est Crucem cum ligno sanctæ Crucis Domini, & lectionem sancti Euangelij theca persica inclusam. Gratulatur Theodelindæ Reginæ Longobardo- Epist. 7.

rum de nato filio eiusque optima educatione in fide Catholica, huic nomen fuit Adoualdus, eique transmittit duo philacteria, id est amuleta aduersus maleficia, seu lamiarum incantationes quæ pueris maximè nocent, nimirum Crucem cum ligno sanctæ Crucis, & sacrum Euangelium theca persica inclusum. Mulieres & pueri solebant gestitare Euangelium, collo appensum philacterij, seu amuleti vice. Ioan. Chrysostom. homil. 19. ad Antiochenos ἐχ ὁρας πῶς αν̀ γυναῖκες, κὴ τὰ μικρὰ παιδία ἀντὶ φιλακῆς μεγάλης εὐαγγέλια ἐξαρτῶσι τῷ τραχήλῳ, κὴ πανταχῆ περιφέρουσιν ὅπου περ ἂν ἀπίωσιν. *Non cernis vt mulieres, & parui pueri, pro magna castodiâ Euangelia collo suspendunt, & vbique circumferunt, quocumque abierint.* Idem in Matth. homil. 73. in hæc verba philacteria sua dilatant, ἃ φυλακτήρια ἐκάλεν, ὡς πολλαὶ νῦν τῶν γυναικῶν εὐαγγέλια τῶν τραχήλων ἐξαρτῶσαι ἔχουσι. *Hæc philacteria id est conseruatoria vocabant, sicuti multæ mulieres modo faciunt Euangelia ex collo dependentes.* Idem Isidorus Pelusiot. libr. 2. epistol. 150. Hieronym. in Matth. libr. 4. cap. 23. Ægris Euangelium, ad caput apponi solebat, curationis causa. Augustin. in Ioan. cap. 7. *Quid ergo eum caput tibi dolet laudamus si Euangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Gaudemus quando videmus hominem in lectulo suo constitutum iactari febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi vt sibi Euangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Euangelium ligaturis.* Moris erat quoque sacrum Euangelium custodiri in singulis ædibus, dæmonis arcendi causa. Io. Chrysostom. in Ioan. cap. 31. εἰ γὰρ ἐν οἰκείᾳ ἔνθα ἐν εὐαγγέλιον ἦ κείμενον ὑ τολμήσει προσελθεῖν ὁ διάβολος. *Nam si in quacumque domo Euangelium est, illuc Diabolus ingredi non audet.* Sacrum Euãgelium præsens remedium aduersus incendia. Gregor. Turon. de vit. Patrum cap. 6. de Sancto Gallo Aruernensi Episcopo. *Surgensque Euangelijs comprehensis, apertisque obuiam se igni obtulit.*

August. de nupt. lib. 6. cap. 9. *Huc accedunt quidem illa quæ non quidem omnes paruulos, sed tamen plurimos cernimus perpeti, multa & varia mala vsque ad damonum incursus*

Euangelium inter insignia imperij fuit, Lotharius à Ludouico Pio patre suo, Imperator designatus traditione coronæ ensis & Euangelij in vita Ludouic. Pij. *Lothario coronam ensem Euangelium auro gemmisque redimitum ea lege habendum misit, vt fidem Carolo & Iudith seruaret.*

Filiæ quoque meæ sorori eius tres annulos transmisi, duos cum hyacinthis, & vnum cum albula. Albula est genus gemmæ quod est album Anastas. in Sylueſtro. *Altare argento & auro clusum cum gemmis prainis* (L. Prasinis) *& hyacinthinis & albis.* Idem in Ioanne 2. *Ipsis diebus obtulit Christianissimus Imperator Iustinianus Augustus beato Petro Apostolo scyphum aureum circumdatum de gemmis prasinis & albis.*

Vtile iudicauimus eandem massam quæ Aquas saluias nuncupatur. Massa ad aquas saluias, quo loco martyrium passus est B. Paulus Apostolus à Gregorio concessa est basilicæ B. Pauli in sumptum luminarium Ecclesiæ, & donatio relata in scrinio Ecclesiæ Romanæ. Aquæ saluiæ Monasterium memorat Anastas. in Leone 3. *Immo & in oratorio sanctæ Mariæ, quod ponitur in Monasterio Aquæ Saluiæ fecit similiter.* Epist. 9.

Enunciaturus ex more, nihil illic conditori iuris vlterius iam deberi, nisi processionis gratiam, quæ Christianis omnibus in commune debetur. Præcepit Felici Messanensi Episcopo, nè ante dedicet basilicam, quam ex more denunciet fundatori, nihil illic iuris vlterius habiturum præter processionis gratiam, quæ Christianis omnibus in commune debetur, & hoc est quod Gelasius simpliciter dixit *processionis aditum* in can. piæ mentis & can. Frigentius 16. q. 7. Quod enim fundatori Ecclesiæ reseruatur processionis aditus, non sine aliqua gratia & prærogatiua intelligendum, alioquin frustrà & ineptè reseruaretur, si non alio iure fundatori competeret quam vt cuilibet è plebe. Hac ætate patronus seu fundator non habuit ius præsentandi, Epist. 10

sed nudum ius solemnis processus seu processionis, ita vt haberet processionis aditum, cum aliquo iure & prærogatiua, qui cæteris fidelibus debetur in commune in turba, sine prærogatiua ordinis vel honoris de quo fusius obseruatum est à nobis libr. 1. de Ducib. & Comit. cap. 17.

Epis. 13. *Maleficio quod vulgo Canterma dicitur.* Notat Clericos quosdam Siculos qui malè audiebant de maleficijs, quæ vulgo Cantermata dicuntur. Malefici vtuntur malis carminibus, incantationibus & ligaturis. Augustin. in Ioan. cap. 7. *Fingunt enim spiritus mali vmbras quasdam honoris, sibi metipsis vt sic decipiant eos qui sequuntur Christum, vsque adeo fratres mei, vt illi ipsi qui seducunt per ligaturas per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis nomen Christi.* Idem in psalm. 70. *Quid enim etiam & filios habere malum est, quia quando eis caput dolet malæ & infideles matres ligaturas sacrilegas & incantationes quærunt.* Maleficium Canterma nostris *charme*, quod fiat per carmina & incantationes.

Epist. 14 *Pueros vero Episcopo similes non transmitto.* Datianus Metropolitanus Armeniæ, qui in aula Constantinopolitana versabatur, erat enim cognatus Imperatoris, petijt à Gregorio similes forma pueros vt eos offerret Imperatori, in obsequium cubiculi. Pontifex rescribit, se non mittere Episcopo similes pueros. Pueri pares forma & ætate erant in delicijs apud veteres in obsequium & ministerium Senec. epist. 95. *Transeo agmina exoletorum, per nationes, coloresque descripta, vt eadem omnibus ciuitas, eadem primæ mensura lanuginis, eadem species capillorum, nè quis cui rectior est coma crispulis misceatur.* Quo respiciens Virgil. 1. Æneid. *Pares ætate ministri.* Etiam vinctorum greges per ętatum & colorum paria distinguebantur Senec. de breuit. vit. cap. 11. *Qui vinctorum suorum greges in ætatum & colorum paria deducit.*

Quando enim me apud me ipsum inuenero, tunc foris me si-

miles videlicet deformes quæro. Eunuchorum & seruulorum mores magis, quam formam spectari debere voluit Hieronym. ad Demetriadem. *Eunuchorum quoque tibi & puellarum ac seruulorum mores magis eligantur, quam vultuum elegantia, quia in omni sexu & ætate, & truncatorum corporum violenta pudicitia animi considerandi sunt, qui amputari nisi Christi timore non possunt.* Pari ingenio Gregorius seruis deformibus vtebatur ad obsequium, nè qua esset suspicio, de formæ delectu.

Ita vt per loca singula, duodecim Episcopos ordines. Anglis recens conuersis ad fidem, prædicante Augustino & socijs, Gregorius duas Metropolitanas sedes constituit in Britannia, vnam Londini, alteram Eboraci, ita vt per singulas metropoles ordinarentur duodecim Episcopi, de quo Beda libr. 1. cap. 29. Certa Prouincia est quæ habet duodecim Episcopos, ex constitutione Gregorij, vel saltem decem aut vndecim & vnum Metropolitanum ex instituto Pelagij 2. can. scitote 6. quæst. 3. sed postquam Cantuaria quæ erat caput Regni Cantij, & sedes regia ab Ethelberto Rege concessa est Augustino, qui sedem sibi & successoribus suis hic locauit, ibique diem obijt, & sepultus est, in basilica Beati Petri Apostolorum Principis, metropolitica dignitas quæ à Gregorio statuta fuerat Londini Cantuariam translata est, vt patet ex epistola Kenulfi Regis Merciorum ad Leonem 3. Pontificem quæ est apud Vvillelm. Malmesbur. de Regum Anglor. gest. lib. 1. cap. 4. *Epist. 15*

Sit vero inter Lundoniæ & Eboracæ ciuitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. A Gregorio duæ Metropolitanæ sedes in Britannia statutæ, vna Londini, altera Cantuariæ, ita vt singulæ haberent duodecim Episcopos, & qui prior esset ordinatus, prior haberetur, vnde de primatu Britanniæ, diu certatum inter Cantuariensem & Eboracensem Epis-

copos, sed Cantuariensis iudicio Romanorum Pontificum pronunciatus totius Britanniæ Primas, & velut alterius orbis Papa. Anselmum Cantuariensem Angliæ finibus exulantem, in Concilio Barensi sedere iussit Vrbanus II. iuxta Romanum Archidiaconum, cui ante Pontificem sedere moris est, *includamus* inquit *hunc in orbe nostro quasi alterius orbis Papam*, de quo Vvillel. Malmesb. de gest. Pontif. Anglor. libr. 1. Eadmerus libr. 2. pag. 52. Nec solum Primas totius Britanniæ est Cantuariensis, verum etiam legatus natus sedis Apostolicæ cap. 1. de offic. legat.

Epist. 16 *Filio nostro Simplicio renunciante cognouimus, lectos vel lectisternia in Gerontocomio quod illic ab Isauro constructum est deesse.* Frequens fuit peregrinatio ad montem Sinai. Inde Rusticianæ Patriciæ Pontifex gratulatur de reditu à monte Sina, seque socium itineris, non reditus optat lib. 3. epist. 44. *Excellentiæ vestræ scripta suscipiens libenter agnouit, qualiter ad montem Sina perrexit, sed mihi credite, ego quoque voluissem vobiscum ire, sed vobiscum minimè redire.* Inter loca quæ se adijsse religionis causa refert Posthumianus apud Sulpit. Seuer. dialog. de virtutibus Monachorum Orientis percenset mõtem Sina *Iugum Sina montis ascendi, cuius summum cacumen, cælo pene contiguum adiri non potest.* Varias peregrinationes Patrum ad montem Sina refert Sophron. in prat. spiritual. cap. 100. 170. 180. Hac occasione constructum esse Gerontocomium ab Isauro in monte Sina credibile est, pro quo mittit pecuniam & certas vestes, in vsum peregrinorum eo confluentium qua de re scripta est hæc epist. Ioanni Abbati de monte Sina.

Vel naula dedimus. Naulum est quod pro vectura magistro nauis soluitur. Iuuenal. satyr. 8.

Furor est post omnia perdere naulum.

Papias. *Naulum merces, quæ datur de naue, quâ quis transuehitur.*

Mercedis causas. Id est eleemosynas & alia bona opera quorum certa est merces in cœlo, & ita merces, pro præmio cœlestis vitæ infrà hoc lib. epistol. 30. *Magis suis vtilitatibus quam mercedibus occupatus fuit.* Epist. 17

Hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere se quod sponte tribuit, æstimet. Viri honesti credunt se debere quod vltro donant, id est non conferunt beneficium vt repetant, & hoc est quod ait Senec. de benefic. lib. 1. c. 2. *Nemo beneficia in Kalendario scribit, nec auarus exactor ad horam & diem creditorem appellat.*

Vobis adminiculantibus impleatur, vt vestrum possit esse quod poscimus. Asclepiodoro commendat patrimonium Ecclesiæ Romanæ quod erat in Gallijs, vt eo adminiculante, id est iuuante tutum sit patrimonium, quod erat sub tuitione Regum Francorum. Adminiculare est adiuuare defendere, hac voce vsus est & Gregor. 26. Moral. cap. 2. *Quid enim eius defensionibus adminiculatur, quod etsi tacenti nulla intulit recta tamen incohanti praua respondit.* Vox nota latinis scriptoribus, M. Tullium Tyrone liberto *adminiculatore* in studijs litterarum vsum scribit Aulus Gell. libr. 7. cap. 3. Papias *Adminiculor id est adiuuo quasi ad manum pono, vnde adminiculum, id est adiutorium.*

Sed sicut Romanis viuere legibus permittuntur. Vetat nè Iudæi grauentur, sed sicut Romanis legibus eis permittitur, suo ritu viuere, Leg. Iudæos C. de Iudæis sic actus suos, id est rationem sacrorum, vt norunt nullo impediente disponant, Iudæi non sunt prohibendi suos ritus, & solemnitates colere vt tradidit Gregor. supr. lib. 11. ep. 15. vnde sumptus est can. qui sincera 45. dist. Epist. 18.

Monachos ipsos retrudi sine dilatione faciatis. Monachi fugitiui requirendi, & in Monasterium compellendi Reg. Benedict. cap. 29. cap. vlt. ext. de regular. Epist. 20.

Asseruit autem prædictus Abbas, Presbyterum prædictæ Massæ, nouas Monasterio ipsi velle imponere consuetudines

quæ ex tempore conditionis Monasterij, per triennale tempus hactenus non fuerunt. Quæstus est Abbas Monasterij sancti Georgij, quod situm erat in finibus Massæ, cui nomen Marato, Presbyterum massæ nouas Monasterio velle imponere consuetudines, quæ ab initio conditionis id est fundationis Monasterij, per triennium hactenus vsu receptæ non fuérunt id est portionem oblationum velle percipere, rescribit Pontifex, nè quod nouum onus imponatur Monasterio, præter ea quæ ab initio instituta fuérant. Concordat can. Eleutherius cum can. seq. 18. qu. 2. Cõditio Mouasterij pro fundatione & constructione, alias conditio pro creatione Hieron. in Marcum. *Neque enim montes & terra, natiuitatem parturitionemque recipiunt, sed conditionem.* Conditio testamenti pro scriptione & confectione Gregor. Tur. lib. 8. cap. 22.

Epist. 23 *Aut certè Scultas quos mittitis sollicitè requirant.* Mauricium & Vitalianum, magistros militum hortatur, ad defensionem prouinciæ aduersus Longobardos, & vt scultas missos sollicitè requirant. Scultæ sunt exploratores vt notat Gloss. in can. suppliciter 23. qu. 8. qui desumptus ex hac epist.

Epist. 25 *Quæsiui autem qui vobis adhæreant in lectionis sacræ Collegio & neminem reperi, & vehementer ingemui paupertatem boni.* Episcopus debet habere socium sacræ lectionis. Dolet quod Iunio Cathanensi Episcopo quæsiuit socium sacræ lectionis & non inuenit. Tanta infœlici seculo erat inopia litteratorum.

Epist. 27 *Honores enim non habet, & chartas Exconsulatus petijt, pro quibus triginta auri libras transmisit, vt ei debeant comparari.* Sub Imperatoribus alij erant Consules ordinarij, alij suffecti & honorarij, qui fiebant codicillis principis sine actu & administratione, alij Consulares, qui consularia tantum ornamenta accipiebant, codicillis principis. Leg. vlt. Cod. de Decur. L. pen. Cod. de Consulib. Nou. Iustinian.

ſtinian. 71. cap. 1. alij accipiebant codicillos Exconſulatus, quæ omnia erant nuda honoris nomina, ſine actu, non tamen ſine pretio concedebantur. Venantium nepotem Opilionis Patricij commendat Honorato Diacono, vt per eum impetret litteras ſeu codicillos Exconſulatus, quam in rem ſcribit miſſas 30. libras. Huiuſmodi codicillares dignitates ſuſtulit Alexander Seuerus de quo Lamprid. in eius vit. *Iureiurando deinde conſtringit, nè quem Aſcriptum id eſt vacantium haberet nè annonis Rempublicam grauaret.*

Quatenùs oblatis in ſacella conſuetudinibus honores mereantur accipere. Commendatur Venantius, quatenus oblatis in ſaccello pecunijs, honorem Exconſulatus per codicillos principis accipiat. Pecuniæ offerebantur fiſco in ſacculo de quo ſupr. lib. 4. ind. 13. epiſt. 34.

De qua re ei per latorem præſentium, in Excepto quæ mihi viſa ſunt relegenda dictaui. Epiſt. 28 Exceptum eſt epiſtola quæ à Notario notis excepta erat, dictante Pontifice.

Qualem neceſſitatem diuerſa officia palatijs vrbis Romæ, de annonis ſuis ſuſtineant, experientiam tuam credimus non latere. Epiſt. 29 Annonæ delegabantur à principe officijs ſacri Palatij L. pen. C. Th. de erogat. milit. annon. & ideo præcipit Romano Defenſori, vt ſe interponat apud Leontium, quatenùs eis annonæ, vt moris erat, à principe præſtentur.

Coram populo, & Clero eum perduxi, Presbyterium ei auxi, in loco ſuperiori inter Defenſores poſui. Epiſ. 30 Cyriaco Diacono in præmium rerum bene geſtarum, Presbyterium auxit, id eſt honorem & dignitatem & eum inter Defenſores Eccleſiæ Romanæ poſuit.

In Panormitana autem parte, loci ſeruatorem tui me ſufficit elegiſſe. Loci ſeruator, locum tenens, Vicarius vt infr. h. epiſt. *Loci tui ſeruatoribus deputa, vt parum aliquid xenij offerant.* & rurſus *loci ſeruatoribus tuis præcipè vt per omnia*

impleant. Græcis τοωοτηρητὴς. Suidas, τοωοτηρητὴς εἶδος ἀξιώματος *Loci seruator dignitatis genus.* In Concilijs τοωοτηρηταὶ Balsamoni in proëm. Synod. Carthaginens. sunt τόπες ἀναωληρῶντες τῶν μὴ δυνηθέντων συνελθεῖν εἰς τὸν σύνοδον, *Locos implentes eorum qui non poterant in Synodos conuenire,* à Græco τηρεῖν quod est conseruare id est implere locum alterius. Defensores patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia habebant loci seruatores, seu Vicarios certis locis præcipuè apud Panormum & Syracusas vt patet ex hoc loco. Et duæ erant stationes patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia, vna Panormi, altera Syracusis supr. lib. 10. epist. 49.

Stude si Deo placuerit, vt in hanc vrbem ante Natalem B. Cypriani transeas, nè ex signo quod diebus istis semper imminet, quod absit aliquod periculum possit imminere. Petrum Subdiaconum monet, vt è Sicilia in vrbem redeat, ante Natalem beati Cypriani, propter periculum maris, quod eo tempore mare sit procellosum. Idem obseruat Procop. de bell. Vandal. lib. 1. & ex eo Euagr. lib. 4. cap. 16.

Eumque à me tristem, amaricatumque repuli. Amaricatus est cum quo amarè, & asperioribus verbis actum est idem Moral. lib. 5. cap. 2. *Sed hoc amaricatum cor ad gaudium suum quandoque reducitur.*

Venientibus Scribonibus, nam sicut audio iam illi Tyrones colligunt, loci tui seruatoribus deputa, vt parum aliquid xenij offerant, quatenus sibi eos placabiles reddant. Tyronum collatio, erat onus Prouinciarum, propter possessiones & prædia L. 7. C. Th. de Tyronib. Veget. libr. 1. cap. 7. *Dum possessoribus indicti Tyrones, per gratiam aut dissimulationem probantur.* Ammian. lib. 21. *Indictis per Prouincias tyrocinijs, omnis ordo & professio vexabatur.* Scribonum munus erat, in Prouincijs Tyrones legere & probare. Quocirca Petro Subdiacono Defensori Siciliæ mandat, vt loci sui seruatoribus id est Vicarijs suggerat, vt Scribo-

nes xenijs sibi concilient quo in exigendis Tyronibus sint mitiores.

Vt legata quæ ex tenore Antonini Defensoris à nobis debentur Monasterijs vel alijs soluerentur. Id est vt legata quæ debentur de rebus quas tenet possidet Antoninus Defensor Monasterijs, vel alijs soluantur. Tenor pro tenemento seu possessione rerum.

Cautiones vero quæ in eiusdem Antonini substantia sunt inuentæ pariter defer. Cautiones sunt chirographa seu instrumenta debiti L. lecta de reb. credit. L. Titius. quæ res pign. supr. l. 7. ep. 59. ind. 2. *Et à cunctis debitis cautionibus restitutis.* Anast. in Vigil. *Cautionem manus suæ ei ostendentes, quomodo promiserat eum in ordinem suum reuocare.*

Quia fabrica in Prætoriano Monasterio, nè ad medietatem quidem adhuc perducta est. Prætorianum Monasterium fuit apud Panormum in Sicilia. Eiusdem meminit infrà in calce huius epist. *Codicem autem Heptatici, de substantia Antonini dari volumus in Monasterio Prætoriano.*

Præterea vnum nobis Caballum miserum, & quinque bonos asinos transmisisti, Caballum illum sedere non possum quia miser est, illos autem bonos non possum, quia asini sunt. Respuit caballum id est equum quia miser id est vilis erat, respuit asinos etsi bonos, quia asini erant. Romanis placuére equi Iudæis mulæ, Afris asini potius quam equi. Auctor quæst. vtriusque testam. cap. 115. *Nam Regibus Iudæorum mulæ placuerunt ad sessum, Romanorum autem non mulæ, sed equi. Garamantum autem qui supra Tripolim Afrorum sunt Regibus tauri placent ad sessum, Persarum vero Reges vehiculis feruntur, nam veteres Reges Persarum non videbantur à populis & Reges Madiam camelis delectabantur ad sessum, ita vt & colla eorum aureis exornentur torquibus, & per Africam asinis magis volunt insidere quam equis, &c.*

Progeniem vero suam vnumquemque, vsque ad septimam obseruare decernimus generationem. Nuptiæ vetantur inter

cognatos & affines, vsque ad septimum gradum. Ex dispensatione nuptiæ Anglis permissæ sunt à Gregorio inter cognatos quarto & quinto gradu nè recens conuersi metu austerioris legis auocarentur vt patet ex responso eius ad consultationes Augustini. Quod extat in can. quædam 35. qu. 2. & refertur in can. ad sedem ead. caus. q. 5. Hodie ex Concil. Lateranensi nuptiæ vetitæ sunt, inter cognatos & affines, vsque ad quartum gradum inclusiuè cap. pen. de consang. & affinit. cap. licet ex quadam de testib.

In priuilegiũ Monast. B. Medardi Suessionis quod extat in calce huius operis in edit. veteri Paris. & in edit. Vaticana ponitur libr. 2. post Epist. 38.

Auctoritate igitur diuina, vice beati Petri Apostolorum Principis, consensu omnium Romanorum Pontificum & voluntate totius Senatus Romani, suadente nobis viro apostolico Anserico Suessorum vrbis Pontifice & omnium Galliæ Episcoporum fauente iudicio decernimus, vt nullus Archiepiscoporum vel Archidiaconorum fratres præfatæ basilicæ de ordinatione sui Abbatis, vel Ecclesiasticorum graduum assumptione inquietet. A Gregorio confirmatur priuilegium exemptionis Monasterio S. Medardi Suessionensis à Ioanne 3. concessum, & hoc nè inuidiosum videatur precibus Brunichildis Reginę, & Theodorici Regis eius nepotis, suadente & instante Anserico Suessionensi Episcopo, & iudicio id est consensu omnium Episcoporum Galliæ. Pari instantia Brunichildis & Theodorici Monasterio S. Martini Augustodunensis priuilegium exemptionis concessit Gregor. supr. lib. 11. ep. 10. Gregorius confirmat priuilegium à Ioanne 3. Papa concessum Monasterio S. Medardi Suessionensis quod exscripsit Aubert. Mireus. Orig. Benedictin. cap. 12. Idem confirmauit priuilegium per Vigilium Papam concessum Monasterio Arelatensi libr. 7. epistol. 115. indict. 2. Inter priuilegia Monasterij Suessionensis hæc sunt pręcipua primum quod electio & ordinatio Abbatis tribuitur Monachis ex priuilegio speciali, de quo supr. lib. 4. ep. 43. & lib. 7. epist. 18. can. Abbatem, can. quam sit necessarium 18. q. 2. Reg. Benedict. cap. 64. Secundum est vt Monachi eius-

dem Monasterij ordinationem,& benedictionem chrismatis à quocumque petant Episcopo.

Viginti mansos ingenuos & totidem seruiles. In dote Monasterij Sueßionensis, censentur certi mansi ingenui, & seruiles. Mansus est fundus certum terræ modum continens, quem iugum boum per annũ excolere potest. Gloss. in cap. 2. de censib. Triplex mansi genus constituitur Dominicatus, ingenuus seruilis. Capitular. Carol. Calu. tit. 42. *Vnusquisque Episcopus qui habet Abbatiam, aut Abbas qui similiter habet Abbatiam aut Comes qui æquè habet Abbatiam, de suo manso indominicato similiterque & de vassallorum accipiat, de manso indominicato denarios duodecim, de manso ingenuili quatuor denarios de censu Dominicato, & quatuor de sua facultate, de seruili vero duos denarios de censu, & de sua facultate duos.* Mansus Dominicatus est Mansus Dominicus quem Dominus ipse possidet, ingenuilis & seruilis distinguntur ratione diuersæ conditionis personarum, quibus conceduntur. Ingenuilis est quem Dominus in feudũ seu beneficium concessit vassallo quem ingenuum & nobilem esse oportet, sub certo seruitio & censu, seruilis est quem Dominus concessit rustico colendum sub certo censu & seruilibus conditionibus quæ onerant personam, puta sub certis operis. Et hæc omnia mansuum genera vectigal pendebant principi, præter censum Dominicum in hanc rem memorabile est quod refert Aimoin. Monach. l. 5. c. 34. Carolum Caluum de Francia & Burgundia vectigal exegisse, è mansis indominicatis solidum vnum, de vnoquoque manso ingenuo denarios quatuor de censu Dominico & totidem de facultate mansuarij, de manso seruili denarios duos de censu Dominico,& duos de facultate mansuarij. Mansos Dominicatos & seruiles memorat Baldricus Nouiomens. chronic. Camerac. lib. 1. cap. 52. ex veteri charta. *Mansum Dominicatum cum casticijs, mansi seruiles sex, est ibi camba.* Vnum mansi genus est liberum, ab

omni censu & onere, quod conceditur singulis Ecclesiis, in sumptum sacri Ministerii Concil. Vvormac. can. 50. *Sancitum est vt vnicuique Ecclesiæ vnus mansus integer & absque vllo seruitio tribuatur.* Can. sancitum 23.qu.8.cap.1. de censib.

De altaribus quoque iuxta institutionem Domini Papæ Ioannis Apostolica auctoritate confirmamus, vt qui fuerit Rector præfati Monasterij, fiat præterea altarium Præsul & omniũ Ecclesiarum sibi pertinentium. Confirmat Monasterio Suessionensi altaria, vt qui Abbas fuerit Monasterij sit etiam Præfectus altarium, Altaria sunt Ecclesiæ seu Capellæ pertinentes ad Monasterium Vrban.2.in Concil.Aruern. can.7. *Vt Ecclesiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur Monasterijs datæ sæpius ab Episcopis sub palliata auaritia vendantur.* Can. quæsitum 1.qu. 3. de quo Goffrid. Vindoc.lib.3.ep.12. Iuo Carnot.ep.12.

Si quis autem Regum, Antistitum Iudicum, vel quarumcumque secularium personarum huius Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit honore suo priuetur, &c. Nonnullis viris eruditioribus pro falso habetur hoc priuilegium, hoc argumento: quod si quis violauerit priuilegium cuiuscumque dignitatis sit Pontifex dixit vt honore suo priuetur, non exceptis personis Regum vel Iudicũ, quod valde abhorrens & alienum videtur à discretione Gregorij qui cum Regibus & Principibus reuerentius agere solet. Vtuntur & alio argumento quod inter Episcopos qui subscripsére priuilegio ponuntur Eulogius Alexandrinus Episcopus & Dominicus Carthaginensis Episcopus, de quibus non legitur vspiam quod Romæ fuerint. Verum non desunt contraria argumenta ad tuendum priuilegium. Primũ moueor auctoritate illustrissimi viri Cardinalis Baronij qui hoc priuilegium laudauit in Martyrol. 8.Iun. ex fide registri ipsius Gregorij l. 12. ind. 7. cap. 32. Secundo priuilegium extat in Registro Gregorij, etiam in

2. editione Vaticana, nimirum lib. 2. post ep. 38. Vix est vt dubitari possit de fide Regiſtri epiſtolarum Gregorij quod prodit ex Scrinio Eccleſiæ Romanę, in quo depoſitum eſt cum aliis eiuſdem operibus teſte Ioanne Diacono lib. 4. c. 71. Tanti eſt auctoritas archiui Eccleſiæ Romanæ, vt nequaquam ſuſpecta ſint monumenta Pontificum, quæ illic inueniuntur cap. ad audientiam de præſcr. Tertiò non eſt idoneum falſi argumentum clauſula poſtrema priuilegij quâ indicitur vt honore priuetur quiſquis priuilegium temerauerit, quia ſi æquis animis interpretemur verba Pontificis, priuilegij violatoribus non alia pœna indicitur quam anathematis vt probatur his ſequentibus verbis. *Et vt Catholicæ fidei deprauator, vel ſanctæ Dei Eccleſiæ deſtructor à conſortio chriſtianitatis, & corpore ac ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſequeſtretur, &c.* Priuilegijs Apoſtolicis anathematis pœna inſici ſolebat, vt conſtat etiam hic de priuilegio eidem Monaſterio conceſſo à Ioanne Papa 3. Priuilegio Landerici Pariſienſis Epiſcopi Monaſterio B. Dionyſij conceſſo & alijs appoſitam fuiſſe pœnam anathematis rectè obſeruat vir illuſtriſſimus Hieronym. Bignonius in notis in Marculfum. Et quod dicitur vt qui priuilegium violauerit honore ſuo priuetur, refertur ad ea quæ proximè ſequuntur nimirum ad pœnam anathematis, per quam qui à communione Eccleſiæ remouetur, reuera potiſſimo vitæ honore & dignitate priuatur, ex quo inter Infideles & Hæreticos abſlegatur. Imo illud non eo pertinet vt Rex vel Iudex priuetur honore Regis vel Iudicis, ſed vt careat honore Patroni ſeu Fundatoris vel Aduocati, & Defenſoris Monaſterij, quo ſenſu par pœna apponitur Monaſterio Auguſtodunenſi ſuprà lib. 11. epiſt. 10. Quartò nè vos pungat amabo Eulogij Alexandrini, & Dominici Carthaginenſis Epiſcoporum ſubſcriptio, quia priuilegium fortè miſſum ad vtrumque, & ab his ſubſcriptionibus ſuis munitum ita deſiderante Pontifice, vt eo-

rum honori & gratiæ indulgeret, propter arctiorem amicitiam quæ intercedebat inter eos vt satis constat ex lib. 2.ep.39.& libr.6. epist.37. & aliis locis. Denique nihil est quod miremur à Gregorio concessum priuilegium Monasterio S. Medardi Suessionensis vel confirmatum priuilegium concessum ante per Ioannem 3. Papam, nam & idem Pontifex priuilegia concessit vel confirmauit quampluribus aliis Monasteriis Galliæ vt Arelatensi Augustodunensi & aliis. Et certè Monasterium istud fuit dignissimum gratiâ Pontificis, fuit enim Regiæ fundationis nimirùm fundatum à Clothario I. & Sigeberto eius filio de quo Gregor. Tur.lib.4. cap.19. Idem de glor.confess.cap. 95.Et Ansericus Suessionensis Episcopus quo postulante priuilegium concessum est fuit bene meritus de Ecclesiâ, idem interfuit Concilio Rhemensi anno Christi DCXXX. de quo Flodoard. hist. Rhem. lib.2. cap.5.

FINIS.

Laus Deo Optimo Maximo, SS. Apostolis Petro & Paulo, & Beato Gregorio viro Apostolico.

INDEX

Index rerum & verborum.

A.

ABBAS eligi non debet presbyter secularis vel non professus 129.
Abbas debet esse presbyter. ibid.
Abbas priusquam Monachus. 290.
Abbatissæ ætas. 129.
Absentes vocantur ad electionem ex tota Prouincia 105.
Absens ægritudinis causa non est deponendus. 130.
Acclamationes in electione & ordinatione Episcoporum 201.
Acclamatum Imperatori in auspicio Imperij 307. 308.
Accommodare 241
Accusatus de hæresi Marcianistarum absoluitur postquam compertum est accusantes nescire quænam esset illa hæresis. 186.
Accusatores non audiuntur aduersus Ep. nisi sint idonei. 249.
Acridia dicta prima Iustiniana. 154.
Actionarii actores Ecclesiæ. 46. 184.
Actio actus administratio. 103.
Acta ciuilia & criminalia 105. 106.
Adaquare. 309.
Adiectionis commodum. 43. 44.
Adminiculare adminiculator. 327.
Æmilia regio Italiæ. 155.
Ænea Ecclesia Hierosolymit. 289.
Ægyptus caret ligno idoneo ad construendas naues. 200.
Africa prouincia proconsularis. 57.
Africa fidei initia serius cœpit ab Ecclesia Romana. 223.
Agatho Papa ex Monacho. 197.
Agiléus martyr. 298. 299.
Agiulfus idem Ago dictus Rex Longobardorum. 124. 229. 281.
Agrimensor dirimit quæstiones de finibus. 212.
Alemani. 263. 264.
Alleluya cantandi vsus. 246.
Alexandria vrbs clara studio Medicinæ. 313.
Aldiberga Regina Anglorum. 293.
Altaria Capellæ Monasteriorum. 334.
Albula gemmæ genus. 323.
Amæ Amulæ onychinæ. 47.
Amaricatus. 330.
Amen gratia signum Epistolarum Ignatij Antiocheni. 169.
Amphimalum. 325. 306.
Anastasius Antiochenus Episcopus sede sua pulsus ope S. Gregorij restitutus. 10. 25. 168.
Anastasius seculari manu depositus à Gregorio non habetur pro deposito. 25.
Anathema major excommunicatio. 269.
Anax vrcei genus. 169.

INDEX.

Ancillæ Dei. 118.
Angli ad fidem conuersi prædicante Augustino. 293. 294.
Anglorum conuersio neglecta ab Episcopis Galliarum. 199.
Anglici pueri in Monasterijs Galliæ instituti in fide. 18. 183.
Annonæ delegatæ à Principe officijs sacri Palatij 329.
Antharith Rex Longobardorum. 87. 88.
Antigraphus. 27.
A paribus. 23.
Apocrisiarij. 35.
Appendiciæ appendices. 196. 305.
Appositum pignus. 35.
Aqua lustralis. 296.
Aquitanica pallia. 212.
Archiatri inter amicos Principis. 122.
Archidiaconi munus non erat perpetuum 13. 14. 257.
Archidiaconus præpositus ærario Ecclesiastico. 14. 70.
Archidiaconi ordinatio. 68.
Archidiaconus depositus ob factum. 70.
Archidiaconi munus in Ecclesia Romana extinctum. 10.
Archidiaconus dolo presbyter ordinatus 18.
Arelatensis Episcopus primas Galliarum. 178.
Argentarij eorum tabernæ in foro
Argumentum argutus. 279. 192.
Arnulfus dux Spoletanus 88. 90.
Aroges dux Longobardorum. 90.
Asinorum vsus ad vecturam. 331.
Aspasticum. 144. 321.
Asteriscus. 185.
Attica vasa. 169. 170.
Augustinus Episcopus Anglorum ordinatus ab Episcopis Galliarum. 222.
Augustodnensis Episcopus primus post Primatem Lugdunensem, & habet ius pallij. 254.
Aulicorum vita. 209.
Auctionarij sunt nummularij. 42.
Authenticum. 48.

B.

BAlneum Regis ciuitas Episcopalis Thusciæ. 267. 268.
Bannus Christianitatis. 197. 198.
Baptismus vnica mersione perficime. 57.
Babtisterium baptismalis Ecclesia. 76.
Baptisterium in Monasterijs prohibetur. 117. 118.
Baptizandis vestis alba dari solebat. 157. 227.
Baptismi dies solemnes. 219.
Barbaricini profugi ex Africa. 137.
Barbaria. 137.
Barbari pro Gentilibus. 137.
Barbarini genus numorum 136.
Baricis ciuitas Africæ olim Barcè 100.
Basilica aurea. 11.
Basilica Ecclesia non consecrata vel Major Ecclesia. 187.
Bellum inter Francos & Longobardos. 124.
Benedictio munusculum. 138.
Berbices inter excepta. 272
Bigeriga vestis. 212.
Brandeum. 140.
Breuis breue. 108. 212. 241.
Britones non communicabant Anglis. 199.
Brutij vel Britij populi Italiæ. 33.
Burda, Burdatio. 42.
Byrrus vestis genus. 227

INDEX.

C.

Caballus Caballarij Caballicata 269 270.
Cæcitas flagellum. 257.
Calcis veſtigium pedis. 157.
Callinicus Exarchus. 232.
Camerarius Eccleſiæ Romanæ. 70.
Camiſia. 208. 209.
Campagi. 220.
Campuli Eccleſiæ. 299.
Cancellarius eius dignitas. 62.
Canon locus Canonis. 310.
Canon oratio quâ conficitur corpus Domini. 248.
Canterma maleficium *Charme*. 324.
Cantuarienſis Epiſcopus Primas Angliæ. 325.
Capitulare varia huius vocis ſignificatio. 33. 34.
Capitulum varia huius vocis acceptio. 51.
Capreæ inſula in ſinu Adriatico. 232. 251. 252.
Captiui deportabantur in Africam vt pro ſeruis venirent. 100.
Captiuitatis ius non deſierat ætate Gregorij. 163.
Caralis Metropolis Sardiniæ. 50.
Cardinalis Sacerdos. 67. 74.
Carthaginenſis Epiſcopus Primas Africæ. 65. 65.
Caraxare. 237.
Caſales Caſalia. 276. 277.
Caſſare caſſa fructuum. 50.
Caſſiani Regula. 202.
Caſſianus fundauit duo Monaſteria apud Maſſyliam. 203.
Caſtra poſita aduerſus Longobardos. 224.
Catatumbas. 141.
Catenæ Petri & Pauli 138. 299.
Catechumeni. 220.
Cathedra inſigne iuriſdictionis Epiſcopalis. 170. 197.
Cauſæ Epiſcoporum & Primatum pertinent ad ſedem Apoſtolicam 248
Cautiones chirographa 331.
Cellæ cellarium. 44. 45. 315.
Cella pro Monaſterio. 161. 162. 235.
Centenarij. 257.
Cereus paſchalis eiuſdem benedictio. 257.
Ceſpes profundo. 216.
Chartago artifex literarum latinarum. 95.
Chartularij ſerui manumiſſi per Chartulam. 54.
Chartularij dignitatis genus. 80. 91. 302. 311.
Chartarium Eccleſiæ Romanæ 115.
Choſroè Rex perſarum. 121.
Chriſtianiſſimi dicti Imperatores & Reges Francorum. 18. 19.
Chriſtianitas. 181. 182. 197.
Cimiliarchium Eccleſiæ. 110. 204.
Circuli. 198.
Clades Italiæ per Longobardos. 104. 125.
Claſſis oppidum ditionis Rauennæ. 159.
Claudius Dux Hiſpanicus. 256.
Claues è corpore B. Petri tranſmiſſæ Principibus. 25.
Claues eædem miraculis claræ. 25. 26.
Claues Sepulchri Dominici benedictionis gratia tranſmiſſæ Carolo M. 26, 188.
Claues de corpore B. Petri collo ſuſpenſæ geſtari ſoliæ. 27

INDEX.

Clauſula varia huius vocis acceptio 10
Clerici & Monachi non excuſantur à vigilijs murorum 250
Clericis locari ſolebant prædia Eccleſiæ 86
Clerici & monachi an teſtes audiuntur in cauſis Eccleſiæ, & Monaſterij 154
Clericus alterius Eccleſiæ non poteſt conſentire electioni de ſe factæ ſine ceſſione proprij Epiſcopi 158
Clerici non debent procurare commatres. 146
Cocleares 198
Codicilli exconſulares 319
Codicillares dignitates ſublatæ 329
Coenaculum pars domus 213
Cognidium genus potionis Alexandrinum 212
Collationi Beneficiorum ſerius manus injecta à Romano Pontifice 76
Collatum genus potionis 212 213
Collecta 213
Collector Proſcholus 313
Coloni præſtant cenſum in ſpecie non in nummis 36
Coloni præſtant frumentem tranſvehendum ſuo periculo 37
Coloni 133
Comes Excubitorum 30
Comes caſtri vel ciuitatis 250
Comites 201
Comitiſæ veſtes feſtiuæ 600
Commendati Eccleſiæ 46
Communio laica 150 151
Communio pregrina 151 152
Comparatio quid diſtet ab emptione 61
Concilia quatuor generalia priora ſpectantur ſicut quatuor Euangelia 24 99
Concilia Prouincialia indigent confirmatione Pontificis 110
Concilia annua in Africa 69
ConciliaProuincialia iterum quot annis 127
Concilia aſſeruata in ſcrinijs ſedis Apoſtolicæ 241
Condita 228
Conditionales 301
Conditio 328
Confirmatio Baptizatorum eſt propria Epiſcoporum 127 128
Conſules alij ordinarij, alij ſuffecti ſeu honorarij 328
Conſulares 328
Conſuetudines aliarum Eccleſiarum non dedignatur Romana Eccleſia 248
Conſtantinopolitanus Patriarcha primus poſt Ro. Pontificem 248
Conſtantinopolitanus Patriarcha dicebat ſe vniuerſalem 208
Conſultum 51
Conteſtatio libellus famoſus 191
Continentia varia huius vocis acceptio 78
Contrarius 49
Coronæ cum Delphinis 61
Corpora artificum 262
Correctio modica eſt iuris Epiſcoporum 295
Cryptæ in his conditi mortui 286 287
Cruce ſignati ſub tuitione Eccleſiæ 272
Crucis præferendæ vbique ius habent Patriarchæ, niſi in vrbe vel vbi adeſt Ro. Pontifex vel

ejus Legatus. 27
Crucem vbique præfert Roman. Pontifex. 27

D.

DAlmatica veſtis Diaconorum, 254 255.
Damnati tacitâ cauſâ. 70 71
Datitij 65
Decimata vini. 49
Dedicatio Eccleſiarum vel Altarium non fit ſine reliquijs Sanctorum. 53
Dedicatio Eccleſiarum pertinet ad Epiſcopum 53
Dedicationem Eccleſiarum ſibi vindicauit Gelaſius P. 53 54 233
Dedicatio Monaſterij 203
Dedititij. 65
Defenſorum ſchola. 283
Defenſores non admittuntur abſque Codicillis, 204
Defenſores eorum officium. 227 249
Defenſorum Patrimonij Eccleſiæ Romanæ varium officium. 11 12
Defenſorum commendatio. 233
Defenſores patrimonij Eccleſiæ Romanæ in Provincijs. 2 3
Defenſores Eccleſiæ. 159
Defenſorum iuriſdictio in Clericos. 183 184
Defenſores Patrimonij Eccleſiæ Rom. habebant Vicarios 329
Defenſores initio iurant ante corpus B. Petri. 64
Delegati ſedis Apoſtolicæ 69
Delegare pro legare, delegatio pro legato. 234
Delegatus non admittitur ſine mandato. 64
Delictum Prælati non debet nocere Eccleſiæ. 317
Depoſitio Epiſcopi, vel Abbatis ob lapſum carnis. 103 302
Depoſitus poſt pœnitentiam non reſtituitur dignitati niſi ex diſpenſatione. 148
Deſuſceptum. 120
Detruſio in Monaſterium pœnitentiæ cauſa pœna lapſorum Epiſcoporum vel Clericorum. 19 43
Deus iratus non irritandus. 268
Diaconi Ravennates. 157
Diaconi Arelatenſes. 253
Diaconorum officiũ. 172 173 117
Diaconi & Subdiaconi Regionarij. 216
Diaconis Eccleſiæ Rom. & alijs nonnullis ex priuilegio licet vti Campagis. 220
Diaconicæ. 159 261 288
Diaconiæ præpoſiti immunes à reddendis rationibus. 280
Diatheca pro teſtamentis. 29
Dictare Dictator Dictata. 190 191
Dies anniverſarius ordinationis Epiſcoporum 155
Digami arcentur à Sacris ordinibus. 84
Dinamius Patricius Galliarũ. 106 211
Diſciplina temperatur miſericordiâ. 23 24
Diſciplinæ robur non eſt remittendum. 206
Diſciplinæ ſtudium requiritur in Epiſcopo- 136 202
Diſcretus diſcretio. 210 211
Diuerſus. 260
Diſcurſus. 265 266
Documenta. 99
Domina pro vxore. 264

INDEX.

Domni pro dominis. 82
Domitianus Episcopus Melitinæ Metropolis Armeniæ 233 vnus è cognatis Mauritij A. 288
Domus vrbanæ solebant designari per regiones vrbis 100
Domus vniuersæ vno pretio conducebantur, & per partes sublocabantur. 100 101
Domus varijs cœnaculis distinctæ vnâ claue claudebantur. 101
Donatio indiget insinuatione. 75 239
Donationibus quæ ab Episcopo fiunt in Ecclesias modus impositus, 181
Donatio directa. 305
Donatistæ rebaptizabant Catholicos ad se transeuntes. 84 85
Dromon nauis cursoria. 263
Duces & Comites Longobardorum. 215
Duplex pro versipelli. 260

E.

ECclesiæ Rom. patrimonium in Calabria, Sicilia, Gallia & alijs Provincijs. 12 106 275
Ecclesia non debet prædijs alienis titulos apponere more fisci. 58 163
Ecclesiæ Mediolanensis prædia in Sicilia. 68 273
Ecclesia non consecratur sine dote 75 & reliquijs. 126
Ecclesia S. Severini in vrbe Arrianis adempta. 101
Ecclesia res suas tueri debet alienis abstinere. 109
Ecclesia cultrix justitiæ. ibid.
Ecclesia S. Pancratij Martyris. 131
Ecclesia S. Agathæ in Suburra. 131
Ecclesia Romana. 146
Ecclesiæ & Monasteria excusantur à metatis militum. 253
Electio Rom. Pontificis non fiebat sine confirmatione Imperatoris. 59
Electio Episcopi uel Abbatis, non debet fieri de alia Ecclesia, vel Monasterio, nisi in subsidium 20 81
Electio Episcopi debet fieri intra tres menses. 73
Electio Episcopi penes Clerum & plebem. 74
Electio Abbatis penès Monachos. 171
Electionis Episcopi forma. 81
Electio per compromissum. 99 100
Electio Episcopi debet fieri sumptu Ecclesiæ 108
Electi id est arbitri 33
Eligendus in Episcopum qualis esse debet. 268
Elogium 264 265
Emphyteuta non potest fundum alienare sine consensu Domini. 126
Emphyteutæ non sunt Domini sed possessores 126
Episcopi Siciliæ olim immediatè subjecti Rom. Pontifici carentes Metropolitano 4
Episcopi munus secularibus curis implicitum 8 9
Episcopus interceſſor pro plebe apud Deum 23
Episcopi munus est docere 23
Episcopus non potest iudicari nisi in Synodo Episcoporum 57
Episcopi sedibus suis pulsi alijs commendantur 49
Episcopi per tempora tenebantur visitare sedem Apostolicam 64

204 205
Episcopus non deponitur ob ægritudinem, sed ei datur Coadjutor. 73 289
Episcopi epulones vituperantur. 77
Episcopus debet residere in Ecclesia principali 87
Episcopus non potest quem excommunicare ob proprium dolorem 91
Episcopi Hyberni schismatici 92
Episcopos fratres & Dominos vocant Gregorius & alij Pontifices 94
Episcopus non potest deponi absque Concilio Episcoporum. 99
Episcopo vel Presbytero depositio datur modicum vnde viuat 112
Episcopus executor piarum voluntatum 128
Episcopus debet esse peritus rerum agendarum 136
Episcopi officium est purgare Diœcesim ab Hæreticis, & Paganis 137 148
Episcopus de quibusnàm testari potest 143 276
Episcopi nomen memoria celebratur inter Missarum solemnia 144
Episcopi & clerici honestè paupertatem ferre non possunt 160
Episcopi annonam accipere non debent à fisco 171
Episcopus eligendus non est qui psalterium memoriter non teneat 176
Episcopi Presbyteri & Diaconi vacantes solebant incardinari in alijs Ecclesijs 183
Episcopus habet iurisdictionem ordinariam in Clericos & Monachos 183 184
Episcopi est non modo lectioni & orationi vacare, sed & curæ pauperum 190
Episcopus non debet iurisdictionem suam præterire 195
Episcopus in Monasterijs exemptis nihil iuris habet præter curam disciplinæ 254
Episcopi & Clerici contubernium cum mulieribus vetitum 238
Episcopus debet habere socium sacræ lectionis 238
Episcopum in foro videri turpe est 260
Episcopi & Præsbyteri sedent in Concilio, stant Diaconi 277
Episcopi non sunt cogendi rationem actus sui reddere 280
Episcopi est sacras literas docere non grammaticam 290 291
Episcopalis sedes adempta Scyllitanæ civitati ob cædem duorum Episcoporum 223
Episcopium 276
Eusychius Epic. Hyerosolimitanus 288
Etherius Episcopus Lugdunensis 310
Epulæ in dedicatione Ecclesiarum vel natali die Martyrum 55 297
Evangelia collo suspensa gestari solita 28
Evangelia prosunt adversus maleficia, & incendia 321 322
Evangelium vnum ex insignijs imperij 323
Evangelia in medio proposita in concilijs, & prætorio Iudicum 218
Eulogiæ 314 315

Eulogiæ à clericis offeruntur Episcopo 58 59
Eulogium benedictio testamentum 30 264
Eulogius Episcopus Alexandrinus 211
Eulogij liber adversus Agnoitas 265
Eunuchi varia eorum ministeria 205 206
Eusebij liber de gestis martyrum. 221
Exarchus Italiæ 31
Exarchi sedes Ravennæ 31
Exarchus Africæ ibid. 57
Excellentia nomen dignitatis 57
Excepta sunt quæ in conductionibus præstantur præter mercedem conductionis 39 41
Exceptum 329
Excessus 260
Excommunicatio pœna canonica 246
Exemplar 49
Exilium pœna Canonica 295
Experientia titulus honoris 51

F.

FAcere obscœnum verbum 90
Facies pro persona 271
Fana idolorum in Angliâ in ædes sacras conversa mutato consilio de his destruendis 294 295
Fana fanatici 296 297
Fatuus fatuitas 162
Fides Galliarum vnde cœpit originem 177 178
Filij Ecclesiæ 113
Finis Mundi 208
Fiscus pecunias accipit in saculo. 329
Foralis inquietudo 57
Foris-maritagium vetitum rusticis 301
Forum Cornelij ciuitas Æmiliæ hodie Imola 313
Francia dicta est Galliâ à tempore Clodovei 163
Francia olim Germania 222
Frontinianistæ hæretici 267
Fundator Ecclesiæ nihil ibi iuris habet præter processionis aditum 324

G.

GAllia de fide laudatur 180
Genua olim suffraganea Metropolis Mediolanensis 105 257 258
Gennadius patricius 201
Germania pro Francia 222
Gloria nomen dignitatis 22
Glorioſus 22
Græci nundinatores reliquiarum. 140
Græci imperiti latinæ linguæ 208
Græci impostores falsi artifices 185 186
Græcâ linguâ vtebatur vniuersus Oriens 210
Gregorius invitus electus Pontifex 21 167
Gregorius sub initio Pontificatus scripsit libros in Iob. 35
Gregorius xeniis non est delectatus 59
Gregorus sollicitus de salute Longobardorum 12
Gregorius abstinuit à sanguine Longobardorum 72 165 214 215
Gregor. stultitiæ notatus à Mauritio A. ob pacem factam cum Longobardis 88 162
Gregorius electioni Episcoporum sese non immiscuit 104

Gregorius scripsit 4. libros de vitis Patrum. 111
Gregorius remissior in levioribus culpis 115
Gregorius podagra laborat 257
Gregorius ante conuersionem gessit Præturam vrbanam 124
Gregorius pacem redimit à Longobardis 165
Gregorius sollicitus pro redemptione captivorum 163
Gregorius iuris peritus 215 216
Gregorius in dubijs consulit iurisperitos 230
Gregorius vsus est vulgari sermone 245
Gregorius tabulis pacis cum Longobardis, per se subscribere non sustinuit, sed per alium 252
Gregorius libros Augustini siliginеos vocat, suos furfureos 267
Gregorius de humilitate laudatur 267
Grossesco grossus 242

H.

HABITVS non facit Monachum 238
Hastula pro modo agri 272 275
Hæretici resipiscentes recipiuntur in Communionem 16 17
Hellas pars Græciæ 179 181 182
Heptatichum 241
Hierarchichi priores Cleri 30
Homo pro servo vel conjuge 145 vel pro subdito 260
Honoratus Archidiaconus Salonitanus dolo Presbyter factus 13
Hospitalitatis cura in Monasteriis 98
Hospitalitatis studium commendatur Episcopo 321
Hospitium est cella cubiculum 101
Hostis ost 303

I

IConia 307 308
Idolorum cultores exploduntur 118
Idoneus debitor 291
Illiterati arcentur à Sacris ordinibus 84 138
Illyrici vastitas 320
Imagines Imperatorum positæ in ædibus sacris 307
Imago Salvatoris eius cultus 243 244
Imaginum fractio vetita. 253
Imagines B. Virginis & Sanctorum appositæ pileis peregrinantium. 244
Imminentia instantia imminere instare. 228
Immissiones 218
Imperator non facit medicum nec Rhetorem. 9
Imperator simiam leonem facere non potest. 9
Imperator Dominus Liberorum. 270 271
Importunus. 241
Incantatores. 290
Indictionum vsus. 76
Indictionum auctor Constantinus. 16
Indictionum initium à 24 mensis Septembris. 16 17
Indisciplinatus indisciplinatio. 145 226 227
Ingenium 192
Ingratus pro non grato, ingratitudo eodem sensu. 257
Induciæ. 298 299
Infensi deteriores fiunt rogati. 28
Innotescere actiuè pro notum fa-

cere. 253
Inquisitio de vita & moribus electi debet fieri in partibus 201
Instare 168
Intercessiones Episcoporum pro oppressis 235
Introitus militiæ Sacerdotij Curiæ. 262
Inventarium rerum vacantis Ecclesiæ confici debet. 101
Invitus non est promovendus ad altiorem ordinem 78 198
Ioannes Patriarcha C. P. infensus Gregorio 140 eius hypocrisis 163 vniuersalem se dicebat 164
Irenei Lugdunensis Episcopi gesta & scripta à Gregorio quæsita nec inventa. 291
Iudæis non licet comparare vasa sacra Ecclesiæ 61 nec seruos christianos. 108
Iudæis non licet habere christianum mancipium. 127
Iudæi non vetantur habere colonos Christianos. 133
Iudæis conversis pensio pro parte remittitur. 152
Iudæorum serui siue Iudæi sive Pagani possunt provocare ad libertatem. 192
Iudæorum conversio semper suspecta 214
Iudæi malè audiunt de maleficijs 213 214
Iudæi ne quid præsumant præter leges. 220
Iudæis licet suo ritu vivere 327
Iudæi mitius tractandi. 32
Iudices ordinarij Rectores Provinciarum. 95
Iudex civilis non debet cognoscere de causis Ecclesiasticis 97
Iugales. 234
Iuliani constitutio nè milites in Monachos recipiantur 122
Iurisdictio delegata potest concurrere cum ordinaria 134
Iurisdictio sua cuique servanda 219
Iurisperitorum ratio argumentandi à Gregorio laudatur. 48
Iuritheum. 213
Iusiurandum super reliquijs Sanctorum. 193
Iusiurandum Principum per procuratorem. 252
Iusiurandum Clericorum & Laicorum 301
Iusiurandum per salutem Principis 372
Iustinianus Gothis cessit iure Hispaniæ 256 257

K.

KYrie eleison cantandi ritus ad Missas, à Gregorio institutus 247

L

LAicus non est eligendus Episcopus. 41
Laici pueri arcentur à ministerio Summi Pontificis 173
Laicis non est demandanda cura rerum Ecclesiasticarum 232
Lapsus corporis 103
Leander Episcopus Hispalensis 34
Lectio sacra in mensa Episcoporum & Monachorum 92
Lectisternia 206 207
Legales homines 301
Legare pro donare 234 235
Legari res aliena non potest. 215 216
Legatorum tria genera 225 226
Leges feruntur in futurum 235

Lentare lentus. 96
Leontius Exconsul 224
Leua. 155
Leucius Maryr. cuius corpus requiescit Brundusij 197
Libellaria contractus 44 224
Liberi à Patre solebant obligari pro mutuo 117
Liber homo non potest incarcerari ob æs alienum 146
Libertati Ecclesia favere debet 54
Libri sacri custodiæ causa depositi in archivo Ecclesiæ 24
Ligna ad construendas naves à Gregorio mittuntur ad Eulogium Episcopum Alexandrinum 200
Lignamina galearũ ad Sarracenos deferri vetantur. idid
Lilij pro Angelis propter candorem 61
Litania major 71
Litaniæ indictæ adversus hostes vel pestem. 290
Litania septiformis indicta à Gregorio propter pestem 71 308
Longobardorum ingenium mores 30
Lucas Evangelista callens linguæ Græcæ 296
Lucrum est pietatis causâ facere sumptum. 103

M.

MAceria sepes 287
Major populi *Maire* 253
Majores prędiorum fiscalium ibid
Major domus 232
Mandatum Pontificium quandoque non derogat iurisdictioni ordinarij. 133
Mansionarij 141
Manumissiones servorũ per chartulam. 54
Manumissiones servorum fiebant in Ecclesia 66
Manumissi fiunt cives Rom. 184
Manumissio servi sub conditione vt monachetur valet 238
Mansus Dominici ingenui & serviles 333
Mappulæ & earum vsus Mappulalati 116 117
Marcionistæ Hæretici 186
Mare clauditur mense Novembri. 100
Marcus fundator Ecclesiæ Alexandrinæ. 64
Marinianus ex Monacho electus Episcopus Ravennas infensus est Monachis. 176
Matrimonium dissolvitur religionis causa 188
Mauritius A. laudatur de fide. 289
Martyrem non facit pœna sed causa. 91 92
Martyrum cultus 242 243
Massa villa prædium Massarij 38
Matricula Matricularij 107 108 109
Mauriſci *Morisques* 136
Medici de pudicitia suspecti 149
Mennas Episcopus Tolosanus 291
Mensuræ & pondera 40
Mercedis causa 327
Meridiatio 280
Metatorium hospitium 145
Metropolitanus Iudex suffraganeorum 313
Milites punctis signati 120
Milites signati non recipiuntur in Monasterium 120 ante triennium. 262
Ministeria sunt vasa sacra Eccle-

siæ. 86
Missæ publicæ vetitæ in Monasterijs. 15 196 197
Missæ in honorem Martyrum 122
Modius est 16 sextariorum 37 153
Molestia 180 189
Mollis effœminatus 156
Momenti & proprietatis causa 294
Monachi non debent sibi facere commatres. 146
Monachi in Anglia Clericis honoratiores 394
Monachorum Officium iugis oratio 171
Monachi non sunt ordinandi sine litteris sui Abbatis 188
Monachi primis seculis extra clerum 194
Monachorum opera lectio oratio & labor manuum 215
Monachis semel professis testari non licet 229 sine dispensatione 277 270
Monachi fugitiui requirendi 327
Monachi obnoxij tentationibus maximè de præteritis 241
Monachi non procedunt nisi bini 285
Monachi non debent eulogias accipere 289
Monachi majores, minores Episcopi 176 177
Monasteria Seminaria Episcoporum 20
Monasteria in monte Soracte 22
Monasteria in insulis maris Tyrrheni 52
M.S. Cassiani apud Massyliam 203
Monasteriorum Virginum cura spectat ad Episcopum 217
Monasteria non possunt fieri mansiones secularium 147
Monasteriorum exemptiones 170
Monasterium S. Martini Augustodunensis fundatum à Brunichilde Regina 300 310 311
Monasterium S. Hermetis 193
Monasterium S. Andreæ ad clinum Scauri in vrbe 216 217
Monasterium non potest mutari sine consensu Patroni 222
Monasterium Castelliense fundatore Cassiodoro 223
Monasterium Lucusianum apud Panormum in Siciliâ 236
Monasterio novum onus imponi non potest 328
Monasterium Crateras 309
Monasterium Prætorianum apud Panormum in Sicilia 331
Monasterium Arelatense 255
Monasterium S. Archangeli 260
Monasterivm S. Viti ad radicem montis Aetnæ 261
Monasteria Virginum procul sint à Monasterijs virorum 277
Monastriæ 30 206
Monophysitæ hærétici Aegyptij 306
Moses cur non intrauit terram promissionis 293
Moses primus Episcopus Sarracenorum 289
Monspessulana civitas clara studio medecinæ 313
Mulieri licet divertere à viro ob adulterium ejus 264
Mundi finis 294
Munitio 144

N

NArses ex Chartulario Præfectus Italiæ 9
Natalis primus Episcopus Ravennas 155

Natales Martyrum 222
Natalis Petri solemnis conventu fidelium 233
Naves commendatæ Ecclesiæ. 64
Naues papyraceæ 200
Naulum 326
Neapolitani Domini insularum adjacentium ex beneficio Imperatorum 271
Negotium pro negotiatione 212
Nepe ciuitas Episcopalis Thusciæ 74
Nobilitatis ingenium 227
Nonnosus Abbas 111
Notæ locorum mendosorum vel suspectorum in libris 185
Notæ librorum asteriscus obelus 185
Notarij inter minores ordines Ecclesiæ eorum officium 102 142
Notarij irrisores 156
Notarij Ecclesiæ Romanæ eorum officium 312
Notarij assumpti, è Clericis vel libertis Ecclesiæ 184
Notitia 237
Novitij probandi per triennium in laico habitu 175
Nundinæ epulæ 297
Nuptiæ solvuntur per ingressum Monasterij 205
Nuptiæ olim vetitæ, vsque ad septimum hodie ad quartum vsque gradum 332
Nutrix chara 147

O

OBelus virga 185
Oblationes Principum accedentium ad Altare 195
Oblationes appensæ 185
Oblationes quæ fiunt monasterio exemptæ à lege Diœcesana 9
Oblationes ad tumulos martyrum 248
Oblata semel monasterio non possunt revocari 258
Obseruare obseruantes 251
Obsides qui distent à fidejussoribus 121
Oeconomus Ecclesiæ 240 318
Octava martyrum 221
Oleum Sanctæ Crucis 224
Oleum fluens è corporibus Sanctorum curationibus ægrorum clarum 224 225
Opera sine fide mortua 142
Operæ rusticorum vulgò corvatæ. 300
Opinio fama existimatio 32 33
Oppressi solebant se & res suas commendare Ecclesiæ 271 272
Onera sunt peccata 309
Orarium 209 210
Oratorium est Ecclesia Monachorum 55
Oratorium ad limen monasterij 285
Oratorium consecratur absque missis publicis 75
Oratoria privata 195
Oratorium B. Cæsarij martyris in Palatio 308
Oratio Dominica in Missis recitatur post Canonem ex instituto Gregorij 248
Orca vas vel mensura liquidorum 56
Ordinatio Episcoporum Italiæ Siciliæ & viciniorum Provinciarum pertinebat ad Rom. Pontificem 79 80 104 154 166 167
Ordinatio Mediolanensis, & Aquileiensis Episcoporum. 104 105

Ordinatio Pontificum 242
Ordinationis tempus ſpectatur in gradu & ſeſſu Epiſcoporum 254
Ordinati à Rom. Pontifice 160
Ordinati à ſuo Epiſcopo debent obſequium ordinatori 186
Ordo Eccleſiaſticus 78
Ordo non iteratur 89
Originarij 133

P

PAgani tribuebant Chriſtianis clades imperij 92
Pagani idolorum cultores 134
Pagani ætate Auguſtini viles & contempti 134
Paganus pro laico 243
Palacenas locus in vrbe 196
Palladius Santonenſis Epiſcopus 197
Pallium ſuffraganeis conferunt Patriarchæ, poſtquam illud acceperint à Rom. Pontifice 26
Pallio vtuntur Patriarchæ dum adſunt Rom. Pontifici Miſſas celebranti 26 27
Pallium non datur niſi fortiter poſtulanti 175
Pallio ſemper & vbique vtitur Romanus Pontifex 26 104
Pallij jus habet Epiſcopus Oſtienſis 27
Pallij vſus 112 113 114 115 116 123 154 155 156
Pallium inſigne plenitudinis Pontificalis Officij 123
Pallium inſigne Metropolitanorum & quorumdam Epiſcoporum ex privilegio 78
Palmatianæ veſtes muneris cauſa 59 60 61
Paratura 303
Parentes pro cognatis 45 79
Participium 22
Paſtorale Gregorii 157 158 177
Paſchæ dies ſolebat denuntiari à Metropolitano 231
Paſchaſius Epiſcopus Neapolitanus contemptus ob exilem comitatum 312
Patricij in Gallia 106
Pater Monaſterij 210
Patria pro pago Patriota 267
Plagia, plagæ orbis 268
Pax pro inducijs 228
Peculium 999 300
Pecularitas vitium monachorū 34
Peculium ſervo manumiſſo an hoc ipſo datur 184
Pecus numeratur per capita 303
Pelagius ſcripſit librum de tribus capitulis Conc. Chalced 93
Penſata penſum quod præſtatur à Conductoribus prædiorum vltra mercedem conductionis 38
Penſum 216
Peregrini temerè non ordinandi 84
Peregrini Hieroſolymitani 189
Peregrinatio ad montem Sina 326
Petrus Subdiaconus defenſor Patrimonij Eccleſiæ Romanæ 306
Pheretrum Romanorum Pontificum non eſt obtegendum Dalmaticis 173 174
Pia cauſa variè ſpectata à Patribus 255
Phocas Imp. coronatus 306
Poſſeſſor pendente lite tuendus in poſſeſſione 12 13
Pœnitentes arcentur à ſacris ordibus 84 138
Pœnæ ingenuiles & ſerviles. 249 270

INDEX.

Pœna certa irrogari non debet pro incerto delicto 263
Pœna pro damno iniuria 30
Portæ vrbis ibi Tribunal judicij apud Iudæos 309
Præbendæ Beneficia Ecclesiastica 282
Præpositus Monasterij 47 148 149 251
Præscriptio 40 annorum valet adversus Ecclesiam 13
Præsumere 220
Præstitum pro mutuo 292
Præterire 195 196
Precaria tributum quod pendebatur Longobardis pacis redimendæ causa. 88
Preces pro salute Principis 259
Presbyteri & Diaconi Cardinales 17 18
Presbiteri & Diaconi non ordinantur sine certo titulo. 150
Presbiter depositus celebrans excommunicatur salvo viatico in extremis 150
Presbyteri sedent in Concilio Diaconi stant 172
Presbyteri Vrbani & forenses seu Vicani 185
Presbyter vnus erat plerumque in singulis monasterijs 251
Presbyteræ & Diaconæ 52 229
Presbyteræ vestem mutabant 209 250
Pretia rerum variant pro tempore & loco 217 218
Primates Africæ 65
Principes rebus Ecclesiasticis se immiscere non debent. 132 167 188
Privilegia Ecclesiarum tueri debet Summus Pontifex 94 95
Privilegia Ecclesiarum custodiuntur in scrinio Ecclesiæ Romanæ. 15
Privilegium monasterij S. Medardi Suessionensis 332 à suspicione falsi vindicatur. 334 335 336
Prochyta insula in sinu Puteolano 250
Procurator monasterij 97
Professionis monachorum varium tempus 261 262
Professio monachorum in oratorio ante Altare 55
Profligare 66
Proprii Presbyteri 186 187
Proprius 284
Provincia habet Metropolitanum & duodecim Episcopos. 325
Provinciales omnes Cõstitut. Antonini facti cives Romani 271
Psalterii studium commendatur Episcopis Clericis & Monachis 176 300 321
Pueri pares forma, & ætate lecti in obsequium Principum. 324
Pulcheria altera Helena 312 313
Purgatio canonica per iusjurandum super reliquias Sanctorum. 83

Q.

QVarta decimarum & oblationum Clericis pro meritis 315

R.

RAchana vestis genus 295
Ratiociniis obnoxij arcentur à sacris ordinibus, nec recipiuntur in monasterium priusquam rationes reddiderint 119
Raptor rei alienæ tenetur quanti actor iuratus litem æstimaverit 306

Rauenna Metropolis Aemiliæ. 213
Receptio Monachorum gratuita. 123
Recharedus Rex Gothorum ad fidem Catholicam conuersus, & vna cum eo Gothi tempore Gregorii. 3435
Recolligere 259
Redemptio Clerici capti ab hostibus debet fieri sumptu Ecclesiæ 110
Redituum Ecclesiæ quatuor partes 288 282
Reges Francorum solliciti de honore Episcoporum 179
Reges Francorum laudantur de fide 181 182
Reges Francorum Christianissimi dicti 181 182
Reges Domini seruorum 271
Regradatio Clericorum 68
Rejacere 282
Relaxare pro dimittere. 6
Religio Christiana per Augustinum à Gregorio restituta in Anglia 292 263
Reliquiæ Sanctorum collo suspensæ gestari solitæ 29
Reliquiarum Petri & Pauli cultus 139
Reliquiæ Sanctorum non possunt transferri 139 140
Reliquiæ Sanctorum beneficia, vel pignora Sanctorum. 197
Remedium 193
Renunciatio sub pœna ordinum. 301
Responsales Nuntii Episcoporũ. 37
Res Ecclesiæ vel monasterij non possunt alienari sine causa 224
Resculæ Ecclesiæ 299
Resultare pro repugnare 21 74
Revertentes ab hæresi, vti reconciliandi 294 295
Roccus 298
Roga stipendium militum, vel donativum Principis 89
Roma capta à Totila Rege Gothorum exulante Vigilio Papa. 92 93
Roma literarum Latinarum artifex. 95
Roma vrbs propria Romani Pontificis ex donatione Constantini 163
Romanus Pontifex decessorum acta revocare non debet. 101 185
Romanus Pontifex respuit nomen vniuersalis. 164
Romani Pontifices Clericis, & Monachis annonas erogare solebant. 207
Romanus Pontifex variè spectatur. 235
Romanus Pontifex Vicarius Beati Petri 273
Romanus Exarchus Italiæ 31
Rustici Pagani si non convertantur censu gravandi. 137
Rusticiana putricia. 82

S.

Sabinianus Diaconus Apocrisiarius 111
Saburra regio vrbis Romæ. 132
Sacra sunt rescripta Imperialia. 51
Sacculus Ecclesiæ 43 166
Sacellarius 105 166
Sacrum opus. 194
Salgamum 196
Samareis non licet circumcidere seruos Paganos 192
Sãctimoniales Rom. profugæ. 258

Sanctuaria Reliquiæ Sanctorum. 53.
Sardinia Insula iuris Ecclesiæ Romanæ. 50
Schismaticus. 18.90
Scholæ Palatij. 283.284
Schola linguæ Latinæ Constantinopoli. 208
Scholastici forenses Aduocati, vel Declamatores. 47.48
Scholastici Exarchi. 160
Scodra ciuitas Illyrici. 33
Scrinium Ecclesiæ. 110
Sclaui victi à Mauritio. 232
Sclaui vnde nomen. 265.266
Sclauinia vestis peregrinorũ. 266
Scribones. 266
Scribones eorum munus Tyrones legere & probare. 330.331
Scultæ exploratores. 328
Secretarium Ecclesiæ. 20.21.113. 114.
Secundinus Abbas. 189
Securitas apocha solutę pensionis. 40.
Seniores. 271
Sententia fertur à S. Pontifice adhibito consilio fratrum 78. 279
Sententia ipso iure nulla, sine appellatione rescinditur. 98
Sententia ex scripto recitatur coram partibus deliberatur secreto. 317.278.
Sepulturæ vetitæ in Monasterijs 15.
Sepulturæ nomine quid exigi vetatur. 216
Sepulturæ permissæ in Monasterijs mendicantium. 16
Sepulchra Sanctorum teguntur Palla. 124
Sepulchrum Imperatoris tegitur velo purpureo. 174
Septimum Palatium. 268
Serenus Episcopus Messylienſis. 253.291
Serui fugitiui recolliguntur. 279
Serui magnatum superbiunt ex persona Dominorum. 96
Serui redintegrantur domino præstitâ cautione iuratoriâ. 96
Serui deformes placent Gregorio. 325.
Serui Dei sunt Monachi. 118
Seuerus Episc. Aquileiensis. 18
Sextariaticum est superadditum quod à rusticis exigebatur supra singulos modicos. 37
Sextarius Italicus & Castrensis. 37.157
Siliqua 24. pars solidi. 238
Simoniæ labe male audijt Gallia & Germania. 178
Simplex. 268
Simplicitas stultitia. 136
Simplicitatis vitium reprehenditur in Episcopo.
Sinthicæ Longobardorum. 29
Sinthicæ pacta contractus. 16
Sitonicum vectigal frumenti in specie. 4.303
Sitonia munus coëmendi frumenti in vsum Reip. 4
Sitones curatores frumenti coëmpti in vsum Reip. 16
Sitarcia annona parata ad iter vel nauigationem. 5
Sitodotis erogator militaris annonæ. 5
Solidi Gallicani alij maiores, alij minores. 106.107
Sophistæ. 314
Solutio debiti probatur restitu-

tione Chirographi. 245. 246
Somnium vigilantis. 245
Spatha benedictionis gratia à Romano Pontifice principibus missitari solita. 188
Spoliatus ante omnia restituendus. 240
Sportulæ menstruæ, vel annuæ Clericis erogatæ de penu Ecclesiæ. 58
Sportulantes fratres qui sportulas accipiunt. 58
Stationes patrimonij Ecclesiæ Romanæ in Sicilia. 330
Status quæstio maiores iudices desiderat. 219
Status Ecclesię vel Monasterij non potest mutari vacante sede Episcopali. 268
Statuta iuramento firmata. 268
Stipes sparsæ in dedicatione Ecclesiarum. 55
Strator Protostrator. 118. 119
Subdiaconi non ordinantur nisi promissa continentia. 43. 44. 125.
Subdiaconatus inter sacros ordines positus ex instituto Gregorij. 44. 45
Subdiaconi Defensores patrimonij Ecclesiæ Romanæ. 2
Subdiaconis annexum Notariorum officium. 142
Subdiaconorum officium. 173
Subdiaconi spoliati. 247
Subscriptionis forma. 302
Subtiliter subtilitas. 108
Suffragij redemptio. 164. 165
Suffraganeis Episcopis non licet trans mare proficisci sine litteris Metropolitani. 232
Suppositorium. 45
Surcaria. 244
Suscepti. 169
Susceptores. 110
Susceptum. ibid. 259. 260
Synagogæ Iudæis adimi prohibentur. 227
Synodicæ epistolæ. 4. 5. 242
Synodus in Secretario Ecclesiæ. 20. 21
Syri negotiatores. 146
Syrum saltationis. 265

T.

TABVLA matricula Clericorum. 315. 316
Tabularius Præfectus Matriculæ. 315
Tabellarij Tabelliones. 284
Taurina ciuitas olim ditionis Frãcorum. 255. 256
Taurus ciuitas Brutiorum. 33
Temerè pro facile. 265
Tenax. Tenacia. 23. 24. 320
Tenor pro tenemento. 331
Terrula. 72
Testamentum pro instrumento publico. 269
Testes recipiuntur parte præsente audiuntur secreto. 326
Testes audiuntur iurati. ibid.
Testes idonei. 316. 317
Theodelinda Regina Longobardorum. 237
Theodorus vnus è Consiliarijs Gregorij. 77. 101
Theodosius Mauritij A. filius & consors Imperij. 40
Theodosiani. 89
Theotista soror Mauritij. 7. 288
Tituli fiscales apponuntur prædijs pignori captis. 57. 165. 282. 283
Tituli Cardinales. 71

Tonsores plebis. Tonsores monetæ. 304
Tonsuratores in Sicilia. 304
Tonsura pœna deportatorum in metallum. 304
Tonsurati more Romanorum. 304
Τοποτηρητὴς loci seruator. 330
Translatio Sedium Episcopalium. 77
Translatio Ecclesiæ de seculari ad regularem. 131
Translatio in districtius Monasterium pœnitentiæ causa. 127
Transactio inter Clericos de rebus Ecclesiasticis non obligat successorem nisi confirmata sit auctoritate Sedis Apostolicæ. 236
Transuectio annonæ fiebat mense Septembri. 64
Tremissis tertia pars solidi. 72
Tribulum genus vehiculi dentati quo triturantur segetes. 236. 237
Tributa soluta tribus pensionibus. 41. 42
Triturandi segetes triplex modus. 237
Tultus. 245
Tunica S. Ioannis Euangelistæ. 97
Tyronum collatio. 330

V.

VACANTIVM Ecclesiarum res à plebe diripi solebant. 135. & seq.
Valeria Prouincia duplex. 258
Vasa sacra Ecclesiæ quibus de causis distrahi possunt. 130
Vectigal Imperatori pendi solebat pro confirmatione electionis Rom. Pontificis. 5
Vectigal id remissum postulante Agathone Papa. 5
Vectigal nuptiarum nomine. 42. 43
Vectigal pro nuptijs Clericorum & rusticorum. 135
Vectigal Christianorum pro redemptione persecutionis. 164
Vectigal Paganorum pro securitate impetranda. 164
Vela foribus appensa. 260
Vela Ecclesiæ. 285
Venantius Cancellarius Italiæ Exmonachus. 31. 194
Vestes pretiosæ muneris causa. 60. 61
Vestiarium Episcopi seruatur successori. 108
Vestitus id est vestes. 264
Viaticum in extremis non denegatur pœnitentibus, vel excommunicatis. 246
Vicarij Sedis Apostolicæ in Prouincijs. 2. 3. 73
Vicarius Vrbis Romæ. 270
Vicarius Vicaria. 218. 219
Vicecomes Vicecomitia. 218
Vicedominus Vicarius Episcopi in temporalibus. 14. 15. 198. 280. 281.
Vicedomini maiorum. 284
Viduæ sub tuitione Episcoporum. 15. 16. 193
Viduæ retinent dignitatem mariti. 16
Viduæ & pauperes in matricula Ecclesiæ. 107. 109
Vigiliæ non sunt sine ieiunio. 281
Vigor Episcopalis. 222
Virginum tria millia alta in vrbe sumptu Gregorij. 207
Visitator Ecclesiæ Vacantis eius officium. 17. 18. 56. 57. 66. 80. 85. 155. 270

Visitatori vacantis Ecclesiæ sumptus ministratur de rebus Ecclesiæ. 107
Visitantes limina Apostolorum non discedebant absque benedictione Apostolicâ. 189
Vitia sæpius virtutes adumbrant. 23.24.
Viua pecunia. 300
Vnio Ecclesiarum ob cladem Italiæ. 11.86
Vnio Ecclesiarum pertinet ad summum Pontificem. 86.87
Vrbicus Abbas. 193
Vrna est mensura liquidorum. 38
Vsuræ mutuæ pecuniæ, vel frumenti à rusticis leuiores exiguntur. 153
Vvactæ excubiæ. 251
Vvlcanus seu olla Vvlcani Insula freti siculi. 177
Vxor restituitur viro præstita cautione iuratoria de non malè tractandâ. 16

X.

XENODOCHIA sub dispositione Episcopi. 134
Xenodochi. 134

OMISSA.

10. Post illa verba Anastasius Antiochenus Episcopus sede suâ pulsus restitutus curâ Gregorij adde ista. De quo Euagr. lib. 4. cap. 5. lib. 6. cap. 53.

201. Post illa verba Augustin. epist. 110. adde ista Ambros. de dignit. Sacerdot. cap. 5. *Et nescij homines & indocti in ordinationibus eorum clamant, & dicunt, dignus & iustus, &c.*

ERRATA.

2. Soptembri,	leg. Septembri.
5. ωι δέδωκα,	l. ᾧ δέδωκα.
30. ἡγεμιὼν	l. ἡγεμὼν
44. Pendendis,	leg. vendendis.
52. In Corſica,	leg. in Corſica.
61. Eum Delphinis,	leg. cum Delphinis.
78. Subindere,	leg. ſubinde.
88. Commodat,	leg. commendat.
95. Epiſt. 5.	leg. epiſt. 56.
102. Cœleſtis militiæ,	leg. cœleſtem militiam.
119. πρατοστράτορα,	l. προθοστράτορα.
123. Aditari,	leg. actitari.
126. lib. 8. quæſt.	leg. lib. 83. quæſt.
129. Quæſitorũ,	leg. quæſiti.
134. Idolatriæ,	leg. Idololatriæ,
144. κεκοιμενων,	l. κεκοιμημένων.
145. πρόοδον,	l. πρόοδον.
176. Parrochijs,	leg. Parochijs.
180. Non aliam,	leg. non alium.
183. Benafrenæ,	leg. Benafranæ.
191. Roger. Honed.	leg. Roger. Houed.
195. προσύνοχε,	l. προσυνύοχε.
198. Sertium,	dele.
206. Exectus,	leg. exſectus.
Ib. Corrippus,	leg. Coripus.
221. ἀπολυσιν,	l. ἀπόλυσιν.
224. Cum eum,	leg. cum.
230. Veſtes qualitas,	leg. veſtis qualitas.
259. Militar,	leg. militari.
264. §. ſciam,	leg. §. Sciam.
265. Menit Photias,	leg. meminit Photius.
267. Silegiuis ſiligeneos,	leg. ſiliginis leg. ſiligineos.
270. De de,	leg. de.
273. Habeat,	leg. habem.
285. Aſcititis,	leg. Aſceticis.
288. Propinques,	leg. propinquos.
293. Subſtractus,	leg. ſubſtratus.
324. Qnid enim,	leg. quid enim.
326. Barenſi,	leg. Barenſi.
335. Inſici,	leg. injici.

Exſcriptum è Priuilegio à Chriſtianiſsimo Galliarum Rege conceſso.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Navarræ Regis authoritate ſanctum eſt, litteriſque patentibus cautum; ne quis in Regno ſuo, alijſque locis ditioni ſuæ ac imperio ſubditis, intra proximos ſeptem annos à die impreſſionis abſolutæ inchoandos excudat, vendat excudendum, vendendumque quouis modo ac ratione attentet opus quod inſcribitur, *ANTONII DADINI ALTESERRÆ Anteceſſoris Toloſani Notæ & Obſeruationes in XII. Libros Epiſtolarum B. Gregorij Papæ, huius Nominis I. cognomine Magni.* Præter Raymundum Boſc Toloſæ Typographum Regium, & eos quibus ipſe conceſſerit, prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ; ne quis ex ſubditis eumdem librum extra Regni limites imprimendum curet, aut quempiam vbicumque fuerit ad id agendum inſtiget ſine conſenſu dicti Raymundi Boſc, vel eorum quibus ipſe permiſerit. Idque omne ſub confiſcatione librorum, alijſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum in S. Germani fano ad liliam ſylvam. 6. Iunij anno 1669.

De mandato Regis

Signatum

DENIS

Acumen. Argen. vñ ſt 4 Anhelſus -
Vehemens Samij Lucernarius acumen.

Archiua Tertull. Apologetic.
cap. 19. Euseb. libr. 5. cap. 17.
Augustin. contr. Lit. Petilian.
libr. cap. 3. et 59. can. peruenit
30. que. 1. cle. Romani in fin.
de iureiur.

234. dehuadio Augustin de
Tempor. Serm. 76. Cum tibi
Dominus ad hoc dederit ut
distribuas, dixit tibi capta
non seruas. Retinaculum
Optat Milenit. libr. 1.